INSTITUTIO ELOQUENTIÆ SACRÆ SPECIATIM.

USUI TIRONUM

EX VETERUM, AC RECENTIORUM PÆCEPTIONIBUS CONCINNATA.

OPERA

STEPHANI KAPRINAI
De Societate JESU, Sacræ Theologiæ Doctoris, antea Eloquentiæ, nunc Scripturæ Sacræ Publici Professoris.

M. DCC. LX.

TOMULUS POSTERIOR



TYPIS
UNIVERSIT. CASSOV. SOC. JESU
M. DCC. LXIII.

BUDAPESTI TUDOMÁNYEGYETEM
NEM KÖLCSÖNÖZHETŐ
1

BUDAPESTI EGYETEMI KÖNYVTÁR



HONORIBUS

EXCELLENTISSIMI,

ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMI

DOMINI, DOMINI

CAROLI

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPI AGRIENSIS

E COMITIBUS

ESZTERHAZY

DE GALANTHA,

PERPETUI COMITIS IN FRAKNO, ARCIUM, AC DOMINIORUM PAPA, UGOD, DEVECSER, HÆREDITARII

DOMINI.

INCLYTORUM COMITATUUM HEVES, ET SZOLNOK EXTERIORIS, ARTICU-

LARITER UNITORUM, SUPREMI, AC PERPETUI

COMITIS.

UTRIUSQUE SACRATISSIMÆ, CÆSAREÆ, AC REGIO APOSTOLICÆ, MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI STATUS

CONSILIARII

&c.

PRÆLATI GRATIOSISSIMI,
BENIGNISSIMI,

HOC

ELOQUENTIÆ SACRÆ

OPUS

RECENS EDITUM

IN DEBITÆ . . . .

VENERATIONIS

ARGUMENTUM,

OMNI

SUBMISSIONIS CULTU,

TOTIUS

COLLEGII ACADEMICI

CASSOVIENSIS

NOMINE

D. D. D.

Author.

AD

EXCELLENTISSIMUM

ILLUSTRISSIMUM

REVERENDISSIMUM

DOMINUM DOMINUM

PRÆSULEM

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

ANnos abhinc aliquot, Sacræ artem Eloquentiæ publice professus, edidi Tironum usui ejus Institutionem generatim. Hanc Optimi *Agriensium* Præsulis, *Benedicti Kis-*

di, sæculari memoriæ nuncupavi, cum centesimum condita per eum Academia nostra feliciter annum ageret, ut quam memori, & grato in beneficos Parentes nostros, vel à morte post tantum temporis intervallum, animo filii simus, hoc qualicunque opere testaremur. Nunc alteram editæ recens ejusdem Institutionis partem, cum sacra sit, eccui convenientius, quam TUO Magni Sacrorum Antistitis Nomini, *Præsul Excellentissime*, poteram consecrare?

Et certe æquum est, ut quem prior, eundem Tomulus veneretur posterior. Id est: ut in hoc opere nuncupando Antistitem Religiosissimum Antistes Religiosissimus, Decessorem Optimum Successor Optimus, Academiæ Conditorem beneficentissimum Tutor fidelissimus, Eloquentiæ artem nobilissimam præstantissimus dicendi Magister excipiat.

Ac

Ac, ut de TE ſolum Antiſtite modo breviter loquamur, habet profecto eum in TE Paſtorem Eccleſia *Agrienſis*, quem olim in *Borromæo* habuerat *Mediolanenſis*, ex vero *Carolum*, omnibus Religioſiſſimo Præſule dignis virtutibus ornatiſſimum. Qui *Vacienſem* illo Domini die cathedram conſcendiſti, quo publica inter Miſſarum ſolennia Boni Paſtoris memoria agebatur; *Agrienſem* vero Divorum Petri, & Pauli, Eccleſiæ Principum, feſta luce adiiſti, ut quam Bonus ſubinde Paſtor, ad exemplum Principum Paſtorum, futurus eſſes, principio ſtatim gregi TUO indicares. Et re ipſa ſpes de TE Boni Paſtoris optimas confeſtim *Vacii* explere cepiſti; cum nihil moratus, ab ipſo ovili, ſive Templo DEI, exorſus, ea illi fundamenta jeciſti, quæ propediem feliciter ſunt aſſurrectura. In eo præterea elaboraſti, ut dimiſſis, immo rejectis, omnibus profanæ Reipublicæ curis, uni ſacræ, ſive TUARUM ovium, curæ,

to-

totum TE quantum (quantus autem es!) non commodare, sed penitus dare, quin devovere posses. Has porro, ut verum decet Pastorem, solertissime pascis verbo, simul & exemplo.

Exemplo morum integerrimorum, adeo, ut oves in eos intuitæ merito glorientur, se illum nactas esse Pastorem, quem *Ecclesiæ Angelum*, ut olim Joannes in apocalypsi, valeant compellare. Non equidem *Ephesi*, nec *Pergami*, nec *Thyatiræ*, vel *Sardis*, aut *Laodiciæ*; sed *Angelum Ecclesiæ Smyrnæ*, aut *Philadelphiæ*, quos Divinus per Joannem Spiritus collaudat, ardentem charitate, prava semina doctrinæ evellentem, hæreses extirpantem, vitia comprimentem, pauperes, ac orphanos sublevantem, languorem in ovibus, æque ac Pastoribus, curæ TUÆ creditis, velut ignem cineribus contectum, novo spiritus fervore suscitantem.

Dein

Dein paſcis verbo: cum frequentiſſimis ad populi concionem ſacris dictionibus, quot verba, totidem quaſi jacis fulmina, quibus improbos à vitiis deterreas, probos autem ad virtutem inflammes. Immo obvios quoſque rudes, ac pueros, in ipſis compitis, benigne affatus, neglecta quaſi authoritate (quam tamen tum omnium maxime tueris) primis fidei Chriſtianæ imbuis elementis. Ex vero Paſtor, & Sacræ Magiſter Eloquentiæ, cujus artem jam ante ſedulus exercuiſti, cum, recuſato non exili Strigonienſium Canonicorum Collegii Sacerdotio, prius in *Papenſi* Eccleſia Sacri Curionis vicarium adjutorem agebas; ut quamvis Eccleſiæ patronus, ac loci herus eſſes; omnium te tamen miniſtrum, ac ſervum exhiberes. Raro enimvero, & pulcherrimo exemplo!

Accipe igitur, *Excellentiſſime Præſul*, hanc Eloquentiæ Sacræ inſtitutionem, omni ſubmiſſionis cultu, in duorum prope

sæculorum confiniis, exeuntis alterius, alterius ineuntis, Academiæ nostræ nomine, tibi porrectam, ut quam *Kisdius*, decessor TUUS, sæculi exacti principio, fundatam, suorum Successorum tutelæ credidit; TU, tanti Præsulis tantus Successor, hoc ineuntis sæculi initio, ac progressu, TUA illam benignitate foveas, authoritate tuearis. Spondet hoc ingens tuum provehendæ Divinæ gloriæ, ac boni publici, scientiarumque studium, quod excitata à fundamentis grandi nova Scholarum Agriæ fabrica testatum facis. DEUS TE Optimus, Maximus, Ecclesiæ suæ, ac Regni, Academiæque nostræ, ac omnium literarum in Hungaria bono, & incremento, quam diutissime valentem præstet. Hoc ego, hoc Academia nostra, TUI semper observantissima, ex animo venerabundi precamur. *Dabam Cassoviæ Pridiè Nonas Novembres festo Divi Caroli Borromæi die.* *M. DCC. LXIII.*



AD ELOQUENTIÆ SACRÆ CANDIDATOS.

NOn uno quidem loco, editæ nuper à me Institutionis de Eloquentia Sacra generatim, propediem me daturum spoponderam alteram quoque illius partem, Institutionem videlicet Eloquentiæ Sacræ speciatim, complurибus sane literis, ex Hungaria, Polonia, Germania, ad me datis; immo hortatibus, ut quamprimum luci darem, assiduo expe-

PRÆFATIO OPERIS.

PRÆFATIO OPERIS.

titam. *At ne datam continuo fidem exsolverem, aliqua, ut in optimis persæpe conatibus fieri assolet, interceſſere. En mei nunc tandem promiſſi fidem libero. Prius tamen, quam intimiora hujus quoque Tomuli penetralia ſubeatis,* Domini Candidati, *pauca iterum, quaſi in veſtibulo, libuit præfari: primum de Tomuli hujus editione: poſt de illius ratione: dein de ſtylo: demum de operis uſu. Sit.*

I. De Tomuli hujus editione. *Cepta hæc eſt quadriennium abhinc ſæculi labentis ſexageſimo. At varia, partim me elucubrantem, partim operas typographicas, haud parum diſtinuere, quibus ipſam poſtea editionem in medio quaſi curſu intercipi oportebat. Quod duplici de cauſa libuit præmonere. Primum: ut nemo ullus det crimini, cum Tomuli hujus editionem alio typi genere inceptam, alio ferme continuatam, alio denique viderit terminatam. Cum duorum, & amplius annorum ſpatio intermiſſa adhæſerit; interea typus, qui Tomulo edendo dederat initium, adeo detritus eſt, ut vix, ac ne vix quidem, operi, vel proſequendo, ſufficere potuerit; novis igitur eam literis perficere coacti ſumus. Alterum eſt: ut nulla quemquam ſubeat admiratio, cum pagina Tomuli hujus poſterioris nona, & viceſima, Eminentiſſimum Principem, Viennenſium in Auſtria Archi-Epiſcopum,* Cardinalem Chriſtophorum à Miggazzi, *ſine ampliſſimo* Cardinalis *titulo legerit nominatum. Hæc enim operis pars iam ante typis fuerat expreſſa, quam Eminentiſſimus hic Princeps Sacro Purpuratorum*

rum Patrum honore fuisset exornatus. Tandem ergo post longius, trium ferme annorum, intervallum, rursum editio est resumpta, ac, juvantibus Superis, ad calcem modo perducta, felicius sane, si lucem vidisset emendatius. At non sine dolore fatendum est: haud pauca in eam, tam primo, quam altero operis Tomulo, errata, etiam fœdiora, irrepsisse. Ac primum quidem Tomulo priore in ipsa statim nuncupatione: tametsi beneficos in Societatem nostram Hungariæ Antistites, omni cura in authographo percensuerim; nescio tamen, qua Typothetarum supina negligentia, & censoris, in castigando dormitantis, oscitantia, expunctus est Georgius Szechenius, Strigonienſium Archi-Episcopus, à conditis in Hungaria Societati nostræ tot domiciliis, juventuti vero Hungaricæ positis, ac curæ nostræ creditis, totidem contuberniis, summus, ac celeberrimus Mæcenas, quem omnium maxime grata memoria celebrare oportuisset, ut, errore comperto, per literas amici admonuere. Sunt etiam alia non minora, quæ ipsum quoque erratorum indiculum fugere, menda, ad Tomuli hujus posterioris calcem reliquis erratis eo consilio adjecta, ut si novam subinde editionem adornare contingeret, secundis facilius curis valeant emendari. Sed in hunc etiam Tomulum posteriorem, tametsi pauciores, sat tamen graves, sensui haud parum obturbantes, errores incurrerunt, fideliter, quantum esse poterat, erratorum catalogo adscripti. Immo, dum hæc scriberem, tristi nuncio adfertur in phylira D tertii alphabeti, numeros, pagina-

PRÆFATIO OPERIS.

PRÆFATIO OPERIS.

rum indices, à pagina 785 ad usque 800, serie tamen interpolata, esse conturbatos, quos æquus lector corrigat, velim. Denique cum index rerum memorabilium, qui libri anima esse solet, operi deesset; confeci Tironum commodo quam locupletissimum, utrique Tomulo facile postea singillatim adiiciendum.

II. De operis ratione. *Eandem retinuimus, quam in prioris præfatione præstitueramus. Tribus, secundum triplex causarum genus, libris constat. Primus agit de genere orationis* didactico, *alter de* panegyrico, *tertius de* morali. *In genere didactico triplicem ejus speciem totidem capitibus exequor: catecheticam, paraphrasticam, & polemicam. In catechetica Oratione, postquam generatim eam perstrinxissem, triplicem do illius formam, triplici Auditorum generi accommodatam, infimam nimirum, mediocrem, & grandiorem. In infima eam construendæ catecheseos artem trado, quam ab* Ignatio Parhamer, *Societatis nostræ Sacerdote, antea per Austriam, & Hungariam* Missionario *(ut ajunt)* Catechetico; *nunc* Francisci I. *Cæsaris Augusti conscientiæ arbitro, in terras nostras invectam, nos accepisse, ac didicisse grati ultro profitemur. Paraphrasticum autem sacræ dictionis genus, sanctis antea Patribus usitatius, hodiernis vero Oratoribus obscurius, & rarius, ne penitus intercidat, consulto expolivi, & ad artem dicendi recentiorem revocavi, qua felicitate? legenti ac dispicienti patebit. Atque utinam sacri Oratores hanc dicendi formam crebrius usurparent,*

rent, prædicarent profecto DEI verbum appositè magis ad Evangelium, non sine ingenti Auditorum, & concursu, & plausu, & fructu. Non scriberem, nisi expertus scirem. In polemico Orationis genere multa sunt ad præsentis sæculi genium, & morem arti hodiernæ accommodata, quæ petissimum ex polemicis dictionibus Francisci Neumayr, celeberrimi ætate nostra Augustæ Vindelicorum polemici Oratoris, de quo non neminem scripsisse memini: quod unus omnium optime, & maxime Theologiam junxerit Eloquentiæ, diligentius perscrutatis, & observatis, me hausisse libens agnosco. Deus Senem præstantissimum, ævi nostri lumen, Catholicæ religionis bono diu sospitem, ac valentem servet! Panegyrico autem generi plurimam ferme operis partem consulto impendi, eapropter, quoniam hoc dicendi genus difficillimum sacræ Eloquentiæ opus omni ætate fuerit habitum; ut Tironum laborem in eo construendo allevarem. Quod quam belle sit præstitum, nemo ullus inficiabitur, qui de Sanctorum charactere, de amplificationibus panegyrum, de modis adornandæ confirmationis panegyricæ, à nobis tradita attentius pervolverit. Fidenter pronuncio: panegyricum posthac non difficile, sed facile prorsus Eloquentiæ opus futurum, modo quis polleat ingenio, judicio, ac necessaria rerum sacrarum eruditione. Tertio denique libro morale genus quatuor articulis, brevius quam priora, sum complexus: cum pleraque de hoc argumento primo Tomulo jam sim executus; non erat, cur iis fusius repetendis porro hic

PRÆFATIO OPERIS.

PRÆFATIO OPERIS.

distinerer. Historicam tamen Moralis Orationis speciem majori, quam uspiam hactenus legatur, in luce collocavi. Singulis præceptis sua confestim paradigmata subjeci, ut quam sint in usum deducta, videant Tirones in exemplis. Hæc porro vel marte nostro sunt confecta, vel ex præstantioribus ævi nostri sacris Oratoribus, Italis, & Gallis huc deprompta, & amicorum ope latinitate donata, aut certe additis, vel detractis rebus quibusdam parumper immutata, vel denique, reperta potissima authorum materia, in aliam formam sunt traducta, & præceptis nostris accommodata. Quod dedita opera libuit admonere, ne quis fortasse admissi nos plagii inconsultus accuset. Qua vero fide allata à nobis paradigmata in latinum sint conversa, viderint interpretes. Haud tamen committere possum, ut eorum, qui amica mihi subsidia attulerunt, nomina silentio tegam, nec publicas Viris præstantissimis, Valentino Kéri, Stephano Dzian, Matthiæ Geiger, Stephano Biro, Joanni Piestyánski, ac Georgio Schreger, Societatis nostræ Sacerdotibus, gratias agam, quorum suppetiæ vel jam huic Tomulo sunt insertæ, vel certe Orationibus sacris miscellis, tertio subinde Tomulo, fortasse inserentur. Erit, qui exempla è Sanctis Patribus promi debuisse contendat. At tametsi ultro admittam copiosa è Patribus ad dicendum themata, ad confirmandum argumenta, vel etiam aliquarum exempla figurarum, aut locorum Rhetoricorum, vel amplificationum, aut affectuum sumi posse: quis tamen integræ Orationis corpus

pus in exemplum inde proponi posse credat, qui tacitus mente recogitat: quantum hodiernæ ars Eloquentiæ (cujus præceptiones dedimus) in construendo totius sacræ Orationis corpore à veteri Patrum arte, & forma abludat? PRÆFATIO OPERIS.

III. De stylo operis. *Fatemur: stylus hoc in opere haud sibi constat; at ne constare quidem poterat; tametsi omni studio accurassemus. Quis nescit alterum scribendi characterem deposcere præcepta, alterum exempla? Quin nec in ipsis exemplis æquabilis styli ratio potuit retineri. Didacticum enim multo humiliorem, quam panegyricum; panegyricum autem ornatiorem, quam morale; morale vero, cum movet, utroque exigit vehementiorem. Immo, in ipso didactico, genus catecheticum multo scribitur submissius, quam paraphrasticum, aut polemicum. Catechesis etiam infimæ elocutio differt à mediocris, mediocris autem à grandioris elocutione. Panegyrim quoque, in eodem ornatioris styli genere, si apposite ad auditorem dicere velimus, jam magis, jam minus ornatam esse debere. Morale vero genus sublimiorem deposcit, cum movet; temperatiorem, cum docet. Amplius dico: in una eademque Oratione, pro multiplici ratione, multiplex styli Oratorii discrimen invenitur, ut cuique, artem Oratoriam probe callenti, est compertum. At saltem syntaxis multo purior, nitidior, elegantior poterat usurpari. Poterat; immo debebat, si Eloquentiæ profanæ, aut Academicæ, latino sermone, præcepta, & exempla tradidissemus. Aut si in sacro Eloquentiæ Ecclesiasti-*

PRÆFATIO OPERIS.

cæ argumento propositum nobis fuisset styli latini puritatem, venustatem, phrases, elegantias docere, sustuliſſemus profecto altius calamum. Verum cum artem Eloquentiæ ſacræ, latino quidem ſermone, docuerimus; haud tamen latine, ſed quacunque vernacula tractandam; non erat, cur tantopere in ſtyli latini puritate, & elegantia elaboraremus. Accedit: nimiam latii curam non parum ponderis detrahere Sacræ Eloquentiæ, cujus vis, & majeſtas in quodam verborum neglectu poſita eſſe videtur. Lege, ſi placet, Gabrielis Le Jaj ſacras Orationes, latino idiomate conſcriptas: delectant illæ quidem fortaſſe ſtyli venuſtate; haud tamen perinde movent. Quod in eo diſſimulari poteſt, cum, profanam Rhetoricam profeſſus, ad ſtudioſam dixerit juventutem, quam haud ita movere, quam ſtyli elegantiæ, in argumento ſacro propoſitæ, exemplis voluit erudire. Quamvis ergo in ſcribendis his præceptionibus, earumque paradigmatis, ut Tomulo jam monui priore, latinitatem, quantum licuit, puram, terſam, æquam, claram, ac etiam elegantem, adhibere ſim conatus; haud tamen profanam, & Academicam; verum ſacram, & Eccleſiaſticam; ne affectata ſtyli latini diligentia (ut dixi) ſacra Oratio in civilem, vel Academicum ſermonem deflecteret. Unde rerum ſacrarum, ut ſunt: virtutum, vitiorum, myſteriorum, ac rerum aliarum voces, quaſi jam Eloquentiæ ſacræ technicas, ac civitate donatas, cujuſmodi ſunt; humilitas, puritas, ingratitudo &c. Item Trinitas, Incarnatio, communio,

nio, transubstantiatio, persona, substantia, gratia &c. *Et quæ à Theologis ad res sacras melius exprimendas sunt inventa, ut:* realis, sacramentalis, actualis, habitualis, spiritualis, &c, *quamvis tersius eloqui potuissem, persæpe tamen ea consulto retinui. Immo phrases; & loquendi modos, etsi barbaros, modo tamen Sacris Literis, & Sanctis Patribus usitatos, ad majus orationis sacræ pondus, & momentum ex industria usurpavi: probe gnarus, quantum iis, utpote Divinissimi Spiritus, & Sanctissimorum Patrum ore prolatis, verbis, ad permovendos Auditorum animos, insit authoritatis. Cum vero natura ad concisum, argutumque scribendi genus multum propenderem, diu mihi luctandum erat, donec in usum verterem planum, fluentem, ac numerosum dicendi modum, quem ad obtinendum Oratoris finem, in apta ad persvadendum dictione positum, præ illo novi esse opportuniorem. Illud quoque admonendum habui: allata à nobis paradigmata, ut Tomulo me priore factarum receperam, è pluribus congesta, non unius authoris esse opera; nemo ullus ergo miretur, si unam alia in eodem Orationis genere, vel stylo nitidiorem, vel argutiis ornatiorem, vel sensibus graviorem, vel denique argumentis compererit solidiorem. Vetus dictum est:* quot capita; tot sententiæ. *At prolixitas Orationum displicebit: quoniam longiores sunt, quam ut unius horæ spatio, sacris Oratoribus plerumque præstituto, commodum valeant pronunciari. Sed paradigmata hæc non eo attuli consilio, ut sub-*

PRÆFATIO OPERIS.

PRÆFATIO OPERIS. *subinde ab ignavis ad verbum pronuncientur; verum ut ex iis, tanquam plenioribus exemplis, ars melius pateſcat, habeantque Tirones ideam Orationis, in alio argumento brevius adornandæ. Quæ ſunt pleniora, plerumque ſunt etiam prolixiora; prolixiora vero facilius contrahuntur, quam contracta protendantur, à Tironibus, materiæ inopia potiſſimum laborantibus. Una quævis Oratio ita eſt conſtructa, ut pluribus, brevius conficiendis, ampliſſimum præbeat argumentum; modo Tirones de imitatione priore Tomulo dicta diligenter memoria repetant. Denique: pleræque Orationes plurium præceptionum uſum exhibent; procurrere igitur nobis vel invitis debebant.*

IV. De operis uſu. *Erunt fortaſſe, qui Tomuli utriuſque, hujus præſertim poſterioris, molem accuſent, velut importuniorem, quam ut à Tironibus, maxime pauperioribus, commodum emi, ſcholarum autem uſui eſſe poſſint. Non diffiteor: longius, quam ipſemet voluiſſem, opus procurrit, ob adjecta præſertim paradigmata, paullum, ut dixi, prolixiora: præcepta enim ſat breviter, ut intuenti patet, executi ſumus. At quis non videt, in arte, quam ajunt, practica, cujuſmodi eſt Eloquentia Sacra, amplius ſemper momenti habere exempla, quam præcepta. Vel ipſi vulgo notum eſt: longum iter per præcepta, breve per exempla. Atque iſtud eſt, quod operi noſtro non leve pretium conciliavit, cui emendo pauperioris etiam Tironis, quem Sacræ Eloquentiæ, facile adeo condiſcendæ, cura tenet, induſtria, paucos illos, quibus hoc opus vænit,*

num-

nummulos comparabit. Poteram quidem, immo jam volebam, in Panegyrico maxime genere, prætermissis, vel certe detruncatis ea parte, qua ad propositum minus faciebant, exemplis, molem minuere. Verum amici, sacra per omnia me obtestati, manum, & falcem, jam paratam, prohibuerunt. Quorum precibus, authoritati, rationibus, (quidquid alii sentiant) morem gessi. Quod scholas attinet. Hoc opus, ut Tomulo innui priore, haud ita publico scholarum, quam privato Tironum, usui apparavi. Cæterum quid vetat, ne scholæ commodum eo juti queant? Si aliqua, paullum notiora, à Magistro prætermissa, privatæ discipulorum diligentiæ fuerint credita. Cujusmodi est in priore Tomulo totus liber tertius, ac primus, præter ea, quæ diximus de modis imitandi, ac vitiis Oratorum in scribenda Oratione, ut nonnisi certa libri secundi capita à Magistro pertractentur. Et quidem in parte tertia (unde initium censeo esse capiendum) tractetur caput I. de stylo. Dein, prætermissis capitis II. plerisque articulis, agatur de sententiis, ac transitionibus, maxime occultis, & ingeniosis. Post sequatur Caput III. de amplificatione, præsertim rerum, cujus singuli modi diligenter sunt explanandi. Inde progrediendum est ad partem ejusdem libri primam, & quæ capite I. de thematis, partitionis, ac suppartitionis inventione dicuntur, accurate sunt exponenda. Dein rursum prætermisso (si tamen libuerit) capite altero de inventione argumentorum ex locis Oratoriis, explicetur solum caput III. & IV. de locis concio-

na-

PRÆFATIO OPERIS.

natoriis, *maxime de Scriptura, & Sanctis Patribus, ubi modi argumenta inde depromendi curatius discipulis commendentur. Similiter inculcentur modi ciendorum affectuum, præcipue, per paraphrasim sacræ sententiæ, jam affectum in se continentis: per figuram conversionis, aut complexionis, vel repetitionis sacræ alicujus sententiæ, vel illius partis, ut Itali faciunt Oratores: aut per apostrophen: vel per exemplum quodpiam Biblicum cum apodosi: vel denique per digressionem moralem, instituto examine factam, ut diximus Tomulo posteriore. Demum deveniendum ad partem libri memoratisecundam, quæ agit de Orationis dispositione, ex qua nihil prætermittendum; imo peculiari cura explananda judico:* 1. *Quæ diximus de exordio à vsceribus causæ, à narratione Evangelica, à paraphrasi sacræ sententiæ, denique à partitione, ac per syllogismum, ut vocamus, fundamentalem ducendo.* 2. *In dispositione confirmationis commendetur chria, syllogismus, enthymema, collectio oratoria, exemplum, & quæ tomulo posteriore diximus de confirmatione concionis moralis. Optimum fuerit struere sacram Orationem per syllogismum, ut dixi, fundamentalem. Denique suadeatur Tironibus, ut nulli adornandæ Orationi se prius accingant, quam illius sceleton sive primam ideam, apparent. Et hæc commodum absolvi queunt anni dimidio. Reliqua temporis pars impendatur Tomulo alteri, sive Eloquentiæ speciatim. Ex qua haud est necesse omnium generum modos singulos à nobis traditos*

ex-

explicare; *sat erit in uno quovis genere unum,* PRÆFATIO
alterumve exponere, qui magis Professori arri- OPERIS.
serit, vel quem is discipulorum usui opportunio-
rem fore judicabit, cæteris discipulorum indu-
striæ commissis. Usu comperi: vel unum Ora-
tionis modum, rite confectum, magnum ad condi-
scendos reliquos lumen, & adjumentum conferre,
ut Tiro jam ipsemet, sine præceptoris præsidio,
facile progredi queat. Cæterum ex didacticis
magnopere commendo paraphrasticum, ex pa-
negyricis mixtum, ex moralibus historicum, præ-
sertim, si ad mediocres Auditores dictio habea-
tur. Nec catechesis grandior, aut moralis dog-
matica est prætermittenda. Hæc de totius ope-
ris nostri usu: quæ eo lubentius à nobis huc adje-
cta sunt; quo promptius parendum erat Illustriss-
simo, ac summe Reverendo Viro, Anselmo de
Jezierskie Bouffat Baffelt, *Sacri Candidi*
Præmonstratensium Ordinis, in celeberrimo Vi-
tovienſi, *prope* Petricoviam, *Conventu, Ab-*
bati dignissimo, qui literis, humanitate pleniss-
mis, nuper è Polonia *datis, nos compellavit,*
ut operis nostri in tradenda Eloquentia Sacra
usum, & modum, quem maxime, discentium com-
modo, haberemus compertum, Religiosis sui
Conventus Alumnis, Eloquentiæ Sacræ operam
navaturis, perscriberemus. Quod etiam eo cura-
tius, ut par erat, præstitimus, quo antiquiore
studio Sacræ artem Eloquentiæ, ad gloriam
DEI, animarumque salutem, magnopere pro-
futuram, quam maxime florere cuperemus.

Et

PRÆFATIO OPERIS.

Et hæc sunt, Domini Candidati, *quæ initio Tomuli hujus præmonenda habui. DEUS Optimus Maximus præstet, ut tenuis hic labor meus bene vobis, ac feliciter vertat ad illius gloriam immortalem.* Dabam Cassoviæ, ex Collegio Academico Soc. JESU, VIII. Kal. Octobris, festo Virginis Beatæ à Mercede dictæ. M. DCC. LXIII.



IN.



INSTITUTIO ELOQUENTIÆ SACRÆ SPECIATIM.



ELoquentia Sacra ſpecia- INSTITUTIO-
tim eſt: ars bene dicendi NIS PROOE-
de rebus ſacris in una- MIUM.
quavis cauſæ ſpecie ſin-
gillatim. Dixi: *cauſæ ſpe-*
cie ſingillatim: ut ſecer-
natur ab Eloquentia ſacra generatim,
quæ univerſe, in quocunque cauſæ gene-

A re,

INSTITUTIONIS PROOEMIUM.

re, de rebus sacris benedicendi artem complectitur. Triplex olim in Eloquentia Civili (ut Tomulo priore (a) dixeram) causarum genus erat: *Deliberativum*, *Exornativum*, ac *Judiciale*. Judicialis usus mutata Reipublicæ Romanæ forma pridem exolevit, eique Didacticum in Eloquentia Sacra successit. Unde triplex Orationis genus est apud sacros Oratores. Didacticum, Exornativum, ac Deliberativum. *Didacticum* docet, *Exornativum* laudat, *Deliberativum* de moribus agit, ac idcirco *Moralis* nomen obtinet. De hac ergo triplicis Orationis specie tribus libris hoc tomulo agam. Primo structuram Orationis Sacræ in genere Didactico exequar: altero genus Exornativum exponam: tertio Morale complectar.

a) *Vide Tom. I. l. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 2. pag. 18.*

INSTI-



INSTITUTIONIS ELOQUENTIÆ SACRÆ SPECIATIM

LIBER I.

DE STRUCTURA ORATIONIS SACRÆ IN GENERE DIDACTICO.



Didacticum (quod *Amadæus*(a) Didascalicum, sive *Doctrinale* vocat) concionandi genus est: illa species Orationis Sacræ, qua Auditores docentur: quid eos scire, quid credere, facere, aut fugere oporteat, ut Deo, ac

a) *In Eloqu. Christ. parte 2. l. 1. in Præfat.*

LIBRI I. PROLEGOMENON.

saluti suæ faciant satis. Unde finis, & officium hujus Orationis haud ita est movere, ac delectare; quam docere, explicare, illuminare res credendas, faciendas, ac fugiendas; & siquid motus, ac delectationis adhibeatur; id omne, veluti adjumentum, ad docendum, tanquam finem, usurpatur. Tria illius genera numerantur: primum est: *Catechetícum*: alterum est *Paraphrasticum*: tertium est *Polemicum*. Singula hoc libro, totidem capitibus, exponam; primum præcepta, postea daturus exempla.

CAPUT I.

DE ORATIONE CATECHETICA.

PRima Didacticæ dictionis species est Oratio Catechetica. De hac primum agam generatim, postea unamquamque illius speciem pertractabo singillatim.

ARTICULUS I.

DE CATECHESI GENERATIM.

§. I.

Natura Catecheseos.

CAtechesis est ejusmodi Didacticæ dictionis genus, quod in explicanda fidei, morumve doctrina Christiana occupatur. Dicitur græce: κατήχησις, sive *instructio*, à græco verbo κατηχίζω, id est: *instruo*; proin κατηχισής, sive in rebus fidei *instructor*,

ctor, communi nomine apud latinos dictus est Catechista; ipsa autem *instructio* Catechesis compellatur. (a) CAPUT I. ARTIC. I. §. I.

II. Hæc ob arcani disciplinam veteri in Ecclesia vigentem sola voce tradi, & aure excipi solebat à *Catechumenis*, quos audientes, vel auditores dixere. Unde Catechesis primum proprie sermo erat de rebus fidei ad instruendos *Catechumenos*, sive baptismum expetentes, viva (ut ajunt) voce tradi solitus. (b)

III. Magnum olim Catechistæ munus erat, quod celeberrimi in Ecclesia viri obiere. In Alexandrina à S. Marco instituta eo perfunctus est: S. Pantænus, vir omni (ut scribit (c) *Eusebius*) eruditione nobilissimus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionysius Alexandrinus &c. In Hierosolymitana Sanctus Cyrillus, primum Catecheseon magister, post ibidem Episcopus, ac idcirco Hierosolymitanus dictus, cujus inter opera etiamnum celebres sunt Catecheses Mystagogicæ, ab eo adhuc adolescente, ad erudiendos tum recens baptizatos, cum ad baptismum accessuros ex tempore Hierosolymis prolatæ. (d)

a) *Domin. Macri in Hierolexico, verbo* Catechista. b) *Idem: verbo* Catechumenus. c) *Histor. Eccles. l. 5. Cap. 10.* d) *Joan. Fauere in Apparatu ad Theol. pag. 113.*

CAPUT I.
ARTIC. I.
§. II.

§. II.

Necessitas Catecheseos.

AT his etiam temporibus nihil perinde sacris Curionibus, atque tradendi Catechismi cura animo infidere debet. Tridentinum certe (*a*) Concilium magnopere non commendat solum, sed præcipit etiam Episcopis, [„ ut saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis „ fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos „ spectabit (*spectat autem ad Parochos, vel eorum adjutores*) doceri curent, & si opus „ sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellant.] Alibi vero eadem (*b*) Synodus sacris rursum Antistitibus imperat, ut Catecheſim, quæ postea hoc Tridentini decreto, iussu Pii V Pontificis Maximi Catechismi Romani nomine edita est, [„ Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, „ atque à Parochis omnibus populo exponi „ curent, ac inter Missarum solennia, aut „ Divinorum celebrationem sacra eloquia, „ & salutis monita eadem vernacula lingua „ singulis diebus festis, vel solennibus ex„ planent, eaque in omnium cordibus, „ postpositis inutilibus quæstionibus, inse„ rere, atque eos in lege Domini erudire „ studeant.]

II. Quod quam fideliter, ac solerter exequendum sit sacris Curionibus, inde patet:

a) *Sess. 24. Cap. 4.* b) *Sess. 24. Cap. 7.*

tet: [„ quoniam adolescentes (*ut ait* (*a*) „ *Ludovicus Lipsin*) ex debita in doctrina „ Christiana institutione virtutem amant, „ vitia aversantur, legibus parent, superiorum mandatis obtemperant, modesti, „ pacifici, humiles, & mansveti fiunt, pura colunt simplicitate Deum, casti, & „ sine crimine vivunt, Religionis, & Ecclesiæ splendorem, & bonam famam augent, bonorumque operum proximo exempla præbent, & cunctos ad virtutis „ studium alliciunt. (*b*)

§. III.

Materia Catecheseos.

CUm Catechismum ejusmodi dictionis sacræ genus esse dixerimus, quod in explicanda fidei, morumve doctrina versatur, perspicuum fit, ejus materiam non esse tantum ea fidei, morumve capita, quæ scire, & credere oportet; sed etiam, quæ agere, aut fugere necesse est. Sed quoniam hæc multa sunt, & varia, ut nec facile animo comprehendi, aut etiam mente comprehen-

a) *Ord. Minor. Convent. in Catechismo Historico Theologico Dogmatico Venetiis edito 1750. in proœmio. Opus utile, ac eruditum.*

b) *Qui plura de Catechismi necessitate, utilitate, præstantia scire volet, legat epistolam Parænetica*m Gedeonis Forster *ad Venerandum Clerum, quam Eminentiss. Card.* Sigismundus a Kollonitz *Archiepiscopus Viennensis ad calcem Catechismi Romani, jussu suo typis Viennensibus rursum editi, adjici curavit.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

sa memoria teneri queant, sapienter majores nostri totam hanc vim, & rationem salutaris doctrinæ, ut, cum se docendi obtulerit occasio, prompta sit, & parata ejus explicatio, in certa capita redegerunt. Et quidem

I. *Catechismus Romanus*, jam ante memoratus, omnem Catecheseos materiam quatuor in partes distribuit. Primum agit de fide, ac fidei symbolo: dein Sacramenta pertractat: post decalogum: denique Dominicam exequitur orationem. [„ Nam „ omnia, (a) quæ Christianæ fidei disciplina „ tenenda sunt, sive ad Dei cognitionem, „ sive ad mundi creationem, & gubernati„ onem, sive ad humani generis redempti„ onem spectent, sive ad bonorum præmia, „ & malorum pœnas pertineant, symboli „ doctrina continentur. Quæ autem signa „ sunt, & tanquam instrumenta ad Divi„ nam gratiam consequendam, hæc septem „ Sacramentorum doctrina complectitur. „ Jam vero, quæ ad leges referuntur, quo„ rum finis est charitas, decalogo descri„ pta sunt. Quidquid denique ab homini„ bus optari, sperari, ac salutariter peti „ possit, id Dominica precatione compre„ henditur. Quare sequitur, ut explanatis „ his, quasi communibus Sacræ Scripturæ „ locis, nihil fere ad eorum intelligentiam,

„ quæ

a) *Catechismus Romanus in Præfatione, Numero 12.*

„ quæ Christiano homini discenda sunt, de- CAPUT I.
„ siderari possit.] ARTIC. I.
§. III.

II. *Petrus Canisius* de Societate nostra Sacerdos Theologus, ac ea tempestate Germaniæ Apostolus, de quo *Albertus*, Dux Bavariæ religiosissimus, illud Ecclesiæ auditus est accomodasse (a): *Petrus Canisius, & Paulus Hoffæus docuerunt nos legem tuam Domine*, paulo aliam tradendi Catechismi init rationem. Totam doctrinæ Christianæ summam in quinque dispescit capita. Primo tractat de fide, ac ejus symbolo: altero explicat spem cum Oratione Dominica, & Angelica salutatione: tertio agit de charitate cum decalogo, ac quinque præceptis Ecclesiæ: quarto complectitur Sacramenta: ultimo denique officia prosequitur justitiæ Christianæ.

III. Atque hæc à *Petro Canisio* digesta tradendæ doctrinæ Christianæ methodus, & materia, eam promeruit approbationem, ut *Ferdinandus* hoc nomine primus Romanorum Imperator, ac *Philippus* Hispaniarum Rex, edito ea de re publico diplomate, hunc solummodo *Canisii* Catechismum suis in ditionibus prælegendum (b) sanxerint; quem deinde ob eximiam ejus perspicuitatem, ordinem, brevitatem, ac soliditatem

a) *In Menelogio Sanctorum, & Virorum Illustrium Societatis JESU ad diem 17. Decembris.*

b) *Ita Richard. Archdekin in præfatione ad summam Doctrinæ Christianæ, Tripartitæ suæ Theologiæ adjici solitam.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. IV.

tota ferme Catholica recepit Reſpublica, ut qui poſtea explicandæ incubuerunt doctrinæ Chriſtianæ, non alium, quam *Caniſii* ordinem, fuerint conſecuti. Multa quidem in eo ad plenam, adultiorum præſertim, cognitionem deſiderari videntur; at hæc docte ſatis, & copioſe expleverunt alii: cumprimis *Franciſcus Amatus Pouget*, Oratorii Gallicani Præsbyter, qui ſuas conſulto ea de cauſa *Catholicas inſtitutiones in modum Catecheſeos*, primum Gallice, poſt Latine, ad *Caniſii* normam, dialogice ſcriptas, in lucem (a) dedit, ut ſcitu digniſſima à *Caniſio* prætermiſſa, ſuppleret.

§. IV.

Forma, & Species Catecheſeos.

FOrma Catecheſeos eſt ratio, & modus, quo ſuſceptum Catecheſeos thema, & argumentum pertractatur. E triplici, ad quos Catecheticus ſermo haberi ſolet, Auditorum ſtatu, tres illius conſurgunt formæ: *humilis*, ſive infima: *mediocris*, ſive temperata: *ſublimis*, ſive grandior. Juvat ſingulas explicare.

I. *Catheſis infima* eſt ejuſmodi dictio Catechetica, quæ ad infimum genus hominum, ut parvulos; haud tamen ultimæ, ſed potiſſimum tertiæ claſſis, de quibus infra,

a) *Duobus tomis Venetiis 1742. in quo innumera propemodum Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, teſtimonia reperies. Opus tectu digniſſimum.*

fra, vel adultos rudiores, homines plerumque agreſtes, & plebejos habetur. Et quoniam forma ſimplici, ac prorſus humili, ſine ullis Rhetorices ornamentis, potiſſimum in modum dialogi, per quæſita, & reſponſa inſtitui ſolet; idcirco humile Catecheſeos genus compellatur.

II. *Catecheſis grandior* eſt, quæ ad homines politiores, & doctiores, in Urbibus plerumque poſitos, ſtylo licet ſubmiſſo, cultiore tamen, ac in forma grandiore, ad ipſius Concionis artificium accedente, adhibitis (in genere attamen Catechetico) ſublimioribus argumentis uſurpatur, ac idcirco ſublimior, vel grandior Catecheſis, *quin etiam* Concio Catechetica, nuncupatur.

III. *Temperata Catecheſis* eſt, quæ ad Auditorem haud equidem rudem, ſed nec admodum doctum, in forma mediocri adhibetur, ut ſtylo, argumentis, nec ad infimum Catecheſeos genus demittatur, nec ad ſublimius evehatur; ſed in medio conſiſtat; unde mediocris vocatur. Compertum enim habemus, homines adultiores, doctrinæ Chriſtianæ non prorſus expertes, jejuna puerorum, ac rudium forma non magnopere delectari; amare contra, ſi capita Catecheſeos ſingula paulo diffuſius, & ornatius expendantur, Scripturæ ſententiis, aut Patrum teſtimoniis confirmentur; exemplis, ſimilitudinibus, maxime popularibus,

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

laribus, ornentur, figuris, præsertim docentibus, illustrentur.

IV. Atque ex his tribus Catecheseos formis tres illius species exoriuntur, tribus reliquis articulis exponendæ. Quanquam etiam quartum, mixtum nempe genus, dari possit, quod ex infimo, & mediocri potissimum coalescit; cum mixti sunt Auditores ex rudium, & mediocrium genere.

ARTICULUS II.

DE PRIMA CATECHESEOS SPECIE.

PRima Catecheseos species est infima, ad rudiores (ut ante dixeram) haberi solita; hæc ut rite fiat: primum dabimus illius præcepta, post aliquas pro faciliori usu industrias adscribemus, demum paradigma subjiciemus.

§. I.

Præcepta Catecheseos infimæ.

QUemadmodum alterius cujusque Orationis: ita Catecheseos infimæ præcepta posita sunt primum in inventione thematis, partitionis, postea in dispositione exordii, confirmationis, & epilogi, demum in elocutione. De his agam.

I. *De themate.* Catechesim formaturus ante omnia thema quoddam particulare constitues; quod depromere potes, vel ex Catechismo Canisii, aut alio ejusmodi libello, materiam Catecheticam complectente, quem per

per capita ex ordine explicandum suscepisti, vel aliunde pro tuo arbitratu. Hujusmodi argumenta in singulas Catecheses jam digesta, & ordinata suis cum partitionibus reperies in *Catechismo Herbipolitano*. Talia sunt: de homine Christiano, de fide Divina, de primo symboli Apostolici articulo, de spe Divina, de Oratione Dominica &c. CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

II. *De partitione.* Thema constitutum divides in capita plura, aut pauciora (ut res, & occasio tulerit) partitionis instar futura, ac potissimum in modum interrogationis proposita, ut ab omni rudissimo quovis percipi queant. Hæc porro partitio sit brevis, simplex, perspicua, ex ipsius thematis *visceribus* eruta, vel saltem cum iis conjuncta. Peti autem possunt è diversis fontibus. Interdum suppeditat *assumptum thema*, partitionem aperte, vel occulte complectens. 1. *Occulte:* cur in precatione Dominica dicitur: Pater noster, qui es in Cœlis. *Partitio:* cur dicitur Pater; non vero Deus? cur dicitur noster; non item meus? cur dicitur: qui es in Cœlis; non item qui es ubique? *Aperte*: quis dicendus Christianus, & Catholicus? primum Christianus; postea Catholicus. 2. Præbet partitionem ipsum *Canisii*, vel alterius *libelli Catechetici* sua ad quæsita *responsum*. Verbi causa: quærit *Nucleus Catecheticus*: quæ est Oratio præstantissima? *respondet*: est Oratio Dominica; quia illam Dominus JESUS, Sapientia Patris

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

tris compoſuit, ac nobis præſcripſit, in qua paucis verbis omnia precanda complexus eſt. *En partitio*: Oratio Dominica eſt precatio præſtantiſſima, quod eſt *thema* Catecheſeos. *Partitio*: quia illam ipſe Chriſtus Divina Sapientia compoſuit. 2. quia Chriſtus nobis eam præſcripſit. 3. quia Chriſtus omnia precanda paucis verbis eſt complexus, quæ partitio profutura eſt etiam mediocri Catecheſi. 3. Sumuntur partitiones *ex adjunctis actionum*, cujuſmodi ſunt: quid res ſit? qua rei natura, eſſentia declaratur. An res ſit? qua poſſibilitas, exiſtentia explicatur. Quottuplex ſit? ſpecies, partes exponuntur. Cur ſit? cauſæ adferuntur: ut efficiens, materialis, formalis, maxime finalis. Qualis ſit? proprietates, & effecta adducuntur. Quomodo ſit? modus declaratur. Quando ſit? tempus, occaſio adferuntur. Verbi cauſa de jejunio dicendum haberes, dabunt partitionem adjuncta actionum in modum interrogationis prolata: quid ſit jejunium? quottuplex ſit jejunium? quomodo ſit jejunandum? quando ſit jejunandum? cur ſit jejunandum? vel *abſolute*: agam de natura, & eſſentia jejunii, de ſpeciebus jejunii, de cauſis jejunii, de effectis jejunii, de temporibus jejunii, de modo jejunandi. E quibus ea deliges, quæ opportuniora fore judicaveris. Hujuſmodi partitiones infimæ Catecheſi profuturas reperies in *Catechiſmo Herbipolitano*, ubi

ubi tota Catecheſeos materia in octo, & triginta Catecheſes eſt diſtributa, cum præfixa unicuivis partitione. Libet exempla adferre. In prima Catecheſi agitur de homine Chriſtiano Catholico, *partitio* eſt: Quis dicendus eſt homo Chriſtianus Catholicus? unde dignoſcitur homo Chriſtianus Catholicus? quod officium eſt hominis Chriſtiani Catholici? In ſecunda tractatur de fide. *Partitio.* Quid eſt fides? quottuplex eſt vera fides? an ad ſalutem neceſſaria ſit vera fides? Catecheſis nona inſtituitur de ſpe. *Partitio*: cur ſperandum eſt? quomodo ſpes excitanda eſt? quando excitanda eſt. 4. Uſurpatur partitio ex *locis generalibus*, ut à poſſibili, impoſſibili: facili, vel difficili: *honeſto*, vel inhoneſto: utili, vel noxio: neceſſario, vel non neceſſario. Verbi cauſa de obſervatione Divinorum mandatorum Catecheſis inſtituenda foret, ſumes partitionem ex locis generalibus: an divina mandata ſint ſervatu poſſibilia? an, ut homines putant, difficilia? an ad ſalutem neceſſaria? 5. Depromuntur partitiones *ex locis Rhetoricis ſpecialibus.* Ut à *diſtributione totius generici in ſuas ſpecies.* Sic in *Catechiſmo Herbipolitano* Catecheſi XIV. agitur de charitate. *Partitio*: de charitate erga Deum, de charitate erga proximum, de charitate erga inimicos. Vel à *diſtributione totius integralis in ſuas partes.* Ut in *Herbipolitano Catechiſmo* Catecheſi XXIX.

tra-

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

tractatur de partibus ad sacramentalem confessionem necessariis. *Partitio est*: 1. de examine, 2. de dolore, 3. de proposito, 4. de ipsa confessione, 5. de satisfactione. Vel à *contrario*. Sic in eodem Catechismo Catechesi XVI. de primo Decalogi præcepto hæc partitio habetur: Quid primum Decalogi præceptum boni præcipiat? quid mali vetet? Aut ab *antecedentibus*, *comitantibus*, & *consequentibus*. Ut in *Catechismo Viennensi* de sacra communione. Quid agendum ante communionem? quid in communione? quid post communionem? (a) Sic de cæteris.

III. *De Exordio.* Complures sunt exordiorum modi in infima Catechesi; vulgatissimus tamen, ac una utilissimus est à repetitione prioris Catecheseos, quæ multiplici modo institui solet. *Primus est*: Si Catechista instituto examine parvulos, ac rudes periclitatus præteritæ Catecheseos materiam summatim repetat. Sit exemplum. *Nupera Catechesi de Fide Divina egeramus. Quantum animadvertere licuit, ejus expositionem belle singuli condidicistis; at nescio, an perinde memoria fideliter retineatis. Si ita? O bellos, ac solertes adolescentes! dignos, quorum ego industriam promeritis rursum hodie præmiis donem. At prius rem periclitemur. Heus tu Andrea cedo nobis:*

a) *Consulto plura partitionum exempla attuli, ut tironibus partitionis inveniendæ facilitatem conciliarem, propositis in diverso fontium genere exemplis.*

nobis: qua de re proxime præterita actum est Catechesi? Puer: *De fide Divina.* Catech. *Egregie meministi! At quid dictum est de fide Divina?* Puer: *Primo explicatum est, quid sit fides Divina?* Catech. *Deinde?* Puer: *Quottuplex sit fides Divina?* Catech. *Demum?* Puer: *An sit necessaria ad salutem fides Divina?* Catech. *Præstantissime reposuisti: nec ego potuissem melius. Cape hanc iconem, tuæ solertiæ præmium. Sed nondum satis. Jam dic tu Bartholomæe? quid sit fides Divina? &c.* Descensus. *Hæc erat nuperæ Catecheseos summa. Nostisne, qua de re futura sit hodierna?* Puer: *Novi: erit de objecto fidei, nimirum: de symbolo Apostolorum.* Catech. *Acu tetigisti! Admirandus est iste puer: nam & futura novit pervidere. Utinam sua illum mater aspectaret! ingens profecto solatium ex eo caperet.* Puer: *Est hic, illic in angulo sedet, ac subridet.* Catech. *Felix Mater, quæ talem peperit filium!* Propositio. *De objecto igitur fidei Divinæ hodie agemus Chari Filii. 1. Quid credendum sit fide Divina generatim? 2. Quid de Deo, ac tribus personis speciatim? 3. Quid de creatione nostra particulatim?* &c. *Alter modus est:* cum ipsemet Catechista sine parvulorum examine præteritæ Catecheseos repetitionem adornat. Sit exemplum: *Superiore Catechesi tractavimus de quarto Decalogi præcepto; diffusius parumper, quoniam Tridentini decreto obstringimur, peculiari cura docere parvulos ad præstandam Parentibus obedientiam. Dixi primum: filios tria pa-*

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

rentibus debere: honorem, amorem, obedientiam, &, si ad egestatem devenerint, alimenta &c. Descensus: *His breviter repetitis, hodierna Catechesi quintum Decalogi præceptum explanabo:* non occides. *Cum vero dupliciter homo occidi queat: corpore, & anima: utramque occisionem pertractabo: primum occisionem corporis, postea occisionem animæ.* &c. *Tertius modus est:* cum utrumque conjungitur, id est, prius Catechista repetitionem adornat; postea parvulos examine periclitatur. *Quartus modus est:* cum ipsi parvuli alternatis percunctationibus, & responsis, clara voce, è loco superiore, ut commodius audiri, & videri queant, præteritæ Catecheseos repetitionem instituunt. *Quinto*: sumi possunt exordia ab Evangelio diei, à circumstantiis personæ Catechesim adornantis, vel Auditorum, item loci, temporis, diei festi; aut ex locis Rhetoricis, ut à genere ad speciem, ab uno contrario ad aliud, vel à sententia Evangelica, aut à similitudine, vel exemplo sacro, aut profano, de quibus infra, in Catechesi mediocri, & grandiori agemus. *Vel denique* sine ullo exordio, ab ipsa statim propositione sermo Catecheticus inchoari potest.

IV. *De Confirmatione.* Confirmatio est, qua principales Catecheseos partes, singulæ per ordinem, exponuntur; unde etiam expositio vocatur. Hæc autem pro captu rudium optime in modum subdivisionis adorna-

ornatur: cum in qualibet parte, aut principali quæstione, rursum aliæ quæstiones, aut capita, ceu totidem suppartitiones, constituuntur. Hanc methodum sequitur *Catechismus Herbipolitanus*, ubi quælibet principalis pars, & quæstio novis aliis eo pertinentibus quæstionibus, & capitibus explanatur. Verbi causa: in eodem Catechismo habetur Catechesi xxvi. hæc principalis divisio: 1. An Missa sit sacrificium? 2. Quale est sacrificium? 3. Quomodo huic sacrificio est adsistendum? Prima pars: An Missa sit sacrificium? his novis quæstionibus, ceu totidem subdivisionibus, pertractatur: 1. Quid est Missa? 2. Unde probatur è sacris literis *Missam esse* Divinum sacrificium? 3. Quando Christus *instituit hoc Missæ* sacrificium? 4. An Christus ab Apostolis, & eorum successoribus præceperit offerri hoc Missæ sacrificium? 5. An re ipsa Apostoli obtulerint hoc sacrificium? &c Atque hac forma, existimo, infimam Catechesim optime, facillime, ac utilissime pertractari posse. Expertus sum: tenta, eadem experieris. Hæ autem subdivisiones iisdem è fontibus peti possunt, è quibus ipsas principales quæstiones, sive partitiones, sumi posse prius dixeramus. 1. Ex *visceribus* cujuslibet principalis quæstionis, sive partitionis; ut patet in allato exemplo. 2. Si singula, aut præcipua cujuslibet primæ partitionis, sive quæstionis, vel ad eam respon-

CAPUT 1. ARTIC. II. §. 1.

CAPUT 1. ARTIC. II. §. 1.

sionis, verba explicentur. Sint exempla: 1. à verbis principalis quæstionis, & partitionis. De Angelica acturus salutatione primum explicares verba Angeli: *Ave gratia plena, Dominus tecum;* postea verba Elisabeth: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui;* demum verba Ecclesiæ: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis* &c. Suppartitio erit à verbis: cur dicitur: Ave? Cur: gratia plena? Cur: Dominus tecum? sic de cæteris. Item ex verbis responsionum: In *Catechismo Herbipolitano* Catechesi II. agitur de fide Divina cum hac partitione: Quid est fides Divina? Quottuplex est fides Divina? An necessaria sit ad salutem fides Divina? Ad primam quæstionem ita respondetur: Fides est donum, ac lumen Dei, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam nobis credenda proposuit, sive illa scripta sint, sive non sint. En suppartitiones ex verbis hujus responsionis: 1. Cur fides dicitur: donum Dei? 2. Cur dicitur: lumen Dei? 3. An fides sit assensus intellectus, vel voluntatis &c. 3. Cum *per circumstantias* quis, quid, ubi, &c. principales partitiones examinantur. Sit exemplum ex *Catechismo Herbipolitano*, ubi Catechesi XIV. agitur de charitate: primo erga Deum, dein erga proximum, demum erga se ipsum. Prima pars ita subdividitur à circumstantiis. 1. Quid est charitas? 2. An hac charitate obstrin-

stringamur amare Deum? 3. Cur amandus est Deus? 4. An ob alias etiam causas possit amari Deus? 5. Quomodo est amandus Deus? 6. An ita queat amari Deus? &c. Quinto sumuntur hæ suppartitiones ex *locis* Rhetoricis *generalibus*, aut *specialibus*. Ut si in partitione, aut quæstione principali reperiatur *totum* aliquod, divide illud in suas *partes*, vel specificas, vel physicas, aut metaphysicas, vel morales. Verbi causa: in *Catechismo Herbipolitano* Catechesi XXVII. quæstio principalis est: qua præparatione accedendum ad sumendam Eucharistiam. *Suppartitio* à distributione generis in species: Qua præparatione corporis? qua præparatione animæ? Vel rei alicujus causæ enumerantur, aut causæ effectus. Sit principalis quæstio in eodem Catechismo reperta: Cur sperandum in Deo? *Suppartitio* à causis, & rationibus: quia Deus est infinite potens, qui nos juvare potest. 2. quia Deus est infinite misericors, qui nos juvare vult. 3. quia Deus est infinite fidelis, qui nos re ipsa juvabit. Postea singulæ subdivisionum partes, at breviter, perspicue, potissimum in modum dialogi, per quæsita, & responsa explicentur; dein (ut *Herbipolitanus* facit *Catechismus*) testimonio scripturæ argumenti veritatem complectente: aut similitudine, sed populari; vel exemplo è sacris plerumque literis petito, ac breviter insperso confirmentur, ac illustrentur. Di-

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

CAPUT I. ARTIC. II. §. 1.

xi *plerumque*: nam nil vetat alia etiam (a) attuliſſe; modo ſacra fuerint, & probata. Explicationi interdum adjungi poſſunt pii, & materiæ convenientes, breves tamen, affectus, adhortationes, morales digreſſiones. Sub finem cujuslibet partis complexionis loco (ſi libuerit Catechiſtæ) inſtituatur anacephaleoſis, ſingulas ſubdiviſionum partes ad quæſita, & reſponſa quam breviſſima redigendo. Cui ſubjungi poteſt brevis adhortatio, & doctrina moralis; at hæc non ita religioſe ſervanda ſunt, ut omitti nequeant.

V. *De epilogo.* Epilogus, ut in aliis orationibus; ita maxime in Catecheſi infima duabus partibus conſtare poteſt: repetitione, & motu. *Repetitione*; cum ſingulæ quæſtiones tam principales ipſius diviſionis, quam aliæ ſubdiviſionum in breviſſimam (ut ante dixi) ſummam redactæ, ne, vel rudiſſimos, fugere queant, in memoriam

a) *Sunt, qui exemplorum altunde, quam è Scriptura, adhibendorum uſum, & morem improbant. At ego nil prorſus in eo mali quidquam pervideo; maxime, ſi è Sanctis Patribus, vel ex probatis Eccleſiaſticis Scriptoribus fuerint deprompta, haud ita ad probandum, quam ad oblectandum, vel certe ad veritatem, jam ante ſuis rationibus probatam, hujuſmodi exemplis uberius declarandam, ac rudium mentibus, qui mirum iis delectantur, ut mea me ſex, & decem, & amplius annorum docet experientia, altius infigendam; præſertim, cum & ipſum Chriſtum, ut Orientalium mori ſemet accommodaret, parabolis uſum fuiſſe legamus: nec Italos Oratores hoc à more abhorrere his etiam temporibus videamus.*

riam revocantur; quanquam hæc repetitio hic in epilogo, si ante in complexionibus singularum partium instituta fuit, præteriri potest. 2. *Motu*, qui adhortatione, ac doctrina morali, vel toti Catecheseos argumento, vel præcipuæ illius parti, ac materiæ accommodata, per aliquam Sancti Patris, aut scripturæ, sententiam excitatur. Hanc methodum usurpat *Catechismus Herbipolitanus*, qui unicuivis Catechesi doctrinam moralem, de qua admonendi sunt Auditores, cum brevi scripturæ sententia eo factura, ad calcem præfigit, ac subjungit. Sic Catechesi prima, in qua agitur de hominis Christiani natura, signo, & officio, hanc doctrinam moralem in epilogo dandam præstituit: adhortare *ad frequentem*, & attentiorem (quod hominis Christiani officium est) verbi Divini, ac doctrinæ Christianæ auditionem, illa Joannis sententia (*a*): *Amen Amen dico vobis, quia, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam.* Catechesi secunda de Fide Divina: adhortare, inquit, fideles ad constantiam in fide, & gratias eapropter Deo agendas; Sectarios vero, & infideles ad veræ Fidei agnitionem, ex illo (*b*) Joannis: *Ego sum pastor bonus* &c. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Sic in cæteris.

CAPUT I. ARTIC. II. §. 1.

a) *Joan. 5. ℣. 24.* b) *Joan. 10. ℣. 14. & 16.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

VI. *De elocutione.* Licet sermo Catecheticus, etiam grandior, submissum universe styli genus depoſcat; infima tamen in hoc ipso humilioris elocutionis genere quam maxime submissum, & familiari sermoni prope simillimum exigit dicendi, & eloquendi modum. Unde transitiones sint apertæ, amplificationes graviores nullæ, figuræ perpaucæ, vel certe docentes; cultu tamen simul aliquo sit prædita, qui varietate Auditorem oblectet; salibus, leporibus, præsertim examini insperſis, tædium levet; similitudinibus, exemplis, rem illustrantibus, gratiam, & attentionem conciliet; denique potissimum dialogo constet.

§. II.

De industriis infimæ Catecheseos.

Licet ad munus artis Eloquentiæ Sacræ haud pertineat tradendæ doctrinæ Christianæ industrias minute perſequi, quia tamen utiles futuræ videntur, in hoc præsertim Hungariæ regno, amicorum consilio adjiciendas putavi, ut rudium Catechesi instituendorum modus, & usus facilius à Tironibus condiscatur. (a)

I.

a) *Has industrias, præter nostras plurium annorum Catechizandi usu collectas observationes, pleraſque deprompſimus ex libellis Catecheticis Ignatii Parhamer Societatis nostræ Sacerdotis, antea Missionarii Catechetici; nunc Cæsaris Augusti Francisci I. conscientiæ arbitri, cui promotæ per Austriam, ac vicinas provincias, Catecheseos gloria merito debetur.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

I. Multum, imo plurimum interest, ut Catechista doctrinæ Christianæ studium promoturus, rudium, & parvulorum animos capiat. Faciet, si pro Catechesi, præsertim pro examine, se familiarem, svavem, ac mitem exhibeat. 1. *Familiarem.* Si modo sermoni quotidiano prope simillimo, interspersis (ut ante dixi) quandoque salibus, utatur; ne parvuli graviori, ac censoria agendi ratione deterriti, ipsam etiam Catecheticam institutionem aversentur. 2. *Svavem:* ut laudibus, promissis, muneribus singulorum animis Catecheseos amorem inspiret; unumquemque suo, vel saltem *filii*, aut *filioli* nomine blande, ac comiter compellet; in excipiendis institutionibus diligentiam, & frequentiam palam pro ipsa dictione prædicet; siquid egregie, ac prompte responsum fuerit, exquisitius approbet, collaudet, ac præmiis donet; hæsitantes suggestis primis responsi verbis adjuvet, hallucinantes excuset, ignorantes pollicitationibus animet. Novi Catechistam, qui manuum complosione parvulo, ad quæsita præclare respondenti, primum ipsemet applaudebat, tum à cæteris plausum (*a*) fieri jubebat. Habebat præterea locum, cæteris digniorem, ubi melius meritos palam considere, vel in altiorem suggestum

a) *Hoc ipsum concionantibus olim factum fuisse memorat S. Chrysostomus, & nos ex Bernardino Ferario retulimus tomulo priore pag. 13. ad notam* n & o.

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

ſtum aſſurgere imperabat ab omnibus aſpectandos. Denique ordinem conſtituit, qui Principis, Ducis, Dictatoris nomine reliquos anteirent, delato etiam publico hujus pii honoris ſigno. 3. *Mitem.* Non igitur acerbis verborum aculeis in parvulos invehatur, nec ignorantes ſeverius increpet, terreat, vel, ut ſtupidos, traducat: abſit, ut manu, aut virga ipſemet corripiat. Curandum equidem eſt, ut parvuli inſtitutionem Chriſtianam quieti, modeſti, taciturni, ſuo quique loco compoſiti, ac ſedentes excipiant; ne Catechiſtæ, cæterisve auditoribus concurſando obturbent: in negligentes tamen, vel inquietos, præſertim publice, gravius advertere, haud erit muneris ipſius Catechiſtæ; ſed unus aliquis cenſoris authoritate præficiendus eſt, cujus interſit univerſe ea curare, quæ fuerint minus grata; hilarem interea ipſe Catechiſta frontem, & animum ſingulis exhibeat.

II. Habeat Catechiſta ſuorum ſyllabum parvulorum, ut ſuo unumquemque nomine affari, & convenire queat. Quos, ſi plures fuerint, certas in claſſes tributim, vel centuriatim pro numero ſcholarum, vel ſuburbiorum, platearum, pagorum, vicorum, vel alio etiam ordine, dividat, ac iterum, ſi res depoſcat, ſubdividat; ſigno aliquo, uni alicui è Sanctis Cœlitibus, unde ſuum poſtea nomen turma illa obtineat, attributo inſtruat, ut parvuli huic adſcripti ſciant,

quod

quod signum sequi, ubi consistere, sub quo procedere debeant, & turma una ab altera discriminari queat. Cuivis turmæ, aut centuriæ Præfecti, vel Propræfecti, aut alio nomine, unus aliquis præponatur, à quo turma illa pendeat, cui morem gerat, quam ille dirigat, instruat, examinet &c.

III. Sic turmatim divisi, suis cum signis, ad certam in Templo stationem, ubi commodum (*a*) considere queant, ad audiendam Catechesim progrediantur, ac iterum pari ordine egressi revertantur. Prius, quam sermo Catecheticus initium capiat, parvuli è memoria recitent precationem Dominicam cum salutatione Angelica, fidei symbolo, decalogo, quinque præceptis Ecclesiæ, quibus brevem cantum subjiciant, quem ipse Catechista finito exordio, ut tædium levet, rursum repetet, ac, ubi dictionem terminaverit, pari concentu DEO laudes, & gratias aget. Materiam autem Catecheseos ita ex ordine tractabit, ut anni unius spatio totam absolvat. In Catechismo *Herbipolitano*, cujus sæpe jam meminimus, universa Catechismi materia in octo, & triginta paragraphos, ceu totidem Catecheses, præstituto unicuivis themate, partitione, ac sup-

a) *Dixi* commodum considere: *nam si steterint, vel alio situ importuniore locati fuerint, minori, quam oporteret, attentione Catechesim excipient: per templum discurrendo, pedibus obstrependo, Catechistæ, cæterisve Auditoribus perquam molesti evadent.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

suppartitione, ut iciatur, quid quavis tractandum sit, est digesta, quod commodum anni decursu explicando finiri potest. Utere, fructum experieris. Festis tamen solennium dierum, vel majoribus Sanctorum celebritatibus, ejus temporis mysteria recolere, vel Divorum laudes, & cultum poterit explicare; præprimis autem Tridentini decreto (a) DEI timorem, peccati horrorem, debitam parentibus reverentiam, & obedientiam inculcabit.

IV. Optandum foret, ut in omnibus totius regni Diœcesibus certus, ac peculiaris quidam libellus Catecheticus, æquabilem interrogandi, ac respondendi formam complexus, rudibus ediscendus, à Catechistis autem explicandus sumeretur. Licet enim tam his, quam superioribus temporibus non pauci, in hoc etiam Hungariæ regno, editi Catechismi reperiantur, qui *Canisii* ordinem secuti, totam Doctrinæ Christianæ summam utiliter complectuntur; in proponendis tamen quæstionibus, ac earum responsis, saltem verbis, magnopere variant; unde parvuli alia, quam didicerint, forma interrogati, persæpe adhæresunt, & ab una ad aliam Scholam, aut Parochiam, vel Diœcesim traducti, non sine molestia novo rursum labore Catechismum condiscendum habent. Hujusmodi libellus luci publicæ datus est (b) *Vien-*

a) *Sess. 24. cap. 4.* b) *Cum hoc titulo:* Allgemein Nothwendiges Frag Büchlein über die Fünff

Viennæ Austriæ, ac publico trium Archiepiscoporum (*a*) Viennensium edicto toti Diœcesi propositus, ac inde ad vicinas plagas non sine fructu est traductus. Persimili de causa typis datus est etiam *Catechismus Herbipolitanus*, atque ad inducendam in omnibus Templis, Scholis, Sacris Missionibus æquabilem explicandæ doctrinæ Christianæ normam, publico Antistitis, jussu tota Diœcesi sparsus. Utinam morem hunc, & formam nostra quoque amplecteretur Hungaria! CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

V. Hanc autem Catechismi materiam, in modum *Viennensem*, ac *Herbipolitanum*, tres in classes, quasi Scholas, secundum triplicem parvulorum conditionem distribuendam existimarem. Primam constituo incipientium, alteram proficientium, tertiam maturiorum, vel si mavis dicere, eruditiorum. Prima *incipientium* classe intelligo parvulos nondum pleno rationis usu præditos. Hi statim, ac loqui cæperint, doceantur Sancta JESU, ac MARIÆ nomina pio cultu pronunciare

haubt-stuck des kleinen Catechismi Petri Canisii versehen zum gebrauch aller Seel-sorgeren, Schul-meistern, Eltern, kindern, und Mitgliedern der Christenlehr Bruderschafft in der Wienerischen Ertz-Bischöflichen Dioeces. *Opera Ignatii Parhamer Societatis JESU, quem Ungarice reddidit, Adamus Kereskényi ejusdem Societatis Sacerdos.*

a) *Nimirum: Eminentissimi Cardinalis Comitis Sigismundi à Kollonitz; dein Celsissimorum Principum Josephi à Trauthson Comitis in Falckenstein, & Christophori Comitis a Miggazzi.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

ciare, Crucem devote formare, Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, ac Fidei Symbolo è memoria recitare, denique ex Catechismo ea condiscere, quæ Theologi necessaria dicunt esse necessitate medii ad salutem, vel saltem eò pertinentia. Altera *Proficientium*, sive mediocrium, classe complector parvulos jam usu rationis instructos, qui ea, quæ dicunt, commodum etiam intelligunt. Hi à prima ad alteram classem traducti, primum memoriæ mandent: decalogum, præcepta Ecclesiæ, numerum Sacramentorum, cæterave. Dein ubi ætate, ac intellectu valuerint, ut Sacramentorum rite percipiendorum capaces censeri queant, doceantur modum, ac ritum peragendæ pœnitentiæ, ac suscipiendæ Eucharistiæ: item eliciendorum actuum fidei, spei, & charitatis: denique ex Catechismo ea, quæ ad uberiorem horum intelligentiam pertinere videntur. Vel, ut in *Herbipolitano Catechismo* adnotatum est, ea, quæ asteriſco, ceu termino, in quæstionum responsis sunt designata. In tertia *maturiorum*, vel potius *eruditiorum*, classe numerantur parvuli, jam præmissa docti, qui diffusiorem mediocris Catecheseos explicationem haud equidem percipiunt; infimam tamen, de qua agimus, assequuntur. Hi præter ea, quæ à classe mediocri memoriæ mandantur, condiscant insuper Scripturæ sententias, & exempla, quæ in *Catechismo Herbipolitano* responsis ad firmandam eo-

eorum veritatem adnectuntur, & postea diffusius pro Catechesi explanari, ac narrari solent. Nam pleraque Hungariæ loca Heterodoxis sunt permixta; hi vero nil, nisi Scripturæ testimoniis firmatum, admittunt; opportune Catecheticis quæstionibus ea Scripturæ loca adjicientur, quibus veritas innititur, & confirmatur. Quod cum *Catechismus Herbipolitanus* affatim præstet, nil eo ad Hungariæ usum accomodatius esse potest. CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

VI. Ut porro rudes, & parvuli Doctrinæ Christianæ, cum habebitur, institutioni frequentes adsint, diligenter exponendum est [quod Segneri (a) admonet] Heris, ac Parentibus publica pro concione primum grave munus, quo præ cæteris obstringuntur ad rectam prolium, & *familiæ* suæ institutionem: dein utilitas, non in parvulos modo, sed in ipsos quoque Parentes, ac Heros promanatura: experientur enim Catechetica institutione sensim mores in meliores commutari, vitia aboleri, majori eos, quam ante, reverentia, fide, obedientia ferri. Revocandæ sunt etiam pœnarum condonationes, sive, ut dicimus, indulgentiæ à Summis Pontificibus iis concessæ, qui Sacram rudibus doctrinam explicuerint, suam ad eos vel adducendos, vel mittendos operam contulerint. Dein non publice solum, sed etiam privatim, suæ unusquisque domi, ea de causa peculiariter à Catechista conveniendus, & admonendus est, ut

a) *In instit. Parochi cap. 8.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

ut liberos, & famulos ad excipiendam doctrinam Christianam in Templum solerter dimittant: nec dimittant modo, sed ipsimet quasi manuducant, ut certius, ac citius eo confluant. Est in Gallia, Belgio, ac Italia Romæ, Mediolani, cæterisve locis in more positum, ut præter ludi Moderatores, dentur etiam pii quidam Magistri, ac piæ Magistræ, quæ suæ viciniæ parvulos, jam à se antea instructos, congregant, atque ad audiendam doctrinam Catecheticam in Templum adducunt, ac iterum reducunt. Quorum laudabilem consuetudinem quid vetat, ne Ungari imitentur? Alii ad provehendum latius hoc studium Doctrinæ Christianæ cœtum erigunt. Qualem Pii V. temporibus primum Romæ anno 1571. feliciter erectum, ac postea à Paulo V. Pontifice Maximo peculiaribus gratiis, ac favoribus novimus exornatum, quem non ita pridem *Viennæ Austriæ* in Domum Professorum Societatis JESU invectum, ac inde per varias Austriæ plagas feliciter propagatum accepimus. Proderit etiam publici Magistratus consilium, opem, authoritatem implorare, ad provehendum, vel excitandum Catechesēos fervorem. Sacris quibusdam Curionibus est in more, non ante plebejos ad ineundum matrimonii Sacramentum admittere, quam è Catechismo periculum subiissent. Facit hæc industria, ut sedulam Doctrinæ Christianæ operam navent.

VII.

VII. Licet parvulorum institutio multum provehi possit in Templis per Catechistam; hic tamen labor ab aliis etiam adjuvari debet. Ac primum à Parentibus, ut parvuli, præsertim *incipientes*, diligenter domi edoceantur ea, quæ superius primum memoriæ mandanda commendavimus. Quod commodum fiet mane, & vespere, ut non ante jentare, vel cubitum concedere sinantur, quam dicta recitaverint, & ad quæsita Catechetica, conceptis saltem verbis, præeunte Matre, vel nutrice, responderint. Postea ad alteram *proficientium* classem traducti, peccata confitendi modum, cæteraque superius memorata instruantur; dum tandem ad tertiam parvulorum classem trajiciantur. Sunt morati quidam Herorum, ac Parentum, qui unum quotidie è libello Catechetico caput, vel saltem aliquot quæstiones, liberis, ac familiæ suæ prælegi, & ab iis memoriæ mandari curant. 3. Adjuvatur scholis: ubi certum, ac definitum à Pædagogo ex libello Catechetico pensum quot diebus condiscendum, & recitandum assignatur. Optimum fuerit, si Catechista proxime futuræ Catecheseos capita, in breviſſimas interrogationes, ac responsiones redacta, prius dederit, vel è libello discenda assignaverit, ut postea adventuro Catecheseos die palam in Templo felicius recitari queant. Dixi: in breviſſimas responsiones, pro mediocri præsertim parvulorum classe: nam si longio-

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

res fuerint, ut difficilius menti infigentur; ita facile oblivioni tradentur. Siqua igitur longior fuerit, in plures breviores, duobus, vel tribus, vel ad ſummum quinque, aut ſex verbis conſtantes, redigatur. Compertum habeo: hac brevium reſponſionum forma, & methodo, plura centenis quæſita, parvi temporis ſpatio, vel à rudiſſimis in claſſe mediocri, fuiſſe percepta, quæ ſi prolixiores fuiſſent, vix unum, alterumve edoceri potuiſſent. Id autem perquam opportunum cenſeo, ut non multa, ſed ad ſummum tria, quinque, aut ſex quæſita, die una ſemel diſcenda, ſumantur, quæ Pædagogus primum ipſe proponat; dein reſponſa ſubjiciat; ac tum parvulos ſimul omnes reſpondere jubeat, repetitis tamdiu vicibus, dum ea aſſequantur (a). Cum autem nova propoſuerit, rurſum priorum dierum quæſita repetat, ne per poſteriora obliterentur priora; immo quidquid hebdomade, aut menſe uno memoriæ mandatum fuerit; id omne ſub finem cujuſvis menſis, aut hebdomadis repetendum erit. Hac methodo non exiguos ſcimus progreſſus eſſe factos. Tenta, eadem experieris. 4. Adjuvatur per domeſticos inſtructores. Sæpe fit, ut Parentibus morbo, aut gravioribus negotiis, vel alia cauſa diſtentis, non va-

a) E *puerorum clamore, cum reſpondebant, cognoſcere ſolebam, num ſint aſſecuti? Nam ſi clamor debilior erat, pauciores; ſi fortior, plures; ſi fortiſſimus, fere omnes reſponſa comperi didiciſſe.*

vacet liberos erudire; suppleant officium domestici Pædagogi. Similiter in pagis, & villis constituendus pro pueris publicus quidam Pædagogus, unus, & alter, si plures fuerint; pro puellabus vero morata mulier hæc, & illa, peculiari industria à loci Curione docta, & delecta, ut definitis in hebdomada diebus confluentes ad se parvulos doctrina imbuant Christiana, eo, quem ante de scholis diximus, modo, quos loci Parochus singulis mensibus, vel saltem quolibet trimestri, periclitetur, quantum profecerint? Pariter Paschatis tempore deliget diem, quo collectos in unum parvulos, instituto cum iis examine, elicito dolore, ac proposito, cæteris ve ad rite obeunda *Pœnitentiæ*, & Eucharistiæ Sacramenta rebus apparabit. *Quod cum* rudibus etiam adultioribus non sine fructu, & in excipiendis erratorum confessionibus laboris compendio, & adjumento, in ipsis quoque Urbibus factitatum scio.

VIII. Quamlibet Catechesim examen consequatur, in quo, ut ante monueram, se placidum, mitem, & prorsus familiarem præbeat Catechista. Hoc porro institui potest: 1. In *exordio*, cum prioris Catecheseos argumentum repetitur. 2. In *confirmatione*, seu expositione, in cujuslibet partis complexione, cum dicta breviter recoluntur. 3. In *epilogo*, cum fit totius Catecheseos anacephaleosis. Denique peracta dictione Catechetica. Fit autem jam ex ipso pulpito, ne tur-

CAPUT I. ART. II. §. II.

ba puerorum obturbet Catechistæ, & adulti circumstantes facilius quæsita, & responsa percipere queant. Vel, si numerosiores sint, educantur in spatiosum quendam locum, ut Templi atrium, aut forum, vel cæmeterium. Novi Catechistam, qui supplicationis instar parvulos publico cum concentu in adsitum campum educere, illic in ordinem, aut circulum redactos instituto examine periclitari, ac postea eadem pompa reducere solebat. Alius publicam ex Catechismo academiam [ut dicimus] in Templo, vel in Scholis invitatis ad eam celebritatem hospitibus, adornabat, quod commode sub anni finem, dum Catecheses solenni supplicatione terminantur, distributis in bene meritos præmiis, instituí potest. Examen autem jam singillatim, jam turmatim simul omnes percunctando usurpetur: nam singulos semper periclitari longum foret; cum autem simul omnes ad quæsita respondent, expertus sum ea re multum ali parvulorum alacritatem, adjuvari adultiorum attentionem, denique plurimum conferre ad res in Catechesi perceptas memoriæ firmius insigendas. Denique illud etiam censui admonendum, ut parvuli examinis tempore quieti, vel consideant, vel in circulum, triplicato etiam ordine, si necesse fuerit, redacti, Catechistam in medio positum modesti circumstent, uno loquente cæteri taceant, non ante, quam interrogentur, respondeant, in responsa alterius haud involent.

volent. Ubi autem reddiderint, Catechista, quod responsum est, resumat circumstantium gratia adultorum; si forte è parvulo non recte audito minus intellexissent; postea brevibus explicet, confirmet; denique monita ad rem factura subjiciat. Præmiis autem, si commodum potest, singulos æqualibus donet, quæ suo unusquisque loco quietus expectabit, ne, visa præmiorum diversitate, parvuli cupidine incensi distribuenti Catechistæ petendo molesti fiant. CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

Atque hæc de industriis infimæ Catecheseos. Utere, si non omnibus, saltem aliquibus pro temporis, ac loci opportunitate. Vos vero per DEI amorem, & Christi sanguinem oro, & obtestor, quibus pro muneris ratione, *Tridentini* decreto, plurimum, & maxime incumbit, ut diligentem tradendi Catechismi curam habeatis. Noveritis à recta parvulorum institutione æternam multorum salutem pendere, quam de manibus Vestris Supremus aliquando requiret Judex. Si autem munere vestro rite perfuncti fueritis, amplissimum in Cœlis præmium feretis: nam, *qui erudiunt multos adjustitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, inquit Isaias.

§. III.

Paradigma infimæ Catecheseos.

UT præcepta exemplis pateſcant, subjicio integrum infimæ Catecheseos paradigma pro Dominica prima post Domini Epiphani-

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

am valiturum. Materia è *Catechismo Herbipolitano* potissimum deprompta, & in hanc formam accomodata (*a*).

EXEMPLUM.

Sententia Sacra: *Post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Lucæ 2. v. 46.

Thema Catecheseos: *de homine Christiano Catholico.* Partitio: 1. *Quis dicendus est homo Christianus Catholicus?* 2. *Unde dignoscitur homo Christianus Catholicus?* 3. *Quod est generatim officium hominis Christiani Catholici?*

EXORDIUM.

Ingressus à narratione Historiæ Evangelicæ: *Jusserat olim DEUS unumquemque virum Hebræum ter in anno adire tabernaculum, vel templum, ut illic oblatis DEUM hostiis publice adorarent. Tametsi hac lege neutiquam teneretur Virgo Sanctissima, pro summa tamen, qua in Numen æternum ferebatur, pietate, ipsa etiam, viro Josepho sociata, ibat per omnes annos in Jerusalem in die solenni Paschæ. Cum annum ætatis duodecimum contigisset JESUS, solutus metu Archelai, jam tum à Romanis in exilium acti,* ascendentibus illis, *nimirum Pa-*

a) *Cum plerorumque in præceptis positorum uno eodemque exemplo ideam dare animus fuerit; hoc paradigma longius processit; quam fortasse unius horæ spatio pronunciari queat; at huic confestim mederi poterit, si aliqua fuerint prætermissa, quæ prætermitti posse docueramus.*

Parentibus, pro consuetudine diei Festi, ipse etiam eo in Templum ascenderat Christus. Quid factum? peractis summa, qua poterant, religione solennibus, revertit Joseph cum Maria in Nazareth; at remansit puer JESUS in Jerusalem. *Jam unius diei iter exegerant, haud tamen cognorant eum remansisse. Existimabant enim optimi Parentes illum esse in comitatu cognatorum, & vicinorum, qui paulum præcesserant, & proximo vespere in hospitio ad cœnam conventuri erant. Sed, cum nec inter notos, & cognatos eum reperissent, suspicati, quod erat, in Jerusalem regrediuntur; illic ingenti eum dolore, ac solicitudine tota Urbe frustra requirunt. Dum tandem* post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

Descensus per apodosim ad materiam præsentem. *En Charissimi pulcherrimum excipiendæ doctrinæ Christianæ modum, cujus hodie novam rursum aggredimur explanationem, à puero JESU vobis propositum. Advertite, quid sacer dicat scriptor:* cum factus esset annorum duodecim, ascendit in Jerusalem, *ut inde discederetis vos pariter, ubi justam attingitis ætatem, ad audiendam doctrinam Catechcticam in hoc Templum* ascendere *debere, & quidem* secundum consuetudinem, *id est: pro solenni probe moratorum adolescentum more constanter, ac diligenter,* ascendentibus [*quod optandum foret*] *Parentibus vestris, vel saltem magnopere accurantibus, ut eo seduli* ascenderetis. *Postea* invenerunt illum; *at ubi invenerunt?* in Templo, *verbo*

CAPUT. I. ARTIC. II. §. III.

divino audiendo attentum; non igitur invenerunt tempore rerum Divinarum in foro, plateis, aut vicis, puerorum more concursantem, strepentem: non in tabernis, choreis, ludis, spectaculis indulgentem: non pravis mulierum consortiis, aut malorum sociorum conventiculis semet implicantem; sed in Templo, *orationis, ac verbi Divini audiendi loco, pie, modeste, pacate* considentem, *magna attentione Doctores* audientem, *& tanta sapientia* interrogantem, *iisve respondentem,* ut stuperent omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus.

Introductio per repetitionem prioris Catecheseos instituto examine factam. *Optarem chari Filii, ut è vobis erudiendis parem, vel saltem non absimilem ego quoque capere possem lætitiam, & voluptatem; verum an hanc pueri JESU in audienda doctrinæ Christianæ veritate solertiam æmulemini, periclitemur. Huc aures arrigite, & ad interrogata una omnes respondete.* Catech. *Quæ de re actum est superiore anno ultima Catechesi?* Pueri omnes. *De quatuor novissimis.* Catech. *Præclare meministis. Quatuor novissima sicut ultima solent esse hominis; ita etiam Catechesis. At cuperem ex vobis scire, quæ sint illa?* Pueri omnes: *Mors, judicium, infernus, cœlum.* Catech. *Quid est mors?* Pueri omnes: *Est separatio animæ à corpore.* Catech. *Ita est Chari Filii: mors separat animam à corpore; imo ab omnibus hujus mundi bonis:* Siccine separat amara mors? *dicebat* (a) *olim Rex pinguissi-*

a) *1. Reg. 15. v. 32.*

guissimus Amalecitarum Agag, cum ad conspectum Samuelis toto tremens corpore adductus fuisset, atque in frusta concisus coram Domino in Galgalis. Jam dic tu Aloysi [assurge parumper, ut te omnes videant, & commodum audire queant] estne omnibus moriendum hominibus? Aloysius. Est: statutum est [ait (a) Paulus] hominibus semel mori; post hoc autem judicium. Catechista. Putabam Chare Aloysi te saltem fore immortalem? Aloysius. Sum equidem; sed vita animæ, non corporis. Catech. Docte, ac præcellenter respondisti! mereris præmium; meretur-ne? Pueri omnes. Meretur. Catech. Cum Aloysius sis, cape hunc Aloysium; sed eum moribus diligenter æmulare. Et quoniam tam eximie respondisti, nunc omnes ei una mecum plausum date. Satis est. Video, non inanem in vobis erudiendis à me operam poni. Pergite, Chari Filii, & quemadmodum superiore, ita anno præsente Catecheticas meas institutiones quam diligentissime excipite, ut hac re pulcherrimum pueri JESU exemplum æmulemini.

Propositio cum partitione. At nostisne, qua de re futura sit hodierna Catechesis? Pueri: Novimus: erit de homine Christiano Catholico. Catech. Ita est: de homine Christiano Catholico agemus hodie, de quo primum tractat noster, quem ex ordine explicandum sumpsi, Catechismus. Tria autem de eo complectemur. Primum: quis dicendus est homo Christianus Catholicus? postea: unde dignoscitur homo Christianus

a) *Ad Hebr. 9. v. 27.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

Catholicus? *demum*: quod est summatim officium, sive obligatio, hominis Christiani Catholici? *Prima parte explanabo naturam; altera signum; tertia officium, sive obligationem hominis Christiani Catholici. Nunc Divinissimum Spiritum, ut suo nobis auxilio hoc iterum anno benignus adsistat, solemni concentu invocemus. Ego præibo; vos me consequemini.*

PARS I.

QUIS DICENDUS EST HOMO CHRISTIANUS CATHOLICUS?

A primo ordiamur. Heus tu Stanislae! cedo nobis è Catechismo tuo: quis dicendus est homo Christianus? Recita clarius, & paulum cum mora, ut te omnes intelligere queant. Præclare edixisti! mereris præmium: cape. Est ergo homo Christianus è mente Canisii, referente nostro Catechismo [legat Catechista ex ipso (a) Catechismo] qui baptismi Sacramento initiatus, JESU Christi veri DEI, atque Hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur: neque sectis ullis, vel opinionibus ab Ecclesia Catholica alienis adhæret. *Verum prius, quam id explicem, audite unum aliquod è sacris literis* [*quod acta* (b) *referunt Apostolorum*] *opportunissimum præsentem ad materiam exemplum. Accidit, ut vir Æthiops, Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, homo præpotens*, venerit in Jerusalem Dominum ado-

a) *Quod sæpius usurpare poterit, ut quasi Catechismum prælegere videatur.* b) *Actor. 8. v. 26.*

adorare. *Quid fit? Interea Domini Angelus apparet, ita ad Philippum locutus:* ſurge, & vade contra meridianum ad viam, quæ deſcendit in Jeruſalem in Gazam, hæc eſt deſerta. *Abit, & ecce revertentem curru, legendoque Iſaiæ intentum offendit Eunuchum. Quare jubente Spiritu confeſtim ad currum accedit, cumque Iſaiam ab eo Prophetam legi audiret, ait:* putaſne, intelligis, quæ legis? *ille vero,* quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? *Non dubito,* Chari Filii, *fuiſſe veſtrum pariter unum aliquem, qui me Catechiſmum legente, ita ſocium pone ſibi adſidentem cum Philippo interpellarit:* putaſne, intelligis, quæ Pater legit? *ille vero cum Eunucho repoſuerit:* quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi. *Ut ergo allatam hominis Chriſtiani Catholici deſcriptionem intelligatis, ſingula, vel ſaltem præcipua ejus capita explanabo.*

I. Pars ſubdiviſionis: Sacramento baptiſmi initiatus. *Ut quis igitur ex vero gaudeat hominis Chriſtiani Catholici nomine,* Sacramento baptiſmi initiatus ſit, *oportet. At dic tu* Bartholomæe: *(a) quamobrem ad rationem Chriſtiani Catholici neceſſe eſt hominem baptiſmate initiari? Ergo Gentiles, Judæi, Turcæ neutiquam ſunt Chriſtiani?* Puer. *Non ſunt.* Catech. *Cur ita?* Puer. *quia in baptiſmi lavacro abluti per Chriſtum renaſcimur in filios*

DEI

a) *Ut parvuli inter Catechiſmi explanationem interrogandi, prompte ſciant ex tempore reſpondere, ſolerter prævie privatim docendi ſunt.*

CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

DEI; cum igitur Gentiles, Judæi, Turcæ hoc modo renati non sint, nec idcirco sunt Christiani. Catech. *Præstantissime! nec ego poteram melius, aut brevius. Sed mysteria locutus es chare* Bartholomæe, *ut intelligantur, opus est ea paulum uberius exponere. Primum dixisti: in baptismi lavacro abluti. Ergo in Baptismo lavamur? abluimur? Lavamur; & quidem à sordibus, & macula peccati [ut ajunt] originalis, ab Ada Parente via humanæ propagationis in omnes posteros transfusa:* in quo omnes peccaverunt, *ait* (a) *Paulus; David vero* (b): in peccatis concepit me Mater mea. *Et propterea Gentium Doctor Paulus baptismum* regenerationis (*a*) lavacrum *compellat. Cur regenerationis? an fortasse baptismate regeneramur, ac renascimur? Renascimur: quia antea per Adæ peccatum mortui fueramus, postea virtute baptismatis, non corporeo, sed spirituali modo regenerati in vitam gratiæ revocamur; per quam gratiam ita renascimur, ut una in filios DEI adoptemur, & capaces reddamur regni DEI, sive illud sit Regnum gloriæ, sive regnum gratiæ. Regnum gloriæ in Cœlis; regnum gratiæ in terris, quod est Ecclesia, in sacris literis persæpe regno Cœlorum comparata, cujus utriusque janua est baptismus: nam per baptismum, ceu januam, primum introimus in Ecclesiam, sive regnum gratiæ in terris, ut inde transeamus in regnum gloriæ æternum in Cœlis. At*

unde

a) *Ad Rom. 5. v. 12.* b) *Psal. 50. v. 7.* c) *Ad Tit. 3. v. 5.*

unde tanta baptismati virtus? Per Christum, & ejus sanguinem, ac merita, aquis baptismalibus, DEI voluntate, unita; nobis vero per earum sacramentalem [ut ajunt] affusionem applicata, ad causandos effectus jam ante memoratos. Bartholomæe! *possesne ista aliquo Divinæ Scripturæ testimonio confirmare?* Puer. *Possum, & quidem verbis* (a) *Christi ad Nicodæmum:* Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua [*nimirum baptismali*] & Spiritu Sancto [*per gratiam virtute Baptismatis infusam*] non potest introire in regnum DEI. Catech. *Eximie!*

II. Pars subdivisionis: veram Christi doctrinam in ejus Ecclesia profitetur. *At quæretis: cum è numero Christianorum excludantur Gentiles, Judæi, Turcæ, an etiam Hæretici? Ajo: Hæreticos, utpote baptismi fonte ablutos, esse quidem Christianos; haud tamen veros; id est: Catholicos. Christianus enim verus, est una Catholicus, qui JESU Christi, veri DEI, atque hominis* [*ut ait Catechismus*] *salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur. Unde ad rationem Christiani Catholici haud satis est baptismate initiari; sed præterea opus est Christi doctrinam, ut in Sancta ejus Ecclesia traditam, ac propositam corde, ore, opere profiteri.* Catholicum *enim* est [*ut ait Vincentius Lirinensis*] quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est; *id autem in una solum Christi Ecclesia præstatur.*

Jam

a) *Joan. 3. v. 5.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

Jam tu, Alexi, *redde nobis causam è Catechismo: cur ad Christiani Catholici nomen recte usurpandum opus sit Christi doctrinam profiteri?* Puer. *Quia Christus est Magister ab æterno Patre nobis præstitutus.* Catech. *Nil ultra?* Puer. *Cujus Doctrina nobis viam in Cœlum præbet.* Catech. *Optime! Reflectite vos, oro, quid Divinus Christo in Jordane, antequam prædicationis magisterium aggrederetur, baptizato dixerit* (a) *Pater?* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, *id est: ejus doctrinam, cum ad vos prædicatum venerit, excipite, & explete: ipse enim est via, veritas, & vita:* Ego sum via, & veritas, & vita (*b*). *Veritas per doctrinam: via per doctrinæ executionem: vita per gratiam ex doctrinæ executione obtentam. Ac idcirco primi fideles, quos antea discipulos, fratres, sanctos, fideles appellavere; à Christo, tanquam Magistro, cujus doctrinam fuerant sectati, mutato* (c) *Antiochiæ nomine dicti sunt Christiani. Nondum satis. Dic iterum tu* Alexi: *Cur ad Christiani Catholici nomen ex vero retinendum debeamus Christi doctrinam profiteri, ut eam Christi Ecclesia tradit, docet, ac proponit?* Puer. *Quia Christi doctrina in ejus solum Ecclesia pure, integre, sine ullius erroris admixtione traditur, docetur, proponitur, ac conservatur.* Catech. *Hæc est columna, firmamentum, & schola veritatis,*

a) *Matth.. 3. v. 17.* b) *Joan. 14. v. 6.* c) Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. *Actor. 11. v. 36.*

tatis, nulli, vel minimo, errori obnoxia, utpote, quam Divinus gubernat Spiritus: Visum est Spiritui Sancto, & nobis, *ita Concilium* (a) *Jerosolymitanum in epistola ad Antiochenos data; Christus vero* (b) *ad Apostolos*: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.

III. Pars divisionis: neque sectis ullis, vel opinionibus ab Ecclesia Catholica alienis adhæret. *Dixi: omnem veritatem, ut intelligatis: ad rationem Christiani Catholici necessarium esse, ut nullis sectis, vel opinionibus ab Ecclesia Catholica alienis adhæreat, ut ait Catechismus; nam si vel unum errorem adversus Christi doctrinam pertinaciter tueretur; jam confestim à cœtu Christiano Catholico excluderetur. Non meum, sed Christi* (c) *dictum est*: qui Ecclesiam non audit; sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. *Præterea è mente Jacobi* (d) *Apostoli*: quicunque totam legem servaverit; offendat autem in uno, factus est omnium reus: *quoniam perinde Divina spoliatur gratia, quam si totam legem transgressus fuisset; ita si reliquam omnem Christi doctrinam profiteatur, at vel uni capiti fidem neget, factus est perinde infidelis, quam si totam ejus doctrinam pernegasset: cum perinde in uno, quam in pluribus, falli, & fallere nesciam DEI loquentis authoritatem in dubium revocet. Vultis hoc Scripturæ Divinæ exemplis illustrari?* Pueri. *Volumus.* Catech. *Quid Thomas egit Apostolus?*

an

a) *Actor. 15. v. 28.* b) *Joan. 16. v. 13.*
c) *Matth. 18. v. 17.* d) *Jacob. 2. v. 10.*

CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

an universam inficiatus fuerit Christi doctrinam? Absit! Quid ergo? Uni solum Christi resurrectioni, de qua apertum piæ mulieres, cæterive Apostoli testimonium perbibebant, fidem dare abnuebat, & ecce! ab ipso Christo, ei se aspectabilem præbente, & sua vulnera, ut firmius crederet, exhibente, increduli, ac infidelis nomine compellatur (a): noli esse incredulus, sed fidelis. *Similiter* Hymæneum, & Philetum, *velut ad omnem factos impietatem, declinandos Timotheo præcipit* (b) *Paulus. Cur?* quoniam à veritate exciderunt, dicentes: resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorundam fidem.

Complexio per repetitionem ab ipso Catechista sine instituto examine factam. *Videte jam, & intelligite,* Chari Filii, *quid sit hominem esse Christianum, & Catholicum? Quod, ut firmius menti vestræ infigatis, hactenus dicta breviter repetam, ac velut in pugnum contracta sub vestrum aspectum ponam. Si quæsiero: quot sunt necessaria ad rationem hominis Christiani Catholici constituendam? reponite: tria. Quod primum? ut sacramento baptismi initietur. Cur? quia in Baptismo per Christum renascimur in filios DEI. Quod alterum? ut Christi doctrinam modo à Christi Ecclesia tradito profiteatur. Cur? quia Christus est Magister; Ecclesia vero est schola veritatis, in qua hæc Christi doctrina pure, integre traditur, & conservatur. Quod est tertium? ut nulli sectæ, ac erro-*

a) *Joan. 20. v. 27.* b) *Ad Gal. 5. v. 2.*

errori, vel minimo, ab Ecclesia damnato, pertinaciter adhæresçat. Cur? quia, qui Ecclesiam non audit, est tibi sicut ethnicus, & publicanus.

Motus per adhortationem proposito convenientem. *Nunc* Chari Filii *quam ingentes DEO præpotenti gratias habere debeamus, quod singulari sua clementia nos in sanctum hunc Christianum, Catholicum cœtum aggregarit. Poteramus, si Divinæ illius potentiæ visum fuisset, inter Gentiles, Judæos, Turcas, vel Hæreticos nasci, pravis eorum religionibus enutriri; at DEI Optimi, Maximi, beneficentia eruit nos de potestate tenebrarum, & in admirabile fidei, & Ecclesiæ suæ lumen vocavit, ut illic ei verius famularemur. Quare satagite, ut huic tanto beneficio ex æquo moribus vestris respondeatis.*

PARS II.

UNDE DIGNOSCITUR HOMO CHRISTIANUS CATHOLICUS?

Quemadmodum res cæteræ creatæ sua habent signa, quibus facile prodi, ac dignosci solent; ita homini etiam Christiano suum Christus indidit signum, quo à cætero hominum infidelium cœtu facillime discriminari queat. At quæretis: ecquod est istud Christiani Catholici signum? Reponit Catechismus: est signum Sanctæ Crucis, *de quo Paulus (a):* mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. *Est quidem signum Crucis* Judæis scandalum, gen-

a) *Ad Gal. 6. v. 14.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

tibus stultitia, *hæreticis nuga; at* nobis *Christianis Catholicis est* DEI virtus *maxima. De hac tria complectemur: primum, quomodo formandum est Sanctum Crucis signum? Deinde, quos ob fines formatur Sanctum Crucis signum? Denique, quando formatur hoc Sanctum Crucis signum?*

I. Pars subdivisionis. *Quomodo formandum est Sanctum Crucis signum? Ajo: duplicem esse illius in Ecclesia modum, & usum. Primus est majoris; alter est minoris. Quis modus est majoris? Cum porrectam manum dextram, & extentos quinque digitos primum fronti applicamus, nominando Patrem:* in nomine Patris. *Postea ad imum pectoris demittimus, dicendo:* & Filii. *Demum ad sinistram, ac inde ad dextram trajicimus, proferendo:* & Spiritus Sancti Amen. *Hic modus est majoris. Jam quis est minoris? Extentis manus dextræ tribus digitis: medio, annulari, & auriculari; indice ad pollicem inclinato, & conjuncto, primum frontem Cruce signamus* [*aspicite, & videte*] *prolatis verbis:* in nomine Patris; *dein os communimus, dicendo:* & Filii; *demum pectus, nominando:* & Spiritus Sancti Amen. *Advertistisne?* Pueri omnes. *Advertimus.* Catech. *Experiar.*

II. Pars subdivisionis. *Jam quos ob fines formatur Sanctum Crucis signum? Catechismus tres numerat: primum ad profitendam fidem Christianam; dein ad recolendam Christi passionem; demum ad fugandos Dæmones, ejusve ministros. At, quæ fidei Christianæ capita profitemur Sancto Crucis signo? Primo profitemur*

mur mysterium Trinitatis; & quidem in Cruce minori: Crux in fronte Patrem divinitatis principium esse notat; sicut caput est primum humano in corpore membrum. Crux in ore, Filium Patris verbum esse probat. Crux in pectore, vel corde, Spiritum Sanctum, amorem, ab utroque, Patre nimirum, & Filio, spiratum significat: cor enim est sedes amoris. Similiter in Cruce majori exprimitur Trinitas personarum: cum apertis verbis primum Patrem, postea Filium, demum Spiritum Sanctum nominamus, ac, ne quis tres Deos esse putet, exprimimus Divinæ naturæ unitatem, cum dicimus in nomine; *non autem* in nominibus, *ut hac voce, singulari numero prolata, tribus Divinis personis unum esse nomen, id est: unam esse naturam, unam virtutem, unam authoritatem significemus. Exprimiturne etiam Incarnatio? Exprimitur, & quidem in Cruce minori, cum indicem ad pollicem adjungimus, ut in Christo duas esse naturas, Divinam, & humanam, in personæ unitatem conjunctas confiteamur. In Cruce autem majore: cum manu ad imum pectoris demissa, DEI Filium, ex utero Virginis salutis nostræ causa hominem esse factum, indicamus. Et quid de Passione, ac humani generis redemptione? Hæc altera formandæ Crucis causa est, ut ea Christi Passionem recolamus. At quando id facimus? Cum formato super nos Crucis signo Christum in Cruce pro salute nostra passum, & mortuum esse denotamus; quinque autem digitis quinque Christi vulnera exprimimus; humani ge-*

CAPUT 1. ARTIC. 11. §. 111.

neris vero redemptionem, cum manu ab humero sinistro ad dextrum translata, nos per mortem Christi de potestate Diaboli ad libertatem filiorum Dei traductos esse significamus. O quanta ergo pietate, quanto religionis affectu hoc Sanctum Crucis signum formare nos oportet Chari Filii: cum tanta, & tam magna DEI beneficia, & fidei nostræ capita, ac mysteria eo recolantur! Tertia formandæ Crucis causa est, ut Dæmones, ejusve Ministri hoc signo fugentur, præsertim, si vera cum fide, ac pietate usurpetur. At unde tanta huic signo virtus? A Christo Crucifixo, qui Dæmonem sua morte in Cruce devicit. Poterat in veteri (a) testamento Serpens æneus DEI jussu à Moyse in deserto exaltatus, qui Christi in Cruce exaltandi typus erat, eam vim habere, ut, quisquis ab ignitis serpentibus, quos DEUS ob jacta in se, ac Moysem murmura immiserat in Israelitas, percussus eum aspexerat, confestim fuerit consanatus. Cur non posset inesse similis virtus Crucis signo à Christo, in Crucem acto, ut, quisquis eo se communiverit, nihil ei inferni serpentes nocere queant? Creditisne hoc Chari Filii? Pueri omnes. Credimus. Catech. Et credatis oportet: nam probatissimis veterum Patrum testimoniis, & exemplis comprobatur. Refert Lactantius (b): consultum ab Imperatore Dæmonis oraculum nihil quicquam responsi dare ausum fuisse præsente Christiano; imo fugatis Dæmonibus sacra omnia fuisse conturbata

a) *Num. 21. v. 8.* b) *Divin. Instit. lib. 4. cap. 27.*

ta ob Christianum Crucis signo semet communientem. De Juliano etiam Apostata memorat Gregorius (a) *Nazianzenus, cum magicis artibus operam navaret, subito terrore correptum Crucis signum sibi impressisse, & confestim spectra omnia evanuisse. An eadem est virtus etiam in præstigias, incantationes, cæterasque artes veneficorum? Ita sane: refert Bartholomæus de Spina: confessam fuisse strygem quamdam, se quinquagies, & amplius domum vicini adiisse; ut parvulum in cunis jacentem præfocaret; nihil tamen adversi ei facere potuisse, cum invenerit Crucis signo semper communitum. Discite Parentes, discite Matres, discite Nutrices, non ante proles vestras, aut curæ vestræ traditas, ad quietem componere; quam eas Crucis signo consignetis. Est enim Sanctum Crucis signum præsidium firmissimum, & scutum nunquam expugnandum, in omnes Dæmonum, ejusve Ministrorum insultus, ac infestationes* (b).

III. Pars subdivisionis. *Nunc videamus: quando formandum est Sanctum Crucis signum? Varii varias ejus usurpandæ præstituunt occasiones, quas ad tria contrabo capita: primum ad orationem, postea ad pericula, demum ad actiones. Cur in Oratione adhibetur? Oratio, si recte memini, est mentis ad DEUM elevatio, vel certe hominis cum æterno Numine sermocinatio.*

a) *Orat. 3. adversus Julian.* b) *Plura de signi Sanctæ Crucis usu, virtute, efficacia veterum Patrum testimonia collecta reperies apud Pouget Instit. Cathol. Tom. I. par. 2. sect. 2. cap. 2. §. 7.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

natio. *An non autem addecet, ut hanc cum DEO collocutionem inituri, à signo Crucis, à nomine Patris, & Filii, ac Divini Spiritus (quibuscum sermonem habituri sumus) inchoemus. Quid agit Mater Ecclesia? nonne quoties, seu Divino dat operam officio, seu sancta peragit Missarum solennia, toties ab implorato DEI auxilio, & Crucis signo initium facit? Altera usurpandæ Crucis occasio sunt pericula. Hæc autem dupiicia esse solent: animæ, & corporis. Quando adhibetur in periculis animæ? Cum tentationibus, pravis cogitationibus, aut suggestionibus, vel desideriis mens, & animus exagitatur. Ita legimus Angelicum Doctorem Divum egisse Thomam Aquinatem. Hic in carcerem suus à Fratribus conjectus, ut à religionis ineundæ proposito dimoveretur; primum fœminam, suæ pudicitiæ insidias parantem, ardenti titione fugavit; postea cum ingentibus carnis stimulis ad flagitium urgeretur; eodem titione Sanctum Crucis signum format in pariete, ut coram provolutus, impuros corporis motus Crucifixi memoria sedaret. Et ecce! in somnis duobus ab Angelis sentit sibi lumbos, quodam veluti baltheo, tam arcte constringi, ut toto vitæ tempore omnis postea motus, & illecebræ expers fuerit effectus. Istud vos etiam agite* Chari Filii, *si animum pravis cogitationum, vel corpus fœdis motuum ignibus ardere advertatis, confestim Sancto Crucis signo cor vestrum communite, & impura hæc incendia, quibusdam velut aquis, restincta sentietis. Adhibetur Crux in periculis corporis.*

Quæ

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

Quæ sunt illa? Cum præcipitium, lapsus, aliudve malum impendet, aut coorta gravi tempestate Cœlum fragoribus, tonitribusve, aut fulminibus conturbatur. Narrat Florimundus (a) *Remondus, gravis Scriptor: Genevam versus Catholicum cum Hæretico una iter egisse. Repente sæva exoritur tempestas cum ingenti tonitru, fulguribusve. Catholicus pro more identidem se se Cruce signat. Quid Hæreticus? Ille irridere, cachinnari, per jocum, ac ludibrium Catholicum traducere:* an muscas abigeret? *Non tulit Sanctæ suæ Crucis irrisionem Deus: horrendo, non diu post, Cœlum fragore concutitur, & lapsum è nubibus fulmen, incolumi ad latus Catholico, recta petit, & extinguit contemptorem. Ite jam Crucis hostes, & cavillemini Sanctum ejus signum ad fugandas solummodo muscas esse inventum. Ita est, fugat muscas Crux Christi; sed morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti; & proveniunt à principe dæmoniorum, qui Belzebub, id est: muscarum Deus compellatur. Tertia usurpandæ Crucis occasio sunt actiones. Quæ illæ? omnes equidem; sed maxime graviores. Pauli gentium Doctoris* (b) *monitum est:* sive manducatis, sive bibitis, seu aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. *Præterea: omnes, ut suo nobis auxilio adsistat Deus, ardenter exoptamus. Quando, oro, certius istud sperare; sanctius illud explere possumus, quam, si formato Crucis signo actiones nostras in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti inchoemus?*

a) *Lib. 8. c. 4. §. 1.* b) *1. ad Cor. 10. v. 31.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

mus ? Atque istud est quod Sanctam Eustochium *Virginem Sanctus admonuit* Hieronymus : ad omnem actum, ad omnem incessum manu pingas Crucem. *Quasi diceret*: Eustochium! *si cubitum concesseris, si è strato consurrexeris, manu pingas Crucem. Si iter agendum, si domo eggrediendum, si revertendum fuerit, manu pingas Crucem. Si cibo, aut potu corpus reficiendum, si colus, si acus tractanda, si libri versandi, manu pingas Crucem. Egistisne hæc* Chari Filii? *Si ita? bene est. Si secus ? satagite, ut ab hoc temporis momento, sanctum Crucis usum, in creberrimum actionum vestrarum morem revocetis.*

Complexio per repetitionem instituto examine factam. *Nunc experiamur, an de hoc Sancto Crucis signo, factam à nobis explanationem, probe menti vestræ impresseritis ?* Catech. *Quod est Christiani Catholici signum?* Pueri omnes. *Est signum Crucis.* Catech. *Cur?* Pueri. *Quia illud est Judæis scandalum, gentibus stultitia, Hæreticis nuga; nobis autem Christianis Catholicis, qui eo soli utimur, DEI virtus.* Catech. *Quomodo formatur hoc Sanctum Crucis signum?* Pueri. *Dupliciter: modo majori, & minori.* Catech. *Quos ob fines usurpatur hoc Crucis signum?* Pueri. *Ob tres.* Catech. *Primum ?* Pueri. *Ad profitendam fidem Christianam.* Catech. *Deinde ?* Pueri. *Ad recolendam Christi passionem.* Catech. *Demum ?* Pueri. *Ad fugandos Dæmones.* Catech. *Quando formatur hoc Sanctum Crucis*

signum

signum? Pueri. *Tempore Orationis.* Catech. *Quando adhuc*? Pueri. *In periculis animæ, & corporis.* Catech. *Quando demum*? Pueri. *Ante actiones graviores.* Catech. *Belle respondistis.* CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

Motus per adhortationem. *Jam satagite* Chari Filii, *ut quocunque ex prædictis ante modis, & occasionibus, uno, hoc Sanctum Crucis signum formandum habueritis, illud* distincte, reverenter, *ac* religiose *faciatis.* Distincte: *non mediam duntaxat, ut quidam in majori Cruce moris habent: aut puncta tantum in minori; sed veras, integras, nec nimium magnas, nec admodum parvas efformetis. Postea* reverenter: *non præcipiti, aut jocularí quadam, & ludicra manus agitatione; sed convenienti cum gravitate, quæ interioris reverentiæ præbeat indicium. Denique* religiose, *id est: cum ingenti pietatis sensu, & religionis affectu ad recolendam Christi passionem, & profitenda fidei nostræ capita, tanquam signum mysteriis plenissimum, usurpetis. Jam ad officium Christiani Catholici transeamus.*

PARS III.

QUOD EST GENERATIM OFFICIUM CHRISTIANI CATHOLICI?

Plura sunt hominis Christiani Catholici officia speciatim considerata; de quibus nunc agere non est nostri propositi; erit tempus ea uberius alibi exequendi; solum agemus hodie de officio hominis Christiani Catholici generatim. At dic nobis è Catechismo tu Ignati (*consulto te appel-*

CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

lo in memoriam Magni Ignatii de Lojola, *per quem* [*ut divinum* (a) *ait officium*] *& conditam ab eo Societatem, templorum nitor, tradendi Catechiſmi cura ingens in Eccleſia incrementum accepere*) *ecquod eſt illud hominis Chriſtiani Catholici officium generatim?* Puer. *Ut doctrinam Chriſtianam probe condiſcat.* Catech. *Nihil porro?* Puer. *Ac, dum habebitur, diligenter audiat.* Catech. *Bellerem dixiſti. Homo Chriſtianus, ut ſalutem ſuam conſequatur, Chriſti doctrinam exequatur oportet; at quomodo exequetur, niſi ſciat? quomodo ſciet, niſi condiſcat? quomodo condiſcet, niſi audiat? quomodo audiet ſine prædicante? Eapropter Diviniſſimus Servator Chriſtus tres ipſos annos prædicando impendit Evangelio*, docens quotidie in Templo, *ut ajunt ſacræ* (b) *literæ; imo teſte Luca* (c): ibat per Civitates, & Caſtella docens, & iter faciens in Jeruſalem. *Duo igitur de hoc Chriſtiani hominis officio exequar: primum, ecquid diſcendum eſt ex doctrina Chriſtiana? Dein, quomodo audienda eſt hæc doctrina Chriſtiana? A primo inchoemus.*

I. Pars ſubdiviſionis. *Quæ ſunt illa Chriſtianæ doctrinæ capita ab uno quovis homine Chriſtiano ſcienda, & condiſcenda?* Reponit Catechiſmus: *quinque. Primum eſt de fide, ac fidei ſymbolo, ab ipſis Apoſtolis, antequam ad prædicandum Evangelium in univerſum orbem diſpergerentur, confecto. Alterum eſt de Spe, ac*

recte

a) *In lect. Breviarii.* b) *Luc. 19. v. 47.* c) *Luc. 13. v. 22.*

recte sperandi modo, Oratione nimirum Dominica, & Angelica salutatione. Tertium est de Charitate, ac ejus indicio, quo se prodere solet, Divinorum nempe mandatorum observatione, id est: decalogo, ac præceptis Ecclesiæ. Quartum est de Sacramentis, maximis salutis nostræ subsidiis. Quintum est de officiis justitiæ Christianæ. Et his quinque capitibus continetur tota Doctrinæ Christianæ summa, quam si condidiceritis, explebitis procul dubio princeps hominis Christiani officium, ad quod explendum gravissima lege omnes obstringimini; nos vero futuris Catecheticis institutionibus uberius explanabimus.

II. Pars subdivisionis. *Jam quomodo audienda est hæc doctrina Christiana, exponenendum venit. Pulcherrimum in eo exemplum vobis præbet puer JESUS. Hic primum legitur in Templum ascendisse, postea in medio Doctorum sedisse, dein eos audiisse, demum ad eorum interrogata tam belle respondisse, ut mirarentur* super prudentia, & responsis ejus. *Non absimili ratione à vobis etiam excipiendæ sunt institutiones Catecheticæ: primum oportet vos in templum* ascendere, *id est: cum in templo habebuntur, diligenter adire, nulla de causa, si fieri potest, unquam præterire: dein cum* ascenderitis, *pie, modeste, pacate illic* considere, *summa cum attentione explicantem Catechistam* audire; *denique ad interrogata quampromptissime* respondere. *Hoc parvus fecit JESUS, cujus vestigiis insistatis oportet; si vestrum hominis Christiani officium explere velitis.*

EPI-

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

EPILOGUS.

Atque hæc sunt Chari Filii, *quæ de homine Christiano Catholico, hoc primo sermone ad vos dicenda habueram. Quæ si mente, & intellectu assecuti estis, magnopere gaudeo, ac immortales eapropter DEO ter Optimo, Maximo, & ejus Filio Sanctissimo Christo JESU, gratias ago, qui tantum mihi virium, ac ponderis tribuisse dignatus est, ut verba mea comprehendere valueritis. Ac ut porro memoria retineatis, en iterum dicta breviter recolam, ac totam dictionem vestros quasi sub oculos ponam.*

Anacephaleosis totius Catecheseos per ipsum Catechistam sine examine parvulorum. *Tripus illa constitit capitibus. Primum: quis dicendus est homo Christianus Catholicus? Postea: unde dignoscitur homo Christianus Catholicus? Demum: quod est officium generatim hominis Christiani Catholici? Quod ad primum spectat: ad constituendam Christiani Catholici rationem tria exiguntur. Primum: ut Baptismo initietur. Unde Gentiles, Turcæ, Judæi neutiquam sunt Christiani; quoniam non sunt per Christum in filios Dei renati, nec per baptismum, ceu januam, in Ecclesiam ingressi. 2. Ut Christi doctinam, ut ab ejus Ecclesia traditam, ac propositam profiteatur: quia Christus est Magister; Ecclesia autem est Schola veritatis, nulli unquam errori obnoxia: quoniam à Divino Spiritu sibi semper adsistente gubernata, in qua hæc Christi doctrina pure, ac integre conservatur. 3. Ut nulli sectæ, vel opinioni adver-*

adversus Ecclesiæ doctrinam pertinaciter adhæ-rescat: nam si vel uni adhæserit, factus est in-fidelis, ut Divi Thomæ Apostoli exemplo pro-batur. Quod alterum attinet: hominis Christiani Catholici signum, est signum Sanctæ Crucis; quod duplici formatur modo, majori, & minori. Majori in hunc modum + + minori in istum. Usurpatur autem tres ob causas. 1. *Ad profiten-dam fidem Christianam: profitemur autem in eo Trinitatem, Incarnationem, humani generis Re-demptionem &c.* 2. *Ad recolendam Corisii Pas-sionem.* 3. *Ad Dæmones fugandos, ut innu-meris exemplis patet. Tribus vero in occasioni-bus adhibetur: ante, & post Orationem: in pe-riculis animæ, & corporis, ut in tentationibus, adversus præstigias, denique ad fulgura, toni-trua, fulmina. Demum ante actiones, præser-tim graviores. Quod ad tertium spectat: homi-nis Christiani generatim acceptum officium est: do-ctrinam christianam condiscere, & audire. Con-discenda sunt quinque: fides cum Symbolo: spes cum Oratione Dominica: & salutatione An-gelica: charitas cum Decalogo, & præceptis Ec-clesiæ: Divina dein Sacramenta: denique officia justitiæ Christianæ. Audienda est autem doctri-na Christiana cum diligenti frequentatione, cum attenta auditione, cum modesta in templo conver-satione. Hæc est totius dictionis summa.*

Motus per doctrinam moralem, non toti Catecheseos argumento; sed uni ejus parti, nimirum tertiæ, convenientem. *Nunc* Chariſſimi *sanctissimis Vatis Regii verbis ser-*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

sermonem concludo: venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Quasi dicerem: per salutem vestram, quam indipisci desideratis, obtestor vos chari filii,* venite, *id est: diligenter, ac solerter Catechetica meas institutiones adite, nec adite solum, sed præterea* audite me, *id est: quam attentissima eas aure excipite,* timorem Domini, *ac cætera obtinendæ æternæ vitæ remedia* docebo vos. *Memineritis, quid Divinissimus Servator Christus audituris appromittat:* Amen, Amen dico vobis, quia, qui audit verbum meum, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. *Miramini tam multos hominum, etiam Christianorum, æternum interire; at si mentem, & animum adverteritis ad inveteratam socordiam, & torporem in audiendo Dei verbo, confestim mirari desinetis.* Qui audit verbum meum, *inquit Christus,* & credit ei *fide, ardenti charitati, quæ his Catechetici institutionibus inflammari solet, conjuncta;* *is* habet vitam æternam. *Vultis chariſſimi hanc vitam consequi? Eja* venite filii *mei,* audite me; *si enim audieritis verbum meum, & credideritis ei fide, ut ante dixeram, charitate succensa, vitam æternam habebitis. Amen* (a).

ARTI-

a) *Siquis acrius contenderit hoc paradigma, ob diffusiorem Dialogis interpositam explicationem, Mixtæ potius; quam solius Infimæ Catecheseos ideam præbere; pace mea, ita sentiat. Id certum: erit in eo exemplum utriusque: Infimæ, si explicationem prætermiserit, vel saltem contraxerit; Mixtæ, si adjecerit.*

ARTICULUS III.

DE ALTERA CATECHESEOS SPECIE.

§. I.

Præcepta Catecheseos mediocris.

ALtera Catecheseos species est temperata, sive mediocris, inde dicta: quoniam infimam inter, & sublimem medium locum tenet; fieri tamen potest, ut aliquando infimæ propior sit, quam sublimi, & vicissim. De hac agam.

I. *De thematis inventione.* Themata Catecheseos mediocris, perinde ac infimæ, didactica esse debent, sive ejusmodi, quibus dogma aliquod fidei credendum, aut mysterium sciendum, vel Sacramentum usurpandum, aut præceptum opere implendum, vel virtus consectanda, aut vitium fugiendum didactico more, sive, cum Orator plus docere, quam movere, ac delectare intendit, proponitur. Hæc porro themata promi possunt vel ex verbis Catechismi ad explicandum sumpti, vel alunde; ornatius tamen, quam in genere infimo, sunt proponenda, plerumque in absolutæ modum propositionis; quanquam nil officiet etiam simplicius, ac vulgarius protulisse, modo in cæteris differat Oratio. Verbi causa: habet minor Canisii Catechismus: *unde modum recte sperandi, & petendi discimus*? respondet: *ex Oratione Dominica*; fac thema: Oratio Dominica est opti-

CAPUT I. ARTIC. III. §. 1.

optimus, & efficaciſſimus recte ſperandi, & petendi modus. Item ex eodem Catechiſmo: *Charitas eſt virtus, qua Deus diligitur propter ſe, proximus autem propter Deum.* &c. Hæ autem materiæ [cujus maxime author ſum] poſſunt eſſe vel continuatæ ſecundum ordinem, quo una excipit alteram in Catechiſmo; aut variæ, & permiſtæ, ipſi Evangelio, aut verbis illius, quod Romanus admonet Catechiſmus, & nos infra uberius dicturi ſumus, accomodatæ. Exempli cauſa: Dominica XVI poſt Pentecoſten legitur: *Si licet Sabbato curare?* dic: de cultu dierum feſtorum: quid tum ſit agendum, à quibus abſtinendum. Dominica I. Adventus habetur, *erunt ſigna in ſole, & luna* &c. explica Symboli articulum: qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Sic de reliquis.

II. *De Partitione.* Partitiones Catecheſeos mediocris ex iiſdem fere fontibus ſumuntur, ex quibus infimas depromi diximus; paulum tamen politius ſunt efferendæ. In infima Catecheſi partitionem adornares *ab adjunctis*, quæ ſunt fons uberrimus partitionum: quid ſit jejunium? quando ſit jejunandum? cur ſit jejunandum? elegantius efferes in mediocri: primum exponam naturam jejunii; poſtea tempora jejunii; demum cauſas jejunandi. Vel de blaſphemia: quid ſit blaſphemia? quottuplex ſit blaſphemia? quomodo

do puniatur blaſphemia? Primum loquar de natura blaſphemiæ; poſtea de ſpeciebus blaſphemiæ; demum de pœnis blaſphemiæ. Vel: agam de fidei neceſſitate; poſtea de excellentia; demum de praxi. Pertractabo rei naturam, dein objectum, denique formam. Explicabo rei eſſentiam, dein exiſtentiam, poſtea cauſas, demum effecta. Sic de reliquis. 2. Sumi poſſunt partitiones *ex verbis Catechiſmi* partitionem complectentis. Ita *Antonius* (a) *Ardia*, Italus, tractaturus de triplici ſigno Sanctæ Crucis in fronte, ore, pectore formatæ, ſumit partitionem ex verbis Catechiſmi à ſe explicati: *primam Crucem formamus in fronte, ut nos Deus liberet à malis cogitationibus: ſecundam in ore, ut nos Deus liberet à malis verbis: tertiam Crucem facimus in pectore, ut nos Deus liberet à malis operibus.* Ita tu faceres ex verbis Caniſii [quod ante diximus] charitas eſt virtus à DEO infuſa, qua DEUS diligitur propter ſe; proximus autem propter DEUM. Vel de pœnitentia: eſt Sacramentum, in quo remiſſio peccatorum à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur. 3. Sumuntur partitiones *ex verbis Scripturæ, & Sanctorum Patrum*, partitionem Catecheticam complectentium. 1. Ex verbis Scripturæ: *infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit in-*

a) *Tubæ Catech. p. 1. Inſtr. 10.*

CAPUT 1. ARTIC. III. §. 1.

firmum, &, si in peccatis sit, remittentur ei. Fructus extremæ unctionis: 1. Si ita expedit, salvabit infirmum: & *oratio fidei salvabit infirmum.* 2. Alleviabit infirmum: *& alleviabit eum Dominus.* 3. Peccata remittet infirmo: *& si in peccatis sit, remittentur ei.* Vel extremæ unctionis minister est Presbyter: *inducat Presbyteros.* Materia est oleum infirmorum: *ungentes eum oleo.* Forma est oratio: *& orent super eum.* Ex verbis SS. Patrum: *Antonius* (a) *Ardia* de recta prolium educatione acturus verba Augustini usurpat: attendendum in prole, *ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur.* 4. Sumuntur partitiones Catecheticæ *ex locis generalibus, & specialibus.* Ex Generalibus: eleemosynam dare est honestum, est utile, est necessarium. Ex specialibus: 1. *A definitione*, verbi causa, baptismi à diversis Sanctis Patribus allata: baptismus est lavacrum regenerationis, est janua Ecclesiæ. 2. *A divisione generis in suas species*: agam primum de baptismo fluminis, postea de baptismo flaminis, tertio de baptismo sanguinis. *A divisione totius in suas partes integrantes*: dicam primum de materia baptismi, postea de forma baptismi, demum de intentione in baptizante. Partes pœnitentiæ sunt tres: prima est contritio, sive dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem aspirantis: alte-

a) *Tubæ Catech. p. 3. Instr.* x.

altera est confessio, seu peccatorum coram Sacerdote explicatio: tertia est satisfactio, seu vindicta de se ipso repetenda. *A proprietatibus*: juramentum ut sit legitimum, conjunctum esse debet cum veritate, cum justitia, cum judicio. *A causis efficientibus*: Gratiæ Sacramentalis causa principalis est DEUS, causa moralis sunt merita Christi, causa instrumentalis est ipsum Sacramentum. *A causis finalibus*: Sacramentum Matrimonii à DEO institutum est: ad agendam individuam vitæ societatem: ad proles sanctæ suscipiendas, & educandas: ad peccata fædæ libidinis evitanda.

III. *De exordio, & introductione.* Exordia mediocris Catecheseos, non secus ac infimæ, sumi possunt: 1. A repetitione prioris Catecheseos, sed elegantius isthic, quam illic instituenda; unde postea descensus fiat ad præsentem Catecheseos materiam. Res clara est, non eget exemplo. 2. A narratione simplici, vel elegantiori Historiæ Evangelicæ, seu illa sit diei Dominicæ, seu festi. Paradigma dedimus superius in Catechesi infima, plura reperies tomulo priore (*a*). 3. A sententia Evangelica, vel alio Scripturæ textu, in dictionis argumentum assumpto, eorumve paraphrasi, cujus exemplum dabitur in Catechesi grandiore. 4. Sumuntur exordia

a) *Vide Tomulum priorem, l. 2. p. 2. cap. 1. Art. 2. §. 2. n. 1. 2. 3.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. I.

è fontibus exordiorum communibus: ut à genere, à contrario, à similitudine, ab exemplo, ab adjunctis, vel à controversa aliqua quæstione &c, de quibus tomulo priore locuti sumus, & amplius loquemur in Catechesi grandiore. Exempla reperies apud *Ardia*, *Claus*, *Dorn*, *Segneri* in Homine Christiano. *Introductio* in Catechesi mediocri persæpe prætermittitur; si tamen usurpanda censeatur, instituitur vel à præcedentis Catecheseos repetitione, vel à paraphrasi sententiæ, aut historiæ Evangelicæ, vel ab explanatione naturæ rei, præsertim, si partitio Catechetica sumatur à proprietatibus, vel etiam aliunde, ex fontibus nimirum introductionis priore tomulo relatis.

IV. *De Confirmatione.* Confirmatio mediocris Catecheseos non secus ac infimæ, institui potest per subdivisionem [vel, si libuerit, sine illa] differt tamen hæc ab ea, quoniam illa singulas confirmationis partes, vel subdivisionum capita, in modum dialogi, per quæsita potissimum, & responsa, sine uberiori explicatione, argumentis popularibus, ut similitudine, exemplo [quemadmodum ante diximus] breviter adornat; hæc contra diffusius, & ornatius, argumentis paulum gravioribus [mediocri tamen Catechesi, & Auditori convenientibus] ab authoritate Scripturæ, Patrum, Conciliorum, vel etiam ex

ali-

aliquo Rhetorum loco depromptis, uberius explicat, & confirmat. Verbi causa: si agatur quid res sit? explanatur rei natura per definitionem, nominis notationem, conjugata, paraphrasim &c. Si quæstio instituatur: an res sit? tunc declaratur rei existentia, productio, dependentia, necessitas per causas, effecta, adjuncta, comparationem, testimonia Scripturæ, Patrum. Qualis res sit? per enumerationem partium, distinguendo totum in partes, genera in species. Cur sit? indagando causas, rationes, maxime finem rei. Quomodo sit? explanando modos rei faciendæ, assequendæ, vel exercendæ, aut fugiendæ, *propositis ad ea remediis*, occasionibus, modis, & adjumentis, *removendo item difficultates contrarias*; maxime adhibentur similitudines, exempla, sed paulum illustriora. Insperguntur etiam breves affectus, morum digressiones, adhortationes, præsertim in complexionibus cujuslibet partis, pro ratione materiæ, & argumenti; ut Oratori libuerit.

V. *De epilogo.* Epilogus mediocris Catecheseos similiter, ac infimæ, duabus partibus constare potest: *repetitione*, ac *motu.* Repetitione: rudiorum præsertim, cum admixti fuerint, Auditorum gratia, totam Catecheseos summam in brevissima capita redigendo, ad eum, quem in infimæ Catecheseos paradigmate dedimus, modum.

CAPUT I. ARTIC. III. §. 1.

dum. Dein *motu* per doctrinam moralem, vel toti Catecheseos argumento, vel alicui præcipuæ illius parti convenientem, cum aliqua Scripturæ, vel Sancti Patris sententia paulum amplificata, pro more Gallorum; vel, quod Pater *Ardia* cum Italis usurpare solet, illustri quopiam exemplo præsenti materiæ accomodato, quod totius argumenti, vel illius partis præcipuæ veritatem, velut in speculo, proponat, cum apodosi concluditur.

VI. *De elocutione:* Elocutio mediocris Catecheseos in humilioris styli genere mediocris esse debet; in eo autem potissimum ab infima discriminari solet, quod hæc brevius, ac, ut ante dixeram, simplicius, plerumque in modum dialogi per quæsita, & responsa, sine uberiore, ac profundiore explanatione soleat adornari; illa vero diffusiorem admittat explicationem, argumentis non solum à simili, & exemplo petitis; sed etiam ab authoritate Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, aut Conciliorum, vel etiam ex aliquo Rhetorum loco. Hæc autem uberior explicatio duplici modo, quem Romanus etiam (a) Catechismus innuere videtur, tractari potest: primum *siccius*, & *pressius*, ad morem nempe scholasticum, qua re infimæ propior erit Catechesi. Dein more Oratorio

a) *In Præfat. Indicis Evangeliorum Dominicalium.*

rio *copiosius*, & *ornatius*, quo ad grandiorem accedet. Utrobique transitiones sint apertæ, figuræ didactico solum generi convenientes, cujusmodi sunt: interrogatio, sustentatio, communicatio &c. affectus parciores, ac leniores, vel, si graviores fuerint, ad epilogum rejiciendi. CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

§. II.

Paradigma Catecheseos mediocris.

HOc paradigma Catecheseos mediocris deprompsimus ex Tuba (*a*) Catechetica *Antonii Ardia*, Itali, de Societate nostra Sacerdotis, atque in hunc, qui sequitur, modum præceptis nostris accommodavimus.

EXEMPLUM.

Thema Catecheseos: *De causis, & mysteriis signi Sanctæ Crucis.* Partitio. 1. *De causis, & mysteriis signi Sanctæ Crucis, cum nos signamus.* 2. *De causis, & mysteriis signi Sanctæ Crucis, cum verbis bene precamur.*

EXORDIUM.

Ingressus à quæstione controversa juxta modum tomulo priore (*b*) relatum. *Non satis erat Divinissimo Servatori sua morte vitam nobis comparasse; volebat præterea hujus suæ mortis instrumentum nobis relinquere in præsidium, ac defensionem.*

a) *Tubæ Catech. p. 1. Instr. 9.* b) *Tom. I. l. 2. p. 2. C. 1. Art. 2. §. 2. num. 7.*

CAPUT 1. ARTIC. III. §. 11.

Proponitur quæstio. *Communis, ac per-vulgata quæstio esse solet: cur Sanctissimus Redemptor Christus è tot mortis generibus, quibus poterat obiisse, non alibi, quam in Cruce delegerit mori? Nunquid poterat velle occidi in Bethlehem cum innocentibus? Nunquid poterat Jerosolymis gladio feriri cum Joanne Præcursore? Cur non sivit se de monte præcipitem agi, ut Judæi intendebant? Vel lapidibus mactari, quod Pharisæi minitabantur? Sed evitatis omnibus moriendi periculis in una solum voluit Cruce mori?*

Resolvitur quæstio è mente S. Augustini. *Varii varias ad dissolvendam hanc quæstionem adserunt causas, & rationes. Mihi cæteris præcellentior esse videtur ista; & quæ præcellentissima non esset magni responsio Augustini? Volebat nobis Redemptor relinquere (ait ille) in Cruce sui instrumentum triumphi, & simul arma subministrare, quibus multas consequeremur victorias. Perpendite, oro, si Dominus noster non in Cruce, sed gladio, vel lapidibus mortem oppetiisset, eaque nobis pro armis reliquisset, nunquid sæpius victi fuissemus? Cum non semper armati, nec lapidibus instructi esse possimus; Dæmon vero, proditoris instar, vel rabidi canis, improviso invadere solitus, quam facillime inermes devincere potuisset.* Noluit lapidari (*verba sunt Sancti* (a) *Augustini*) aut gladio percuti, quia nos semper lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. *Recte igitur, & sapi-*

a) *Apud Ardia loco citato Serm. 181. de Temp.*

sapienter egit Servator Christus, cum videret inimicum nostrum, proditorum more, nostram in perniciem vigilem semper, & attentum; nos vero sæpe incautos, ac negligentes, quod arma delegerit quam facillima, quam maxime obvia, quæ nobiscum tam die, quam nocte: tam in somno, quam in vigilia: in labore, & otio: in publico, & privato semper deferre, nunquam iis carere, semper ad manum habere possimus, quemadmodum nostra nobis semper adest manus.

Applicatur ad præsentem materiam. *Hæc ergo Crucis arma, junctis duobus digitis formata, sunt gladius potentissimus adversus omnes inimicos. Et hac de causa delegit Dominus Crucem in sui instrumentum triumphi, ut in hac Cruce haberemus arma semper in manibus, ac digitis nostris posita, ne unquam armorum defectu ullius victoriæ occasionem prætermitteremus.* Elegit vero Crucem (*inquit Augustinus*) quæ levi motu manuum exprimitur, qua & contra inimici versutias muniamur.

Propositio cum partitione ex verbis Catechismi deprompta. *De hoc ergo Crucis signo, quod ex ordine explicandum venit, hodie agam Auditores. Quærit Catechismus?* Quomodo usurpas Crucem? Usurpo signando me, & bene precando: per signum Sanctæ Crucis ab inimicis nostris libera nos Domine, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. *Cur ais signando me, & bene precando? Ergo binæ istæ voces diversum aliquid significant? Ita sane: nam formare Cru-*

CAPUT 1. ARTIC. III. §. II.

cem sine verbis, est se tantummodo signare *; formare autem Crucem prolatis verbis est una* bene precari. *Primum exponam causas, & mysteria signi Sanctæ Crucis, cum nos signamus; postea causas, & mysteria signi Sanctæ Crucis, cum prolatis verbis bene precamur. Ordiamur à primo.*

PARS I.

DE CAUSIS, ET MYSTERIIS SIGNI SANCTÆ CRUCIS CUM NOS SIGNAMUS.

Haud parum negotii faceſſunt Scripturæ interpretibus verba Davidis, quibus ille laudes, & gratias DEO agit Præpotenti, quod manus ſuas docuerit ad prælium, & digitos ſuos ad bellum: Benedictus Dominus DEUS meus [*inquit* (a) *David*] qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. *Quid eſt* Auditores *manus docere ad prælium, & digitos ad bellum?* Nunquid hæc unum idemque ſonant? *abſit! Quid ergo? Si ſenſum ſpectemus literalem, & hiſtoricum, grates hic DEO refert David, quod ſibi auxilio feliciter adfuerit in bello, & prælio adverſus Goliat geſto, quem lapide è funda in frontem impacto, manibus, ac digitis ſuis glorioſe proſtravit; at ſi rem ſymbolice conſideremus: manus præliantur, & digiti bellant, quando Sanctum formamus Crucis ſignum: tunc enim digiti deſerviunt manui, potentiſſima veluti arma, ad hoſtes noſtros Crucis ſi-*

gno

a) *Pſal. 143. v. 1.*

gno profligandos. Duo ergo instrumenta, in signo Sanctæ Crucis adhibemus, cum nos signamus: manum, & digitos: utrumque non sine causa, non sine mysterio.

I. Pars subdivisionis. *Eja nunc Auditores attollite manum! At qualem manum? Manum dextram: quis enim tam hospes, ac peregrinus est, ut ignoret, in formando Crucis signo dextram esse usurpandam? Solum igitur quæretis: cur ad nos Sancta Cruce signandos dextram adhibeamus? Ne putetis, velim, hoc exile, ac minutum aliquid esse, quod nullam, vel certe exiguam mereatur attentionem. Sæpe in rebus minimis (teste Bellarmino) summa religionis nostræ mysteria latent abscondita. Ac ut hoc intelligatis: mille, & quingenti amplius fluxere anni, ex quo Divus Martyr scripserat Justinus. Hic est priscorum vetustissimus Patrum, & vicinissimus temporibus Apostolorum. Audite, quid de Sancto dicat* (a) *Crucis signo?* quoniam nostrorum honorabilissima quæque ad DEI honorem seponimus; ita dextra manu in nomine Christi consignamur; quia honorabilior existimatur, quam sinistra. *Quasi diceret: signamus nos manu dextra: cum in rebus Divinis, ad DEI cultum, & obsequium spectantibus, nobiliora semper sunt deligenda; manus autem dextra, cum semper honoratior fuerit habita, quam sinistra, idcirco nos dextra potius signamus, quam sinistra. Accedit: quod morata (ut sagacissimus belle advertit Augustinus) hoc à nobis exigat educa-*

a) *Apud Ardia quæst. 118. ad Orthod.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

ducatio. Quid, oro, an filios vestros arreptum sinistra cochlear in patinam inferre sineretis? Absit! nam si hoc pateremini, agrestis profecto, & inculti parentis nomen neutiquam effugeretis; quanquam crebrius experiar multam hac in re parentum negligentiam. O quam mala persæpe est parvulorum educatio! quam rusticis, ac stolidis moribus imbuuntur! ut ne decore quidem norint manducare. Nolite hæc Magistris imputare: licet enim hi parvulos vestros erudiant; haud tamen semper eorum lateri adsistere possunt, ut doceant modum recte manducandi. Sed hæc quasi per transennam dicta sunto; ad Sanctum revertamur Præsulem Augustinum (a): Nonne corripis eum, qui de sinistra voluerit manducare? *Jam si tu grandem reputas inurbanitatem sinistra edere? quanto major inhumanitas erit in rebus ad DEI cultum, & honorem pertinentibus dextram non adhibere?* Si mensæ tuæ (*inquit Augustinus*) injuriam putas fieri à manducante de sinistra, quomodo non fiet injuria DEO, si quod dextrum est, sinistrum fecerit? *En causam, cur in formando Crucis signo dextram usurpemus. Videte: an doctrina hæc exile aliquid complectatur?*

II. Pars subdivisionis: *Cum manum jam paratam teneatis, agite, cur, & quomodo in formando Crucis signo digitos vestros adhibere debeatis? Crucem igitur facturi, primum exporrigite tres digitos: medium, annularem, & auricularem; postea extendite pollicem, & ad eum indicem*

a) *Apud Ardia in psal. 136.*

cem inclinate. Cur istud? explico. Pollex princeps digitus est manus nostræ, qui à Græcis (a) antichir (ἀντίχειρ) sive altera, vel adversa manus compellari solet. Nam sicut una manus adjuvat alteram ad vim rei alicui inferendam; ita solus pollex tantum valet, quantum reliqui digiti, quoniam reliquos omnes adjuvat in rebus agendis, apprehendendis, & movendis. Hic ergo pollex significat Christi Divinitatem, quæ vim, & valorem indidit infinitum operibus Christi, quæ David vocat opera digitorum: quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum (b). Huic Divinitati unita est humanitas, quæ digito indice, ea propter dicto: quoniam illo res indicare, ac demonstrare solemus, repræsentatur. Quo enim fine, ac consilio DEUS in mundum venit factus homo, quam ut nobis viam indicaret ad Cœlum; imo ipse via nostra foret: ego sum via (c), & cum cœlestis vita in æterno Patre sit posita, viam nobis ostenderet ad Patrem: ostende nobis Patrem, & sufficit nobis (d). Inclinatur autem in formando Crucis signo index ad pollicem: quia humanitas inferior est Divinitate, ac, ut inde disceremus: quomodo DEI Filius de Cœlo in terram missus inclinavit, id est: humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis (e). Usurpatus verò mos

CAPUT. 1. ARTIC. III. §. II.

a) ἀντίχειρ, *pollex*, ex ἀντὶ, & χείρ, *manus*, *quod solus tantum valeat, quantum reliqui quatuor digiti.* Beniaminus Hedericus in Lexico.

b) *Psal. 8. v. 4.* c) *Joan. 14. v. 6.* d) *Joan. 14. v. 8.* e) *Ad Philip. 2. v. 8.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

mos iste fuit in Ecclesia conjunctis duobus digitis formandi Crucem, ut ea re profiteremur: duas esse in Christo naturas in unitatem personæ conjunctas: humanam scilicet, & Divinam, adversum Hæreticos Monophisitas, *qui unam in Christo naturam dari blasphemantes, teste* Nicephoro (a), *uno solum digito Crucem effingebant; ad eos igitur refellendos duobus digitis formandi Crucem mos cœptus erat.*

Complexio I. partis. *Cernite jam Auditores: quomodo, & quamobrem Sancto Crucis signo vos signaturi manum, & digitos usurpetis? Manum dextram: quoniam hæc nobilior est, quam sinistra; duos postea digitos: indicem nempe, ac pollicem invicem conjunctos, ut his humanam Christi naturam Divinæ Personæ unitam esse profiteremur. Benedictus ergo DEUS, qui docuit manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum ad profligandos Crucis signo omnes nostros inimicos. Qua autem id fiat ratione, nunc explicandum venit.*

PARS II.

DE CAUSIS, ET MYSTERIIS SIGNI SANCTÆ CRUCIS, CUM VERBIS BENE PRECAMUR.

Paratis ad Crucem formandam ipsis etiam digitis, progrediamur ad verba, quibus in hoc sancto Crucis signo bene nobis precamur: per signum Sanctæ Crucis (*inquit Catechismus*) libera nos Domi-

a) *Niceph. Hist. Eccl. l. 18. cap. 53.*

Domine ab inimicis nostris in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

I. Pars subdivisionis: per signum Sanctæ Crucis libera nos Domine. *Est hæc precatio piissima, atque ad obtinendum quodvis à Deo præsidium quam efficacissima. Hic enim profitemur præcipua religionis nostræ capita: in hac interponimus precibus nostris Divinissimæ Triados authoritatem; hac invocamus Christum monstrato illi suæ Sanctæ Crucis signo*: per signum Sanctæ Crucis libera nos Domine: *quo quid efficacius esse potest? Explico rem similitudine: accidit, ut gravioris cujuspiam negotii causa unus vestrum aliquis peregre proficiscatur. Quid fit? adest repente nuncius, rem commodatam Heri sui nomine repetiturus. Quid agitis? cum nec ipsi commodum redire, nec famulos, quos domum dimittatis, in promptu ad manum habere possitis: eja, dicitis, vade ad uxorem meam, dic: ut rem petitam confestim tibi tradat. Quid ille? ignotus, inquit, ei sum: nullam dictis meis fidem habebit. Tum, aitis: ergo cape hanc pixidem, vel hunc annulum, exhibe uxori, quæ, viso hoc signo, continuo, quod petis, reddet tibi. Ita factum: vadit, porrigit, & extradit. Haud aliter nobiscum evenire solet* Chari Auditores. *Crucem formaturi quid aliud quam Christum interpellamus?* per signum Sanctæ Crucis libera nos Domine: *quasi diceremus: en Christe! signum tuum, unde cognoscere potes me esse de tuis domesticis unum. Ex hoc meminisse potes: quid pro me egeris, quid passus fueris? Tu mihi signum istud reliquisti, ut si ego tui*

fuero

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

fuero recordatus, tu mei pariter recorderis. Hoc est signum à te mihi relictum in signum, quod me redemeris, quod mortem pro me sustinueris. Nunc ergo te per hoc sanctissimum mortis, ac Crucis tuæ signum oro, & obtestor: libera me Domine ab inimicis meis. *Perpendite, oro,* Auditores, *an quidpiam negabit Dominus ei, à quo humili cum fiducia ita fuerit interpellatus? Absit! Hoc totum agitis* Chari Auditores, *cum formato Crucis signo, in hæc verba pie precamini*: per signum Sanctæ Crucis libera nos Domine ab inimicis nostris.

II. Pars subdivisionis: in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Prolatis his verbis progredimur dein ad formandas tres breviores Cruces: primam facimus in fronte, ubi intellectus residet, qui est principium animæ nostræ potentiarum, ut ea re significemus: æternum Patrem esse principium, & originem reliquarum personarum: Filii nempe, & Spiritus Sancti. Alteram formamus in ore, unde verba, quibus internas promimus mentis nostræ cogitationes, provenire solent: ut hoc profiteamur secundam Trinitatis personam esse Filium, Patris verbum, ejusdem cum eo substantiæ, è Divina illius mente profectum. Tertiam ducimus in pectore, super cor, amoris sedem, ut Spiritum Sanctum, Divinissimum amorem à Patre, & Filio spiratum, tertiam esse in Trinitate personam doceremus. Factis tribus ita Crucibus, facimus unam longiorem, manu integra, tres reliquas complectentem: dextra nimirum à fronte ad pectoris imum ducta,*

ac

ac inde ab humero sinistro ad dextrum translata, quo significamus: quemadmodum hæc longior Crux tres reliquas ita comprehendit, ut hæc una tantum ponderis, ac virium habeat, quantum obtinent tres aliæ, & una quævis è tribus tantum, quantum altera; similiter Divinissimæ Trinitatis personæ licet inter se sint distinctæ, unum tamen natura, & essentia Deum efficiunt; ut quævis illarum perinde sit verus, infinitus, ac Omnipotens DEUS, quemadmodum reliquæ personæ. Atque istud est, cur dicimus in nomine; *non autem* in nominibus, *ut hoc singulari numero tribus personis unum esse nomen, unam virtutem, unam potestatem indicaremus. Dicimus autem* in nomine Patris, *manu ad frontem appositâ, ut significemus Patrem non solum esse principium Filii, & Spiritus Sancti; sed etiam Patrem in excelso Divinitatis, ac gloriæ suæ throno constanter persistitisse, nunquam de Cœlo in terram missum fuisse. Demissa dein manu ad pectoris imum, proferimus:* & Filii, *ut confiteamur Filium non solum ex æterno Patre esse genitum; sed etiam de Cœlo in terram delapsum, ut propter nos homines, & propter nostram salutem in purissimo Virginis utero homo fieret. Demum manu à sinistra ad dextram translata concludimus:* & Spiritus Sancti, *ut denotemus Spiritum Sanctum non tantum esse nexum, qui Patrem unit cum Filio per amorem; sed etiam fuisse causam, quæ in castissimis Mariæ visceribus Sacratissimam Verbi Divini operata est Incarnationem. Ecce* chari Auditores *quomodo Crucis signo præcipua fidei nostræ mysteria profiteamur. Profitemur mysterium Trinita-*

 nita-

CAPUT 1. ARTIC. III. §. II.

nitatis tribus, ut ante dixi, crucibus; una autem Cruce profitemur cum Trinitate summam naturæ unitatem. Profitemur Sacratissimum Incarnationis mysterium duobus, quos jungimus, digitis: duas in Christo esse naturas, humanam scilicet, & Divinam in personæ unitatem conjunctas; manu vero à fronte ad ventrem, humanæ generationis locum, demissa, profitemur Christum, pro nobis hominem esse factum, passum, & mortuum. Dein manu integra Crucem effingendo, profitemur quinque digitis quinque Sacratissima Christi vulnera; & factam passionis virtute peccatorum nostrorum remissionem, cum manum à latere sinistro, quod est damnatorum; ad latus dextrum, quod est electorum, transferimus. Demum Cruce, hoc in latere terminata, profitemur labores nostros, pugnas nostras, prælia nostra, si constantes perstiterimus, vita æterna in Cœlis esse remuneranda. O quanta ergo pietate, quanta religione, & affectu hoc Sancto Crucis signo signare nos oporteat, cum tanta, & tam ingentia DEI beneficia, ac Religionis nostræ capita, & mysteria eo recolantur.

III. Pars subdivisionis: ab inimicis libera nos Domine. *Ad extremum quæretis ex me Auditores: qui sunt hostes illi, & inimici, à quibus virtute signi Sanctæ Crucis petimus liberari:* per signum Sanctæ Crucis ab inimicis nostris libera nos Domine. *Ajo: omnes illos esse, quicunque nocere, & mala nobis inferre, sive ea corporis fuerint, sive animæ meditantur. Hujusmodi sunt bruta cum sua feritate,*

homi-

homines cum malitia, mulieres cum suis blanditiis, sagæ cum veneficiis, Dæmones cum tentationibus, pravisque suggestionibus, ac cæteris nocendi artibus. Hi omnes nostri sunt inimici: quoniam palam, vel clam nocere satagunt; sed tanta est signi Sanctæ Crucis virtus, ut per eam singulari fide, ac pietate usurpatam ab his omnibus liberemur. Vultis exemplis illustrari? Surius (a) *memorat Divi* Chrysostomi *temporibus fuisse leonem usque adeo ferum, ut promiscue agros devastarit, campos depopulatus fuerit, domos invaserit, homines occiderit. Quid agit Sanctus Patriarcha? grandem Crucem extrui curat, & ecce die insequente leo ad Crucis basim enectus reperitur. Sanctus etiam* Franciscus Xaverius *legitur sine ullis armis, sola Cruce manu tenta, integrum stitisse, & fugasse barbarorum exercitum.* Constantino *Martyri* (b) *mulier impudica suis blanditiis insidias struebat. Quid castissimus Martyr? Crucem format super eam, & illo confestim momento mortua concidit ante pedes Martyris; sed infelicis misericordia tactus, rursus eam Cruce signat, & rursum in vitam revocatur. Principes tamen, reliquos inter, nostri sunt inimici; Dæmones, eorumve satellites, & administri, eo periculosiores, quo solent esse occultiores. Refert* Bartholomæus de Spina (c): *confessam fuisse mulierem quandam veneficam: quinquagies amplius vicinæ prolem perimere voluisse; haud tamen nefarium consilium exequi potuisse: quoniam*

a) *In Vita Chrysostomi.* b) *In Fastis Marianis die 26. Decembris.* c) *In quæst. de strigibus.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

am Sancto Crucis signo semper reperit communitam. Discite Matres, discite nutrices, proles vestras, aut curæ vestræ traditas prius, quam vespere ad quietem componatis, Sanctissimo Crucis signo consignare; verum hoc facite verbis in Ecclesia usitatis, quæ Sancti docuere Apostoli; non vero veneficis carminibus, aut Orationibus à Dæmone (si dicere licet) sanctificatis, quibus nihil fidei habendum est; minus assentiendum. Habet Mater Ecclesia suas sanctissimas precationes, has usurpate; non vero Orationes, quæ nihil, quam errores, vanas superstitiones, & aniles fabellas complectuntur. Ad extremum: maximus, & ferocissimus noster est inimicus Dæmon, qui, non secus ac canis viso baculo, ad primum Crucis aspectum confestim exhorrescit, & fugit.

EPILOGUS.

Per exemplum, & deductam inde doctrinam moralem, non toti Catecheseos argumento; sed præcipuæ illius parti accomodatam. *Innumeris possem hoc exemplis illustrare; at quoniam finem attigit Oratio, unum solummodo, quod de Sancto Leufrido Abbate* Theophilus *memorat* (a) Raynaudus *in medium adduco, & sermonem concludo. Mos erat Monachorum, ut divini gratia officii, statis quotidie temporibus, publice in Odæo convenirent, Abbate in sellam paratam una considente, quem singuli ex ordine Monachi curvato profundius poplite in submissi, obedientisque animi argumen-*

a) *Tom. 16. Heter. in Occidente.*

gumentum, venerabantur. *Accidit*, ut Leufridus *Abbas, morbo tentus, à Templi accessu prohiberetur. Quid Dæmon? optimam Monachis illudendi nactus occasionem, Abbatis personam induit, locum, & sedem occupat, atque venerationes excipit cum majestate. Interea Monachorum unus aliquis, ægrum apud Abbatem obsequiis distentus, tardius advenit, sui apud reliquos absentiam excusaturus. Videt novum* Leufridum *sellæ insidentem, obstupescit, ac confestim reversus*, heus, *inquit*, Pater Abbas! tu hodie duobus in locis, uno eodemque tempore, consistis: nam redux ab Ecclesia, & hic te adesse video; nec illic defuisse intuebar. *Advertit res Sanctum* Leufridum, *quid esset? quare collectis, ut poterat, viribus, primum omnes Ecclesiæ postes, ac fenestras Sanctæ Crucis signo communit, postea flagellum arripit, demum personatum Abbatem verberibus excipere pergit. Monachi rerum ignari, primum admirari, postea cachinnari, denique ubi rem cognovissent, & ipsi Dæmonem fustibus insectari. Dæmon contra totam per Ecclesiam ab una porta ad aliam discurrere, ut alicubi exitum inveniret. At quoniam portæ omnes Cruce fuerant consignatæ, apertis licet postibus, nusquam tamen egredi valebat. Tandem flagris, & verberibus egregie pulsatus, per fornicis fenestram evadit, sed attracto secum, qui de campana inde pependerat, fune, ne fortasse* Leufridus *illac etiam fugientem consequeretur. Tum peracta scena Sanctus Abbas ad Monachos conversus: cer-*

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

nite fratres ipsis jam oculis miram Sanctæ Crucis virtutem, quæ fores, tametsi patentes, Dæmoni tenuit obseratas. Tantum est, ac tam validum Sanctæ Crucis signum!

Motus per apodosim, & doctrinam moralem. *Ah utinam Chari Auditores! utinam! nos etiam omnes sensuum, & animæ nostræ portas huic perniciosissimo hosti, & inimico hoc Sancto Crucis signo semper clausas, & obstructas teneremus! non profecto toties ad intima cordis nostri penetralia aditum haberet, cum ingenti persæpe salutis nostræ detrimento. Quare* Auditores, *si vos tentationibus pulsari, si Dæmonis suggestionibus agitari, si aliis quibuscunque periculis affici contingat, arripite Sanctum Crucis signum, signum mysteriis plenissimum, quo præcipua, atque ad salutem creditu maxime necessaria Religionis nostræ capita, & mysteria recoluntur. Recolitur Divinissima Trinitas, & cum Trinitate unitas. Recolitur Sacratissima Christi Incarnatio, & passio. Recolitur humani generis in Cruce peracta, & morte consummata Redemptio, qua de potestate Dæmonis in DEI filiorum libertatem asserti sumus. Et cum tot mysteria eo recolantur, nihil mirum, si eorum virtute instructum Sanctum Crucis signum sit firmissimum in manibus, ac digitis nostris scutum, & telum, adversus omnes animæ nostræ inimicos.* Per signum *ergo* Sanctæ Crucis ab inimicis nostris libera nos Domine, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE TERTIA CATECHESEOS SPECIE.

§. 1.

Præcepta Catecheseos Grandioris.

TErtia Catecheseos species est grandior, inde dicta, quoniam ad grandiores, & doctiores Auditores haberi solita, forma, & artificio ad ipsam propius accedit Concionem: unde etiam *Concio Catechetica* vocari solet. At quoniam Conciones varii sunt generis: *Paraphrastici* nimirum, vel *Polemici*, aut *Exornativi*, vel *Moralis*; idcirco grandior etiam Catechesis variarum Concionum, jam hujus, jam illius naturam, & formam induit. Verbi causa: si Dominicæ precationis, vel salutationis Angelicæ verba forent explananda, erit *Paraphrastica*. Si de Sacramentis, aut fidei mysteriis agendum fuerit, erit *Dogmatica*. Si quæstiones cum Hæreticis controversiæ pertractandæ, erit *Polemica*. Si mysteria Religionis, ut Incarnatio, Nativitas, Resurrectio, &c; vel etiam Salutatio Angelica Dei Matris laudes complexa essent explicandá, erit generis *Demonstrativi*. Si denique Decalogi, aut Ecclesiæ præcepta, vel alicujus virtutis declaret officia, ad *Moralem* pertinebit. Aliquando mixtum genus complectitur. Prima pars est generis *Didactici*, altera est *Moralis*, quod sæpius nos ipsi usurpavimus. Exempli causa: Festo Pentecostes

CAPUT. I. ARTIC. IV. §. 1.

in illud Actor 19. *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? at illi dixerunt: neque, si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Prima parte actum est de natura Spiritus Sancti, ut audiant, quid Spiritus Sanctus sit: *neque, si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Altera parte de signis accepti Spiritus Sancti, ut sciant, an Spiritum Sanctum acceperint: *si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* Primum pertractatum est Catechetice, alterum ad normam Moralis. Quod in utroque Catecheseos genere, tam *Grandiori*, quam *Mediocri*, usurpari potest. Jam sit

I. *De Themate.* Themata *Catecheseos Grandioris* sublimiora esse possunt, sive ejus (*Catechetici* tamen) generis argumenta, & materiæ, quæ captum infimi, vel mediocris excedant Auditoris; vel, si non excesserint, cultiore saltem forma, (quemadmodum tomulo priore (*a*) diximus de themate elevando) proponantur. Promi autem possunt ex ipso Catechismo, vel etiam aliunde, idque, vel continuatis ex ordine materiis, vel interpolatis, ut nempe libuerit Oratori. Optimum fuerit, si Evangelio [quod Romanus admonet Catechismus, & nos ante meminimus] fuerint conformata, ut sic Catecheticæ dictionis argumentum cum Evangelii explicatione, saltem in exordio, conjungatur. Quomodo autem conjungi, & conformari queant, docet Romanus

a) *Tom. I. lib. 2. par. I. cap. 1. Art. 2. §. 3.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. 1.

nus in Indice Evangeliorum Dominicalium Catechismus, qui in gratiam piorum Verbi Divini declamatorum facili ordine digestus demonstrat. quodnam Catechismi [Romani videlicet] argumentum, ad quam partem cujuslibet Evangelii referri, & accomodari queat. Porro nullum fere est Evangelium alicujus solennitatis, quod uberrimam dicendi materiam non suppeditet, vel more Oratorio fuse, & copiose, vel scholastico breviter, profunde, & acute differendi. Libet exemplis illustrare: Dominica I. Adventus legitur (a): *Ecce Rex tuus venit tibi* &c. Math. 21. Hic opportune tractabuntur ea, quæ de Incarnatione, & causis *adventus* Christi Domini habentur Art. 2. & 3. Symboli *Apostolici in* Romano Catechismo. 2. Legitur eodem Evangelio: *invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite* &c. Sanctus Athanasius in sermone de verbis hujus Evangelii ostendit ex hoc loco Apostolis, & eorum successoribus factam esse potestatem solvendi eos, qui, instar asinorum, peccatorum pondere pressi, ad eos confugerent. Quare hic populo exponi potest, quod habetur de Confessione, vel de absolutione, aut de potestate remittendi peccata. Dominica II. post Pentecosten habetur: *Homo quidam fecit cœnam magnam*, dabunt hæc

a) *More veteri, cui se in indice Evangeliorum accomodat Catechismus Romanus, unde hæc deprompsimus.*

CAPUT 1. ARTIC. IV. §. 1.

verba argumentum dicendi: de beatitudine Cœlesti, quam Cœnæ nomine, sub finem diei sumi solitæ, significatam Divinus Paterfamilias in ipso vitæ termino beatis donabit. Vel cum Cœnæ nomine Divus Paulus Sanctum Altaris Sacramentum intelligat, dici poterit de Eucharistia, vel de Missa. Sic de cæteris.

II. *De Partitione.* Partitiones Catecheseos Grandioris oportet esse pariter grandiores, id est: elegantia quadam præditas, ad eum fere modum, quem antea de Catechesi mediocri, vel de concionibus diximus tomulo *(a)* priore. Adornari autem possunt, vel ex locis partitionum communibus, vel ex propriis tomulo (*b*) priore allatis. Verbi causa in Catechismo habetur: *Quid est fides? est donum DEI, ac lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, qua DEUS revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.* En partitiones Catecheseos Grandioris. 1. *A definitione:* Fides Divina est donum DEI, & lumen DEI. 1. Donum DEI, quo à DEO sine ullo nostro merito donamur. 2. Lumen DEI, quo à DEO in obscurissimis fidei rebus maxime illustramur. 2. *A distributione:* Fides est assensus duabus petris firmissime innixus: DEO, & Ecclesiæ. DEO revelanti, & Ecclesiæ proponenti. Item: credenda

a) *Tom. I. lib. 2. par. I. cap. 1. Art. 3. §. 2. & 3.* b) *loco jam citato.*

denda sunt omnia, quæcunque DEUS revelavit, & per Ecclesiam proponit, sive illa in sacris literis scripta contineantur, sive extra sacras literas solum tradita reperiantur. 3. *Ab oppositis*: Fides Divina est certissima cum summa obscuritate, & obscurissima cum summa certitudine. 4. *A proprietatibus*: Fides Divina tribus conditionibus sit prædita: 1. Sit firma ob DEI revelantis, & Ecclesiæ proponentis authoritatem. 2. Sit integra, ut credat omnia, sive scripta sint, sive non sint. 3. Sit viva, id est: operibus conjuncta: nam sine his est mortua. 5. *Ex verbis Catechismi*: Tria explicabo: naturam fidei, materiam fidei, rationem formalem fidei: 1. Naturam fidei: quod sit donum, & lumen DEI, quo *illustratus* homo firmiter assentitur. 2. Materiam fidei: sive illa scripta sint, sive non sint. 3. Rationem formalem fidei: quæ DEUS revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit. Atque ad hunc fere modum conformari queunt reliquæ etiam Grandioris Catecheseos partitiones, in quacunque materia, modo polleas ingenio, ac judicio. Quanquam nil oberit etiam simplicius, ac vulgarius ea proposuisse, si modo reliquus Catecheseos istius habitus sit grandior, & ornatior.

CAPUT I. ARTIC. IV. §. 1.

III. *De exordio.* Exordia hujus [ut de mediocri admonuimus] perinde ac Concionum sumi possunt ex fontibus vel communibus,

CAPUT I. ARTIC. IV. §. I.

pibus, vel propriis Sacræ Eloquentiæ tomulo (*a*) priore relatis. Sint aliquorum exempla. 1. *A genere ad ſpeciem*; ita ut genus agat ingreſſum, ſpecies deſcenſum. *Segneri* in Homine Chriſtiano (*b*) acturus de cautione in jurando, exordii ingreſſum facit à cautione in loquendo: *Admiratione non caret, quod tot documentis ipſa nos natura erudiat ad caute loquendum, &c.* Poſtea delabitur ad ſpeciem: nimirum ad caute jurandum. *Si in communibus humanorum negotiorum caſibus tam plena periculi res eſt linguæ ars cuſtodiendæ; quanto periculoſior futura eſt in illis negotiis, ubi Divini nominis authoritas jurejurando interponi ſolet &c. Si ubi, hic profecto cum Regio Vate DEUS orandus eſt: pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, &c.* 2. *A contrario.* Idem *Segneri* (*c*) blaſphemandi conſuetudinem inſectaturus, orſus eſt à contrario: *Tam horrendum eſt blaſphemiæ crimen, ut in ſacris olim literis non niſi raro admodum ſuomet nomine exprimatur.* Deſcenſus ad alterum contrarium. *Quis non ſtupore attonitus hæreat, tam caute nominatum olim blaſphemiæ peccatum hodie à Chriſtianis non nominari ſolum: ſed quam creberrime perpetrari.* Elegantius tamen hæc Catecheſeos Grandioris exordia ducuntur è fontibus Sacræ Eloquentiæ propriis, verbi cauſa, à *Narratione*

a) *Tom. I. lib. 2. par. 2. cap. 1. Art. 2. §. 1. & 2.* b) *p. 1. Diſcur. 10.* c) *In Hom. Chriſt. p. 1. Diſc. 8.*

tione vel *paraphrasi* Historiæ Evangelicæ, cujus superius exemplum dedimus in infimæ Catecheseos paradigmate. Vel à sententia ex Evangelio ejus diei brevius, aut fusius explanata, ut dictionis Catecheticæ argumentum congruat Evangelio, quod ante diximus. Ita *Xaverius Dorn* (a) octavum Symboli articulum explanaturus: Credo in Spiritum Sanctum: ingressum ducit à sententia, descensum ab explanatione. *Nihil magis timendum est mari, quam furor ventorum &c. Talem furorem experta est navicula, in quam Christus suis cum Discipulis ascendit: teste enim Evangelio: motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Descensus. *Per hanc naviculam perbelle intelligi potest navis Petri, id est: Ecclesia, quæ terribili ventorum, dicere volo: Tyrannorum, infidelium, & hæreticorum furore infestata pridem mergi debuisset; nisi spirante, & prævalente vento mirabiliter hactenus fuisset conservata.* Propositio. *Quæritis Charissimi: quid per faventem hunc ventum, qui Ecclesiam fideliter regit, ac gubernat, intelligatur? Respondeo intelligi Spiritum Sanctum. &c.* 3. *A circumstantia* Festi. Sic *Antonius Ardia* (b) in præceptum octavum de malitia, & gravitate judicii temerarii acturus festo Sancti *Josephi* orsus erat. *Supremus Patriarcha Josephus, cujus festam hodie agimus celebritatem, adsistit octavo præcepto, quod hodie ingre-*

a) *Concep. 7. in Dom. 4. post Epiph.* b) *In Tuba Catech. p. 2. Instr. 50.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. I.

ingredior ex ordine explicandum. Sanctus Josephus adest judex nostrorum judiciorum, thesaurarius honoris DEI, custos, defensor, ac præsidium decoris Mariani. Venit videre, quomodo nos intueamur alios, qui defendamus honorem proximorum nostrorum &c.

IV. *De introductione.* Catechesis grandior jam pollet, jam caret introductione. Si polleat, sumitur vel à repetitione prioris Catecheseos, maxime, cum materiæ fuerint continuatæ, vel ab explicatione sententiæ Evangelicæ, ut argumentum Catecheticum congruat Evangelio, vel explanatur rei natura, existentia, species, &c. quod plerumque fit, cum partitio sumitur à proprietatibus alicujus virtutis, aut vitii, vel præcepti, aut à persona, objecto, effectis rei. Ita *Segneri* (a) Catechetice expositurus gravitatem blasphemiæ, ducta partitione: 1. Ab objecto peccati blasphemiæ, quæ admittitur. 2. A persona blasphemantis, quæ admittit. 3. Ab effectis, quæ ex illo consequuntur; opportune præmittit in modum introductionis explicationem naturæ, specierum blasphemiæ. Similiter agit, cum juramenti conditiones declarat.

V. *De Confirmatione.* Confirmatio hujus Catecheseos differt à mediocri tam argumentis, quam argumentationibus. 1. Argumentis, cum hæc ad doctiores haberi soleat, admittit argumenta in genere Cate-

che-

a) *In Hom. Christ. p. 1. Disc. 8.*

chetico paulum doctiora, qualia reperies in Catechismo Romano in quacunque thematis specie. 2. Argumentationibus: cum forma accedat ad Conciones; idcirco argumenta expoliri possunt per aliquam speciem argumentationis: verbi causa: per collectionem Oratoriam, aut per Syllogismum, vel Enthymema, cum subdivisione, aut sine illa. Et ad hunc plerumque modum suas adornat Confirmationes *Segneri* in Homine Christiano, cujus sermones sunt totidem Grandioris Catecheseos species, diligenter à Tironibus volvendæ. Potest etiam institui in modum Chriæ, ut diximus tomulo (a) priore de Concionibus. Exempli causa pro Catechesi probandum haberes, fidem esse lumen DEI. 1. Explanabis *per Paraphrasim*: Fidem esse lumen; at non corporeum aliquod; sed Divinum, quod mentis nostræ oculos, intellectum nempe, suis radiis, collustrat, ad cognoscendas obscurissimas quasque veritates, nullis naturæ viribus assequendas; nisi hoc fidei lumine à DEO illustremur, ac idcirco fides dicitur: lumen DEI. 2. *A simili*: fidem ita se habere, quemadmodum lucernam nocte ambulantibus; aut pharum; vel cynosuram mari navigantibus. 3. *A causa:* quia intellectus noster cœcutit in cognoscendis fidei rebus ultra vires, & captum suum positis. Unde sicut oculi, lumine destituti,

CAPUT I. ARTIC. IV. §. 1.

a) *Tom. I. l. 2. par. 2. cap. 2. Art. 1. §. 10.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. I.

ti, facile aberrant, nulla queunt objecta videre; ita intellectus sine luce fidei, nec DEUM, nec ulla ejus mysteria penetrat; imo in gravissimos prolabitur errores. 4. *A contrario* hominum in erroribus, ac tenebris cœcæ gentilitatis versantium, qui Christianam idcirco Religionem aversantur: quoniam fidei luce deserti, non percipiunt ejus veritatem. 5. *Ab exemplo* Sauli apertis per Ananiam oculis fide collustrati, qui ex hoste infensissimo factus est acerrimus Ecclesiæ, & propugnator, & propagator. 6. *A testimoniis Scripturæ*, fidem lucis nomine compellantis. Ita Petrus (a): *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, id est: fidei, quemadmodum vocati sunt tres Magi. Item Paulus (b): *Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* &c. Quæ si rite expoliveris, habebitur thematis Catechetici confirmatio solide probata, & adornata.

VI. *De elocutione.* Cum hæc Catechesis [ut ante dixeram] ad Concionum similitudinem accedat, exigit politius styli genus, quod figuris sit cultius, transitionibus ornatius, affectibus gravius; omnis tamen hæc cultura, ornatus, gravitas conjuncta sint cum perspicuitate, & facilitate, Didactico generi, cujus potissima pars est docere, conveniente.

§. II.

a) *1. Petri 2. v. 9.* b) *ad Ephes. 5. v. 8.*

§. II.

Paradigma Catecheseos Grandioris.

SUbjicio præceptis ideam Catecheseos Grandioris, pro quinta Paschatis Dominica, in tempora [ut ajunt] Rogationum incidente, accommodatam, materia ex consideratione in Manna Animæ P. Segneri ad diem XVI. Novembris deprompta, ut esset simul ejus imitationis exemplum, cujus methodum tradidimus Tironibus Tomulo priore (*a*).

EXEMPLUM.

Sententia sacra: *Amen, Amen dico vobis: siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. *16. ℣.* 23.

Thema Catecheseos: *Oratio Dominica est precatio ad quidvis impetrandum, quantum in se est, efficacissima.* Partitio à proprietatibus: 1. *Quia est precatio in petendo rectissima.* 2. *Est precatio in petendo ordinatissima.* 3. *Est precatio in petendo humilis fiduciæ plenissima.*

EXORDIUM.

Ingressus à sententia Evangelica. *Divinissimus Magister, & Servator Christus, ut suorum Discipulorum, nostramve futuram in orando Patre fiduciam, ac fervorem excitaret, hodierno in Evangelio jurejurando adpromittit: quidquid ab æterno Patre in nomine suo petiverimus, id omne feliciter consequemur*: Amen,

a) *Lib. 1. cap. 3. Art. 5. §. 3. n. 7.*

CAPUT I. ARTIC IV. §. II.

Amen dico vobis: siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Descensus à difficultate, ac illius resolutione. *Tametsi hæc Christi promissa sint apertissima, & verissima, utpote ex ipsius Divinæ Sapientiæ ore profecta; illud tamen nunquam satis capere possum: qui eveniat, quod hominibus, licet ardenter æternum Patrem rogantibus multa persæpe denegentur. Ergo Christus Divina Sapientia falli potest in promittendo? vel certe Æternus Pater fallere in exequendo? Absit! Quemadmodum Christus sapientissimus, & veracissimus est in promissis faciendis; ita Divinus Pater justissimus, ac fidelissimus in exequendis. Si quando igitur evenit, ut post multas, longasve orationes parum, aut nihil quicquam impetremus, id non in Christo, nec in Patre positum putetis; sed vel in nobis ipsis, ob peccata nostra indignis, ut exaudiamur; vel in nostra certe oratione; quoniam non in Christi nomine, sive ea, quam Christus præscripsit, methodo, forma, ratione DEUM oramus.*

Propositio. *At quis est iste securissimus, & ad omne exorandum efficacissimus, æternum Patrem orandi modus? Ne longius discedamus, explicat hunc noster, quem dictionibus explicandum sumpsi, Catechismus. Ita enim in eo quærit Canisius:* Unde modum recte sperandi, & petendi discimus? *reponit:* ex Oratione Dominica, quam Christus, Dominus, & Magister noster ore suo tradidit, & præscripsit. *Cum multa quotidie à DEO petenda haberemus, ne for-*

CAPUT. 1. ARTIC. IV. §. 11.

fortasse in petitionum modo exerraremus, certam nobis orandi formam constituit Christus (a) : sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui est in Cœlis, *& reliqua. Oratio igitur Dominica est illa precatio præstantissima, Christi ore tradita, & præscripta, quæ omnes, quantum in se est, securissimæ, & ad impetrandum aptissimæ Orationis leges, & conditiones complectitur. Absoluta, singulari DEI ope, Spei Divinæ explanatione, nunc agam, quod sequitur, de Oratione Dominica, quam vulgo dicimus :* Pater noster. *Convenientissimum profecto huic tempori argumentum : quia his rogationum feriis, in Ecclesia usitatis, maxime opportunum. At priusquam singulas illius partes speciatim exequar : primum lustrabo eam solummodo generatim, ut fieri assolet à peregrinis, magnificam Urbem primum ingredientibus, qui cursim eam inspiciunt, dum attentius singula perlustrent. Dicam igitur de summa illius, quam in se habet, ad quidvis impetrandum efficacia.*

Partitio. *Quemadmodum autem libelli supplices Regibus, aut viris illustribus porrecti, ut in se sint efficaces, certis quibusdam legibus, & conditionibus præditi esse debent : nimirum, ut recta petant; postea, ut ordinate petant; demum, ut humili cum fiducia petant. Ita Christus Divinissimus Magister efficacissimum in Oratione Dominica modum præscripturus, omnibus efficacis Orationis legibus, & conditionibus voluit esse quam maxime instructam. Et quidem*

a) *Matth. 6. v. 9.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. II.

primum voluit, ut sit in petendo rectissima, *quod primum. Voluit*, ut sit ordinatissima, *quod alterum. Voluit*, ut sit humilis fiduciæ plena, *quod tertium erit dictionis caput. Audiatis.*

PARS I.

ORATIO DOMINICA EST IN PETENDO RECTISSIMA.

Prima Divisionis pars probatur syllogismo quinquepartito, subdivisione in minoris, sive assumptionis, probatione proposita. Major, sive propositio: Ut oratio sit recta, debet esse rerum decentium petitio. *Ac primum, ut Oratio ad impetrandum fiat idonea, & efficax, recta sit oportet in petendo. Nam si ejus naturam indagare velimus, quid est Oratio, quam rerum decentium à DEO petitio, sive talium, quæ summam illius majestatem, sapientiam, & sanctitatem quam maxime addeceant?* Ratio majoris à comparatione minoris ad majus. *Si terreno cuipiam Regi, ac Principi semper porriguntur preces ratione, & prudentia præditæ; quanto amplius eas porrigere oportebit Cœlorum Regi? Terrestres equidem Principes, cum sæpe sint homines minori, quam oporteret, mentis perspicacia, aut virtute, vel authoritatis tenacitate instructi, facile ejusmodi petitiones errore, vel judicio lapsi, aut etiam animi perversitate ducti, vel suæ dignitatis, aut majestatis obliti admittere possunt, quas admitti, vel subscribi neutiquam ad-*

EDICIEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

addeceret. At Cœlorum Rex DEUS pro sua infinita sapientia belle perspicit, quid rectum sit, quid decens; nec pro summa sanctitate quidquam concedere potest, quod indecens, aut irrectum foret; Divinæ autem suæ majestatis, & authoritatis adeo tenax est, ut nihil se indignum peti, & admittere velit; perspicuum est, orationes nostras ad DEUM susas, in petendo quam rectissimas, quam decentissimas esse oportere.

Minor, sive assumptio: talis est Oratio Dominica. *Perscrutemur jam, si libet, Orationis Dominicæ naturam, ac conditionem ad ultimos usque apices, an quidpiam reperiemus, quod non rectissimum, quod non decentissimum foret?* Probatio minoris, sive assumptionis, cum subdivisione: quia Oratione Dominica omnia, quæ bona sunt, petimus; & quæ mala sunt; deprecamur. *Duo sunt, quæ à DEO digne, ac decenter postulari possunt. Primum est: ut ea nobis largiatur, quæ vere sunt bona: & horum petitio dicitur proprie oratio. Alterum est: ut nos pro sua benignitate asservet ab omni eo, quod vere malum est: & hoc, si proprie loqui volumus, vocatur deprecatio. Utrumque in Dominica petimus Oratione.*

I. Pars subdivisionis. *Nunquid petimus bona? Et quidem nostro haud contenti bono, petimus bonum ipsi etiam DEO conveniens; imo istud petimus magis, quam illud. Et quoniam bonam, quod DEO petimus, aliud esse nequeat, quam nominis sui laus, honor, gloria ab hominibus extrinsecus profecta, & tributa: hanc à*

CAPUT. I. ARTIC. IV. §. II. *DEO petimus, cum Cœleſte Numen rogamus:* Sanctificetur nomen tuum. *Poſtea petimus bona nobis profutura. Et hæc cum triplicis generis eſſe queant: Cœleſtia, Spiritualia, ac Corporea: idcirco primum petimus cœleſtia, eaque abſolute, id eſt, ſine ulla ad aliud bonum comparatione. Hoc porro à nobis præſtatur, cum dicimus:* Adveniat Regnum tuum. *Dein petimus Spiritualia, non jam abſolute, ſed comparate, quatenus nimirum proſunt, ac deſerviunt ad obtinenda Cœli bona: quod facimus orando:* Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra. *Demum petimus bona temporalia; at nec iſta ſecus; quam ne adverſentur bono noſtro Spirituali; ſed nos juvent ad ea rite conſequenda. Hoc ſenſu dicimus:* Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Quid rectius, quid decentius eſſe poteſt? O utinam DEUS, utinam, toto ſanctificaretur orbe nomen tuum! utinam quanto poſſet ocyus, adveniret regnum tuum! utinam tua in omnibus impleretur voluntas, ſicut in Cœlo, ſic in terra. Et quoniam ſiccitate premimur, pluviis deſtituimur, tuam idcirco clementiam imploramus, ut panem nobis hodie tribuas quotidianum. Hoc noſtrum eſt votum, hoc deſiderium, nunquid rectum? nunquid bonum?*

II. Pars ſubdiviſionis. *Poſtquam bona petivimus; mala deprecamur: & quidem ea mala, quæ dictis ante bonis adverſantur. Cum vero DEI bono, quod primum in Oratione petimus Dominica, nihil quicquam adverſi evenire que-*

queat, nullum idcirco malum, ut à DEO avertatur, rogamus. Quid enim est, quod bonum ejus diminuere queat? an forsan peccatum? at Jobi (a) *dictum est*: si peccaveris, quid ei nocebis? *Imo ex hoc ipso, quod ab improbis per peccatum fieret, Divini honoris detrimento summam capit DEUS sui nominis sanctificandi occasionem. Nam ex illo ipso, quod scelerati inferunt, opprobrio non secus percipit gloriam, ac ex honore, qui ei redditur ab electis. DEUS enim uno eodemque tempore perinde suam manifestat omnipotentiam, ostendit justitiam, exhibet bonitatem, & misericordiam in reprobis puniendis, ac in electis remunerandis; cum perinde summe sit bonus, summe potens, summe justus, ac misericors in plectendo, quam sit bonus, justus, misericors in remunerando. Quantum ergo ad DEUM spectat, non petimus, ut is ab aliquo servetur malo; sed tantum petimus, ut nos ope DEI ab omni servemur malo, quod triplici nostro adversatur bono. Primum: quia Cœlesti adversatur peccatum, idcirco primo petimus loco:* & dimitte nobis, debita, *sive peccata*, nostra: *Et hæc quoniam non ante nobis à DEO dimittuntur; quam sua debitoribus nostris à nobis debita dimittantur*: dimittite, & dimittemini, *inquit* (b) *Christus; idcirco confestim subjicimus*: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Postea: quia spirituali opponitur tentatio, altero oramus loco*: & ne nos inducas in tentationem. *Demum: quia*

a) *Jobi 35. v. 6.* b) *Lucæ 6. v. 37.*

CAPUT I. ARTIC. IV §. II.

temporeo opponitur omnis adversitas, eapropter tertio obsecramus loco: sed libera nos à malo.

Complexio I. partis cum repetitione, motu, & digressione morali *&c. Cernite jam Auditores, & agnoscite summam orationis Dominicæ suis in petitionibus rectitudinem, ac decentiam, per quam ea nobis bona evenire petimus, quæ non possunt non esse decentissima, ut precemur; dein ea mala averti flagitamus, quæ non possunt non esse justissima, ut deprecemur. Quis jam vel minimum ambigere potest, an DEUS optimus, maximus, in promissis fidelissimus orationes nostras hac Dominicæ precationis forma propositas non exaudiet?* Qui recta loquitur, *inquit* (a) *sapiens*, diligetur; *qui autem diligitur, nunquid non audietur? Non miremini igitur, quod DEUS persæpe orationes vestras non audiat, quia non diligit: cur vero non diligit? quia recta non loquimini, id est: ea sæpius petitis, quæ mala sunt, sive in vestrum deserviunt fastum, superbiam, luxuriam, avaritiam; ea vero averti postulatis, quæ bona sunt, id est: ad vestram prodessent salutem, humilitatem, sobrietatem, continentiam. Ut ergo Divinum preces vestras audiat Numen, sic orabitis.*

PARS II.

ORATIO DOMINICA IN PETENDO EST ORDINATISSIMA.

Altera divisionis pars probatur syllogismo tripartito, subdivisione post completo

a) *Prov. 16. v. 13.*

plexionem pertractata. Transitio composita, & aperta. *Non satis est ad Orationis Dominicæ efficaciam, esse rectam in petendo; sed præterea oportet eam simul esse ordinatam.* Major: omnis oratio, ac idcirco etiam Dominica precatio, est suorum interpres desideriorum, seu petat bona, seu mala deprecetur. *Est hoc cuivis, ac idcirco etiam Dominicæ, à Christo sapientissimo Magistro præscriptæ, proprium orationi, ut suorum sit interpres desideriorum. Quorsum enim oramus? quam ut ea, quæ desideramus, bona nobis eveniant; vel si mala sint, avertantur: illa precamur, ista deprecamur: in utrisque oramus, ut exaudiamur.* Assumptio, sive minor: sed desideria, ut exaudiantur, debent esse ordinatissima. *Quis vero Auditores suis in desideriis eum putet à DEO exaudiendum, qui perverso naturæ, ac rerum ordine, laxatis pravarum cupiditatum habenis, ea maxime desiderat, quæ minime essent desideranda; quæ autem maxime desideranda forent, ea minime desiderat. Certe ordo, ut rerum cæterarum, ita quam maxime anima est desideriorum.* Complexio: ergo Oratio Dominica debet esse ordinatissima, seu bona precemur, seu mala deprecemur. *Ostendisti profecto Divinam tuam sapientiam Christe, cum Orationis Dominicæ petitiones æterno Patri exhibendas secundum ordinem, quem in desideriis cumprimis servare nos oportet, bene sapienterque dispositisti, seu bona petamus, seu mala deprecemur.*

CAPUT 1. ARTIC. IV. §. II.

1. Pars subdivisionis. *A natura insitum habemus, ut bona petituri, ea præ cæteris desideremus, quæramus, appetamus, quæ cæteris sunt desideratu priora, quæsitu nobiliora, appetitu digniora; secus pervertemus rerum ordinem, naturam conturbabimus, omnia susque deque commiscebimus. Jam nunc assequor Auditores: cur Divina Sapientia Christus, Dominicæ Orationis petitiones ordinaturus, primo statim loco sancti sui nominis sanctificationem, sive gloriam, honorem ante à nobis peti voluit; quam reliqua: noverat divina humanis antecellere, DEI bona nostris. At in ipsis etiam hominum bonis ordine prorsus sapientissimo constituit, ut primum peteremus cœlestia, postea spiritualia, denique corporea: corporeis enim & ordine, & dignitate, & præstantia præeunt spiritualia: spiritualibus autem cœlestia. Cœlestia sunt finis noster, in quem à DEO conditi, & creati sumus. Spiritualia sunt remedia, quibus cœlestem hunc finem nos consequi oportet. Temporalia sunt adjumenta, quibus hæc remedia redduntur faciliora. Atque istud est: cur divinissimus Magister Christus è bonis ad salutem, ac utilitatem nostram attinentibus primum peti voluit regnum Cœlorum:* Adveniat Regnum tuum: *hoc enim est, quod nobis, velut finem, præstituit DEUS. Altero dein loco voluit flagitari, ut divinam expleremus voluntatem:* Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra: *quod remedium est unicum, & maximum ad consequendum cœleste regnum. Tertio demum loco panem constituit quotidianum:*

Pa-

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *qui non parvo solet esse subsidio ad explendam DEI optimi maximi voluntatem.*

II. Pars subdivisionis. *Jam quod ad mala pertinet deprecanda, DEUM bonum! quanta hic etiam Divinissimus Servator sapientiæ suæ recte omnia disponentis, ac ordinantis præbuit documenta. Primum constituit, ut peteremus esse liberi à peccato:* Et dimitte nobis debita nostra. *Cur? quoniam hæc fini nostro, cœlesti nimirum adversantur bono. Deinde poscimus à tentationibus liberari:* Et ne nos inducas in tentationem. *Cur? quoniam hæc bono opponuntur Spirituali, sive remediis ad finem obtinendum quam maxime necessariis. Denique petimus ab adversitatibus servari:* Sed libera nos à malo. *Cur? quia hæ opponuntur bono temporeo, id est: subsidiis ad finem consequendum maxime opportunis. Hic ordo est Dominicæ precationis, quam rectus, quam sapiens!*

Complexio II. Partis. *Quis non ergo ingentem spem, ac fiduciam concipiat, se à DEO suis in precationibus exauditum iri, si hac Dominicæ orationis forma divinissimum Patrem interpellet? Tunc enim DEUS experietur in desideriis nostris nos non tantum esse rectos, sed etiam ordinatos. Divini Spiritus effatum est (a):* desiderium suum justis dabitur. *Quis justior est in desiderando, ac, qui non solum desiderat, quod oportet; sed etiam eo ordine, ratione, modo, quo oportet. Profecto, cum oratio-*

a) *Prov. 10. v. 24.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. II.

tionis Dominicæ naturam penitius considero, per. similem esse reperio musico concentui, qui, ut suaviter auribus illabatur, grata harmonia, id est: tonorum inter se quam rectissime dispositorum ordine instruitur; ita Servator Christus, ut Dominicæ Orationis concentus quam suavissimus, & gratissimus ad Divinæ aures Majestatis accideret, voluit sacrarum petitionum, totidem veluti tonorum, ordine, & harmonia quam rectissima adornare. Nihil mirum, si tantum in animo æterni Patris pondus obtineat!

PARS III.

ORATIO DOMINICA IN PETENDO EST HUMILIS FIDUCIÆ PLENA.

Tertia pars divisionis sine ulla prævia argumentatione incipit ab ipsa subdivisione juxta modum tomulo (a) priore relatum. Transitio composita, & aperta. *Usu compertum habeo, preces tametsi justas, rectas, & ordinatas; haud tamen Deo, vel hominibus esse gratas, & acceptas; nisi humili cum fiducia proponantur.*

I. Pars subdivisionis probatur Enthymemate, cum nova subdivisione in subsumpta (ut ajunt) minore proposita. *Dixi primum cum fiducia.* Antecedens. *Cum hæc benignitatem, & quandam in alterius animo generositatem, ac promptam succurrendi voluntatem agnoscat, in eave supplices confidant, magnopere excitat Patronum ad deferendum precibus supplicantis; ne, si petitis defuerit, perdat con-*

a) *Tom. 1. lib. 2. par. 2. cap. 2. Art. 9. §. 2.*

conceptam de se præclaram existimationem apud supplicantem. Consequens. *Si hoc fiducia præstat apud homines, quid, oro, efficiet apud DEUM? qui præ omnibus quam maxime gloriatur, se propensum esse ad benefaciendum:* erit tibi anima tua ad salutem: quia in me habuisti fiduciam, *inquit Jeremias (a).* Minor subsumpta. *Ut autem oratio nostra sit fiduciæ plena, tria potissimum complecti debet: primum ut petitiones fiant intrepide, sive magno cum animo; postea magno cum affectu; demum magna cum brevitate.* 1. Pars subdivisionis secundæ. *Nunquid in oratione Dominica reperitur magnus, & intrepidus animus? Reflectite mentem vestram: quibus in ea utamur verborum formulis, nonne animi plenis?* Sanctificetur, adveniat, fiat, da, dimitte, ne inducas, sed libera. *Quæ certe videri possent propemodum audacula, & imperitantia, nisi Christus ea suggessisset, hac de causa, ut qui justa petit à DEO, non petat cum timore, cum hæsitatione, quemadmodum petere solemus ab hominibus; sed petat intrepide, magno animo, ingenti fide:* postulet autem in fide nihil hæsitans (*b*). 2. Pars subdivisionis secundæ. *Nunquid in precatione Dominica reperitur affectus, & quidem à dulcedine charitatis profectus, tam erga DEUM, quam erga homines? Erga DEUM: cum petitiones nostras proposituri non illum DEI, aut Judicis, vel Domini (timoris potius, quam amoris) nominibus convenimus, sed pulcherrimum dulcissimi Patris no-*

a) *Jerem. 39. v. 18.* b) *Jacob. 1. v. 6.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. II.

nomen usurpamus, ad eum velut filii accedimus, ingenti spe, ac fiducia præditi, nos à cœlesti Patre quam certissime audiendos. Si terrenos apud Patres tantum pondus habet à filiis prolatum patris nomen, ut hoc in nomine justa petentibus nihil quicquam soleant denegare; quid Cœlestis faciet Pater? quo nemo ullus major, aut melior Pater esse potest, nec quisquam ob ingentem, quo filios prosequitur, amorem, ipsi comparatus, promeretur compellari Pater (a): Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est. *Postea: cum DEI amor sine hominum amore consistere nequeat, complectitur charitatem erga homines, dum nostra nobis debita à DEO dimitti petimus; sed ea prius amore DEI debitoribus nostris dimittimus; nec dimittimus tantum, sed præterea communi semper nomine æternum Patrem oramus, plurali numero vota nostra depromentes:* Pater noster, panem nostrum, da nobis, dimitte nobis, debita nostra, libera nos à malo. 3. Pars subdivisionis secundæ. *Denique an non Oratio Dominica summam contineat brevitatem? Quæ oro succincta magis, & expedita precandi forma esse potest, quam Dominica? Revocate omnes petitionum apices, quam sint breves, quam contracti? Hac porro brevitate plurimum fiducia demonstratur: nam diffusius agere, longis verborum ambagibus, aut rationum momentis rei petendæ æquitatem exponere (ut plerumque fit cum terræ Principibus) est*

a) *Matth. 23. v. 9.*

est animi diffidentis argumentum. Atque istud est, quod Christus Dominicæ precationis rationem traditurus, prius admonuit, (a) orantes autem nolite multum loqui. *Non dixit, nolite multum orare, multa petere, multa precari; sed* multum loqui, *Ethnicorum instar, qui suos eloquentiâ Deos flectendos putant* (b): Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. *Quod efficit, ut audiamur, non sunt verba, sed cordis desideria:* desiderium pauperum exaudivit Dominus (c); *id vero durare tamdiu potest, quamdiu libuerit; imo cum Christi mandato semper nos orare oporteat, durare semper debet; haud tamen multis, sed orationibus crebrius repetitis exaudiendum. Oratis Chari Auditores persæpe totis diebus, totis noctibus, cum fletu, planctu urgetis DEUM, haud tamen vestra in vota propitium habetis Numen. Cur? quoniam non oratis cum fiducia: oratis timidi, sine animo, sine brevitate, sine fide, sine vero affectu, id est: charitate erga DEUM, & proximum: ardetis odio, invidia, æmulatione, superbia.*

II. Pars subdivisionis probatur per exemplum cum apodosi. *Dixi ultimum: superbia. Nam fiducia, qua nobis orandum est, ut Divino æterni Patris gustui placeat, debet esse humilitate, velut cibus aromate, condita:* Oratio humiliantis se nubes penetrabit, *ait* (d) *Sapiens; Christus vero pulcherrima parabo-*

a) *Matth. 6. v. 7.* b) *Ibidem.* c) *Psalm. 10. v. 17.* d) *Eccli. 35. v. 21.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. II.

rabola ejus veritatem confirmavit. Duo homines (*inquit* (a) *Christus apud Lucam*) ascenderunt in Templum, ut orarent. *Unus Publicanus, alter Pharisæus. Pharisæus dilatatis, pavonis instar, philacteriis, plenus fastu, & ambitione Templum ingreditur. Illic non curvato, ut debuisset, poplite; sed erectus* stans hæc apud se orabat (b): DEUS gratias ago tibi: quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. *Quid autem Publicanus? Hic suorum conscius peccatorum stabat; sed à longe, demissis in terram oculis: nec enim eos ausus erat in Cœlum levare* (c), percutiebat pectus suum, dicens: DEUS propitius esto mihi peccatori. *Auditores! Eccujus oratio, utrum humilis Publicani, an superbi Pharisæi Cœlos, ac nubes penetrárit?* Dico vobis (*non ego* (d), *sed Christus*) descendit hic (*nimirum Publicanus*) justificatus in Domum suam ab illo, *id est: præ Pharisæo: quia* omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. *Atque ista humilitas sicubi, in Oratione profecto Dominica, quam maxime resplendere videtur. Vera quippe humilitas in eo posita est, ut quis humili cum Publicano longius posito, nec oculos in Cœlum levare ausо, sibi tanqam miserrimo diffidat; in DEO autem, velut potentissimo, ac beni-*

a) *Luc. 18. v. 10.* b) *Ibid. v. 11. & 12.* c) *Ibid. v. 13.* d) *Ibid. v. 14.*

benignissimo Patre, magnopere confidat; non aliunde, quam ab eo cuncta expectaturus, sive bona, ut eveniant; sive mala, ut avertantur. Hoc porro demonstramus, cum Dominica utimur precatione: nec enim ostendimus tantum, quidquid boni accipi potest, id à solo nos sperare DEO; sed etiam liberationem ab omni, seu praesenti, seu futuro malo, cui nos obnoxios esse non ignoramus, unice ab æterno Patre præstolari debere (a).

EPILOGUS.

Repetitio. *Habuit ergo Divinissimus Servator Christus justissimam dicendi causam:* sic orabitis. *Dominica enim Oratio est ille aptissimus, & ad omne impetrandum, quantum in se est, efficacissimus DEUM orandi modus. Non dixit Christus:* his verbis orabitis: *nec enim excluſos volebat aliòs precandi modos, ab Ecclesia ad erigendos per diversas orationum formas fidelium animos sancte usurpatos; verum dixit:* sic orabitis, *id est: ad hanc normam, modum, rationem orabitis, quo significare volebat: cæteras precum formas tunc solum ad impetrandum fore efficaces, cum Dominicæ Orationi, tanquam normæ numeris omnibus absolutæ, fuerint conformatæ. Atque hoc fuisse credidero: cur Sanctissimus* Hipponensium *Præsul* Augustinus *omnes reliquas orationes ad hanc unam Dominicam redigendas existimarit. Non idcirco*

a) *Omittitur complexio 3. partis juxta modum Tomulo priore relatum l. 2. p. 2. Cap. 2. Art. 2. §. 1. Num. 3. pag. 449.*

CAPUT I. ARTIC. IV. §. II.

quasi illas neutiquam bonas censuisset; sed quoniam hæc cæteris melior, omnium norma foret reliquarum. Et quidem norma est in rectitudine, & ordine, seu bona petamus, seu mala deprecemur. Norma est in fiducia; cum per eam petitiones nostras magna fide, magna spe, magno affectu, magna brevitate proponamus. Norma est in humilitate; cum in ea nobis diffisi, in uno tantum DEO confidamus.

Motus. *Redite jam Chari Auditores in animos vestros, & advertite: cur DEUS Optimus Maximus in promissis faciendis Sapientissimus, ac veracissimus; in exequendis autem potentissimus, ac fidelissimus sæpe vestras non audiat preces, tametsi jure jurando affirmarit:* Amen, Amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: *quoniam non petitis* in nomine Christi, *id est: non petitis forma, modo, ratione à Christo tradita, & præscripta; sed persæpe petitis irrecta, iniqua, non ad vestram salutem, sed ad vestrum interitum comparata. Petitis sine ordine, temporalia cœlestibus, ac spiritualibus præponendo; spiritualia vero, ac cœlestia temporalibus postponendo. Petitis sine fiducia, id est: sine animo, sine fide, sine affectu, sine perverso, ac præposstero. Petitis sine humilitate, in vobis confisi; DEO autem diffisi. Vultis preces vestras adimpetrandum esse opportunas, & efficaces, his præsertim calamitatum temporibus, ut DEUS ter Optimus Maximus sortem vestram miseratus, Cœli cataractas aperiat, salutarem pluviam con-*

concedat, frugibus vestris ubertatem largiatur? *Curvato ergo poplite, positis genibus, manibus sublatis, oculis in cœlum levatis,* sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis. *Dixi.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

CAPUT II.

DE ORATIONE PARAPHRASTICA.

ALtera Didacticæ Orationis species est: Paraphrastica. De hac iterum, ut ante de Catechetica, primum agam generatim, postea unumquemque illius modum exequar speciatim.

ARTICULUS I.

DE ORATIONE PARAPHRASTICA GENERATIM.

§. I.

De Natura Concionis Paraphrasticæ.

COncio *Paraphrastica* est, quæ Evangelium, vel epistolam Dominico, aut festo, die legi solitam, vel alium quemcunque Scripturæ Divinæ locum, oratorie explicat, & interpretatur. Παραφράζω enim (teste (a) *Hederico* componitur ex Παρά, & φράζω, quod idem est, ac juxta loquor, sive loquor juxta ea, quæ alius dicit, ac ejus orationis veluti vestigiis insisto. Vel certe (ut dictus ait (b) *Hedericus*) cum eodem ser-

a) *In Lexico Græco, voce* Παραφράζω. b) *Ibidem.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

mone usi latius aliquid, & explicatius eloquimur, ac interpretamur. Unde Παράφρασις est interpretatio; Παραφραστὴς autem est interpres, sive paraphrasi utens, ex quo postea processit Concio paraphrastica, sive interpretans.

II. Dicitur etiam alio nomine *Exegetica*: a voce Ἐξηγητικὸς, quod enarrativum significat: Ἐξήγησις enim, vel Ἐξήγημα explicationem, enarrationem, vel interpretationem; Ἐξηγητὴς autem interpretem, enarratorem, vel explicatorem notat.

III. Hæc Concionum species frequentius olim, apud veteres maxime Ecclesiæ Patres, quam his temporibus, in more, ac usu erat, quas vulgo *Homilias*, mox uberius explicandas, dixere; at nec modo omnem omnino earum usum prætereundum putarem: observavi enim hoc Concionum genus, graviores apud Auditores, non sine voluptate, & fructu adhiberi, præsertim, si pro more recentiorum ad artis Oratoriæ regulas appositè magis, quam olim, fuerit pertractatum.

§. II.

De Homiliis Veterum.

QUid *Homilia* sit? quisve ejus fuerit usus, forma, modus, apud veteres maxime Patres? cum ad Concionis, de qua agimus, *Paraphrasticæ* naturam, & species, melius intelligendas, plurimum faciat; explicandum venit. Quare sit

I.

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

I. *Homilia* est vox Græca, quæ spectata prima vocis origine, ut Tomulo (a) priore dixeram, populi coadunationem, cœtum, turbam, congressum significat: ὁμιλέω enim, vel ὁμιλῶ idem est, ac in cœtu versor, colloquor, sermonem ad populum habeo; unde postea sermones ad populum habiti a Sanctis Patribus *Homiliarum* nomen accepere, quibus denotabant (ut advertit *Dominicus* (b) *Macri*) eos actos fuisse apud populum congregatum. Atque hoc sensu Beatus dixit *Augustinus* in proœmio enarrationis in Psal. 118: *Statui autem per sermones id agere, qui proferuntur in populis, quas Græci Homilias vocant.*

II. Prima divisione duplex est *Homiliarum* apud veteres (quod mihi sermones Patrum legenti licuit observare) forma, & modus. Primo: in modum *allocutionis*: cum sine ulla Evangelii, vel alterius Scripturæ Divinæ loci, interpretatione, continua quadam Oratione, de quopiam argumento, congestis variis ad hoc probandum rationibus, & conceptibus, sine ulla arte, ac debita dispositione, ad populum sermo contexitur; non secus, ac dum familiam Pater, vel amicus amicum familiariter alloquitur; unde allocutionis potius, quam orationis, vel Concionis nomen promeretur. Oratio enim (ut ex *Photio* advertit *Dominicus* (c) *Macri*)

a) *Pag. 2. in nota c.* b) *In Hierolexico, verbo Homilia.* c) *Loco ante citato.*

CAPUT II. ARTIC. 1 §. 11.

Macri) in eo differt ab *Homilia*: quod illa Oratorum adstricta præceptis, constanti dispositionis ordine disposita, ornataque sit; hæc vero, sine dispositionis ordine, popularis verius allocutio sit appellanda. Hujusmodi *Homiliæ* sunt apud *Chrysostomum*, in diversis argumenti generibus, ad populum Antiochenum pronunciatæ, ut in illud: *modico vino utendum. De patientia, & tolerantia. De legatione Flaviani Episcopi pro Civitate, & detractione. Ad homines agros colentes. De vita recta. Contra irascentes &c.* Hæ autem *Homiliæ* ratione materiæ variæ esse solent. Aliquando sunt *Didactici* generis, quibus aliquid docetur. Interdum *Apologetici*, vel *Polemici*, quibus adversarii refelluntur, vel adversum eos disputatur. Ut Chrysostomi: *adversum Judæos. Adversus Gentiles, quod Christus sit Deus. Contra Anomœos. In Eutropium &c.* Sæpius Panegyrici: Ut Chrysostomi: *Homiliæ octo de laudibus Pauli. Contra Gentiles Babylæ Episcopi, & Martyris vitam continens.* Basilii: *in S. Barlaam, S. Gordium, S. Mamantem, & SS. Quadraginta Martyres.* Ambrosii: *de S. Agnete* &c. Crebrius Philippicæ, sive, ut ajunt, *invectivæ*, ut Basilii: *contra ebriosos.* Chrisostomi: *adversus vituperatores vitæ monasticæ* &c. Potissimum autem sunt morales, quibus virtutes svadentur, aut vitia disvadentur. In hac *Homiliarum* specie licet interdum themata pertractentur particularia; plerumque tamen

men generica sunt potius, quam hypothetica. Ut Chrysostomi: *contra avaros*, *contra ebriosos*, *de vita recta*, *de optima conversatione* &c. Exordia adhibentur potissimum a circumstantiis, ut a persona Oratoris, vel Auditorum, aut Festi, ac solennitatis &c. Vel a commemoratione, ac nexu prioris argumenti, de quo præterita agebat *Homilia*. Aut a similitudine, vel exemplo Biblico; aut ab aliqua Scripturæ sententia; hæc tamen haud ita sunt ad artis regulas exacta, ut iam his temporibus exigi consveverunt. Propositio, maxime partitio, vel nulla est, vel, si usurpetur aliqua, adeo tecte, ut lynceus sit, qui advertat, ubi incipiat, ac desinat. Nec confirmatio ex arte constructa est: nam licet rationes, & argumenta contineant; ea tamen diversis e locis verius congesta, quam digesta; suis argumentationibus, saltem Oratorie dispositis, destituta. Clauditur epilogo paræneſim complectente, quæ jam brevior, jam ita diffusa, & novis iterum rationibus est instructa, ut aliquando ipsum fere dictionis corpus æquet. CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

III. Altera *Homiliæ* species est, quæ lectionis Evangelicæ, vel alterius Scripturæ Divinæ loci, paraphrasim complectitur. Hoc genus proprie pertinet ad præsentem (de qua agimus) dictionem; unde eam placuit appellare *Homiliam Paraphrasticam*. Multiplici modo apud veteres adornari solebat.

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

1. In modum *Postillæ*. Est autem (a) *Postilla*, prima institutione, explicatio alicujus veri, in textu Scripturæ Divinæ obscuri, in margine posita, & sonat *post illa*, id est: post illa textus verba. Nihilominus *Postillarum* nomen obtinuerunt etiam illæ *Paraphrasticæ Homiliæ*, quibus aliquod diei Evangelium, vel saltem potior illius, aut alterius Scripturæ Sacræ pars, & locus, de textu ad textum, additis ad singulas sententias, aut voces, sensum notatu digniorem complectentes, animadversionibus, explicatur. Hac forma suas potissimum *Homilias Paraphrasticas* adornarunt Sancti Patres, tam Græci, quam latini, quoniam ad vulgi sensum, atque intelligentiam maxime accomodatas putaverunt. Tribus fere partibus constat: exordio, explanatione, & epilogo. Exordium, quod plerumque brevissimum esse solet, ducitur vel a circumstantia festi, ac solennitatis; vel ab ipso Evangelio, aut Scripturæ Divinæ loco, ejusve historia in summam brevissimam redacta; sæpe a circumstantiis, causis, & occasione, in qua ipsum Evangelium, aut Scripturæ locus prolatus est; vel a nexu prioris *Homiliæ*, ut ante diximus. Explanatio fit a textu ad textum: hoc fere modo. 1. Præmittitur sententia; postea subjungitur explicatio, continens animadversiones, vel in totam generatim sententiam, vel in sin-

a) *Dominicus Macri in Hierolexico, voce Postilla.*

singula ejus verba, aut præcipua, unum, vel plura, sensum ut prius dixi) observatu digniorem habentia. Hæ autem animadversiones sumuntur, vel ex sensu allegorico, aut anagogico; sæpius a tropologico, sive morali; sæpissime a literali, & historico, quibus suum postea documentum, vel adhortatio moralis, plerumque brevior subjicitur; quanquam sæpius etiam prætermittitur. Epilogus continet paræneſim fusiorem, vel contractiorem, interdum toti capiti, plerumque ultimæ solum sententiæ accomodatam. CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

IV. Alter *Paraphrasticæ Homiliæ* modus est: cum non totum Evangelii, aut Scripturæ caput, sed præcipua ejus sententia ad explicandum deligitur. Huic, exordii instar, præmittitur brevis, vel fusior ingressus, ex iisdem, quos antea retuli, fontibus petitus; postea assumitur sententia, in quam fit vel de voce in vocem, aut in præcipua ejus verba, vel generatim in totam sententiam commentatio; eaque vel ex sensu literali, aut allegorico, vel tropologico, aut accommodatitio, divisim, vel ex pluribus conjunctim; quæ postea in epilogo concluditur paræneſi, ut ante dixi, vel sine illa.

V. Tertia *Paraphrasticæ* apud veteres *Homiliæ* methodus est: cum totus quidem alicujus Evangelicæ, aut alterius Scripturæ, lectionis locus expenditur; haud tamen

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

de textu ad textum, sed solum de sensu ad sensum, continua quadam oratione, velut narratione, additis aliquando allegoricis, sæpius tropologicis, sæpissime literalibus tantum animadversionibus. Primum præmittitur brevis ingressus, hunc sequitur explanatio, demum concluditur paræneſi breviore, aut fusiore, vel, quod *S. Gregorius Magnus* facit, exemplo Historico. Hujusmodi *Homilia* habetur apud eundem *S. Gregorium* pro feria 2da Paschatis: *In quotidianis* (inquit) *vobis, solennitate laborantibus, pauca loquenda sunt; & fortasse hæc utilius proderunt; quia sæpe & alimenta, quæ minus sufficiunt, avidius sumuntur. Lectionis ergo Evangelicæ summatim sensum statui, non per singula verba, discutere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior onerare.* Hucusque ingressus; jam sequitur expositio. *Ecce audistis Fratres Chariſſimi: quia duobus Discipulis JESU, ambulantibus in via, non quidem credentibus; sed tamen de se loquentibus, Dominus apparuit* &c.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS PARAPHRASEOS.

UT Tironum in adornanda dictione *Paraphrastica* labor allevetur, fontes, & loci, unde Paraphrases peti debeant, sunt aperiendi. Duplices autem numerantur: *proprii*, & *communes*. Proprii Sacræ Eloquentiæ; communes utrique.

§. I.

§. I.

De Fontibus paraphraseos ex locis Sacræ Eloquentiæ propriis.

I. Fons est: *Scriptura universe*, sive cum aliqua Scripturæ sententia, quo sensu accipi debeat, ex alio cujuscunque demum libri loco, ac ejus sensu, phrasi, loquendi modo invicem collato explicatur. Sæpe enim fit, ut sensus unius sententiæ per sensum alterius compleri, ac intelligi debeat. Sic licet Scriptura dicat: *Justus ex fide vivit*, item Paulus (*a*): *Arbitramur justificari hominem per fidem;* hoc tamen intelligi haud debet de sola fide Charitatis operibus destituta; sed Scripturæ sensus ex aliis Jacobi textibus est complendus, qui fidem sine operibus mortuam esse dicit: *Fides sine operibus mortua est* (*b*). Alibi vero (*c*): *Videtis: quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Dum igitur Scriptura justum ait ex fide vivere, ac justificari per fidem; intelligit fidem charitatis operibus succensam. Dixi charitatis: nam Paulus apertis verbis excludit opera legis naturæ: *arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Similiter, si cum Divo *Gregorio* illud (*d*) Lucæ: *omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*: per aliam Lucæ sententiam explicares: *Quid hoc loco vallium nomine nisi humiles? quid montium, & collium, nisi*

a) *Ad Rom. 3. ℣ 28.* b) *Jacob. 2. ℣. 20.* c) *Ibidem ℣. 24.* d) *Lucæ 3. ℣ 5.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

nisi superbi designantur? In adventu ergo Redemptoris valles impletæ, montes vero, & colles humiliati sunt; quia juxta ejus vocem: omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit; mons autem, & collis humiliatus decrescit: quia nimirum in fide mediatoris Dei, & hominum hominis JESU Christi, & gentilitas (vallis nomine significata) *plenitudinem gratiæ accepit; & Judæa* (montium, ac collium nomine intellecta) *per errorem perfidiæ hoc, unde tumebat, perdidit.* Denique Pauli (a) locum explicaturus: *Primus homo Adam, in quo omnes peccaverunt:* diceres hoc textu neutiquam comprehendi Virginem Dei Matrem: nam vox *omnis* tametsi universitatem significet; usitato tamen sacris literis loquendi modo persæpe admittit exceptionem, ut in eo Genesis (b) loco: *omnis caro corruperat viam suam*, intelligendum est excepto Noë, ac Sociis ejus; ita omnes in Adam peccaverunt, excepta Virgine Sanctissima, Dei Matre.

II. Fons. Cum Scripturæ textus non jam ex Scriptura universe, sed vel ex antecedentibus, aut consequentibus textibus, vel ex adjunctis vocibus, una, aut pluribus, seu sit nomen, seu verbum, aut adverbium, vel adjectivum, explicatur. Sit exemplum: expositurus illud *Marthæ* apud Lucam (c): *Domine non est tibi curæ, quod Soror*

a) *1. ad Cor. 15. ℣. 45.* b) *Gen. 6. ℣. 12.* c) *Lucæ 10. ℣. 40.*

vor mea reliquit me solam ministrare? diceres: *Martham* non ita ministrasse *solam*, ut nec ancillæ, ac famulæ domesticæ Dominam adjuvissent; sed ministrasse solam, sine adjumento *Mariæ* Sororis; quod patet ex voce antecedente: *Soror mea* reliquit me solam; item ex verbis consequentibis: *dic ergo illi* (nimirum Sorori) *ut me adjuvet.* Similiter in eo Christi dicto (*a*): *Petite, & dabitur vobis*, cum addiderit *vobis*, preces nostras, tametsi omni eo, quo oportet, modo, salutaria deposcentes; haud tamen semper audiri, si res petitæ non ad nos proprie, sed ad alios, pertineant, ut explicat S. Augustinus (*b*): *Ita sane intelligendum est, quod ait dabitur vobis: ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos: qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro se ipsis; non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcunque dictum est: dabit, sed dabit vobis.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

III. Fons. Cum Sacræ sententiæ sensus, & paraphrasis non ex verbis, aut textibus adjunctis; sed ex sola, de qua agitur, subjecta materia desumitur. Sit exemplum in eam Christi apud Joannem (*c*) sententiam: *Ego sum vitis vera;* tametsi Christus hic addiderit *vera*, non tamen intellexit se veram substantia, & natura vitem esse; sed solum

a) *Matth. 7. ℣. 7.* b) *Tractat. 102. in Joan.*
c) *Joan. 15. ℣. 1.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

solum (quod ex subjecta materia patet) veram veræ vitis similitudinem habere, ut ait S. Augustinus (a): *Quid ergo est: ego sum vitis vera? Nunquid ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. &c.*

IV. Fons. Ex variantibus lectionibus, ut Hebræa, Græca, Latina, Chaldaica, Syriaca, invicem collatis. Vel ex diversis veterum versionibus, ut *Aquilæ*, *Symachi*, *Theodotionis* &c. Quod dupliciter fieri potest: 1. cum una relicta altera assumitur, vel utraque conciliatur. Sit exemplum. *Militia est vita hominis super terram. Syriaca habet lectio: tentatio est vita hominis super terram. Apposite utrumque: est enim militiam inter, ac tentationem, hæc, non parva, communio: quemadmodum militi cum hostibus; ita homini cum tentationibus assidue est confligendum &c.*

V. Fons. Instituitur paraphrasis per conciliationem antilogiarum, quas una sententia persæpe habere videtur vel in se, vel cum alia; hæc autem fit vel authoritate Patrum, vel Scripturæ interpretum, vel etiam aliis clarioribus Divinæ Scripturæ testimoniis, vel ex subjecta materia, & illius

a) *Tract. 80. in Joan.*

us circumstantiis. Exemplum habetur Tomulo (*a*) priore; sit alterum. *Lucæ 16. legitur:* Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. *At quis nescit multos lucis filios longe prudentiores esse ad comparanda cœlestia; quam filios hujus sæculi ad quærenda terrena? Nunquid justi verâ prudentiâ, & Divinis illustrationibus instructi operantur; impii vero è suo vivetes genio appetitum sequuntur, cæcorum ducem? quomodo igitur* filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua? *Si rem perspicere vultis, advertite: Christi verba haud esse sumenda universe de justis omnibus; sed de iis solum, quos sua tepiditas fecerat languidiores, ne tam prompti, & sagaces forent in exquirendis mediis ad æterna; quam filii hujus sæculi ad caduca consequenda. Vel certe dici potest cum* Barradio: *Christum locutum fuisse de justis auxilio supernaturali destitutis: natura enim justorum, in se salumnodo spectata, vincitur à natura impiorum:* siquidem hæc *(verba sunt dicti interpretis)* in bonis visibilibus consequendis ardenter versetur; illa ad bona invisibilia comparanda, nisi supernaturali auxilio attollatur, non ardet &c.

VI. Fons. Ex sensu literali, eoque vel proprio, vel improprio, metaphoram, aut allegoriam continente: cum sensus metaphoræ, vel allegoriæ, in textu positæ, explicatur. Sit 1. exemplum metaphoræ: *Lu-*

a) *l. 2. p. 1. cap. 3. Art. 1. §. 4. num. 5. pag. 309.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. I.

Lucæ 13. dicitur à Christo: *Ite, & dicite vulpi illi*: metaphora est in voce *vulpi*, cujus paraphrasim institues, si causas attuleris: cur Christus *Herodem*, ob mores vulpinos, seu animi calliditatem, ac versutias, vulpis nomine compellarit. Hæc autem explicatio duplici modo fieri potest: 1. cum proprietates rei (v. g. vulpis) unde petitur translatio (vel allegoria) enumerantur; dein ad rem (sive *Herodem*) quorsum fit translatio (vel allegoria) applicantur. Vel 2. cum in metaphora, aut allegoria latens aliqua difficultas, & antilogia exponitur. Verbi causa in ea Christi sententia Joannis 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Metaphora posita est: in verbo *venire*, & *trahere*, non sine quadam difficultate, quam ita explicat S. Augustinus (a): *Quomodo istam solvimus quæstionem: nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? Si trahitur (ait aliquis) invitus venit; si invitus venit, non credit; si non credit, non venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus: Nolite cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, & à rebus maxime divinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc Scripturarum Sanctarum Evangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis: quomodo voluntate credo, si trahor? Ego*

a) *Tract. 26. in Joan.*

Ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si Poëtæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio; quando fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est &c. Sit exemplum allegoriæ, in eo Christi dicto *(a)*: *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini*, quam ita exponit Ven. Beda: *Quid esurire beati, quid sitire debeant, Matthæus exponit: videlicet justitiam, aptissime instituens, nunquam nos satis justos æstimare debere; sed quotidianum justitiæ semper amare, imo ardere perfectum. Cujus perfectam saturitatem non in hoc sæculo, sed in futuro provenire posse supernorum desiderio Psalmista flagrans ostendit, qui ait: Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo: satiabor, dum manifestabitur gloria tua. Potest & simpliciter accipi: Beati, qui nunc esuritis, qui castigatis corpus vestrum, & servituti subjicitis, qui in fame, & siti verbo operam datis, quia cœlestium tunc gaudiorum habetis ubertate perfrui.*

VII. Fons. Ex sensu mystico: id est: allegorico, qui res credendas: vel anagogico, qui res sperandas: aut tropologico, qui res morales complectitur. Hos autem

a) *Lucæ 6. ℣. 21.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

interdum indicat ipsa scriptura, potissimum Sancti Patres, & Scripturæ interpretes, qui diligenter volvendi sunt. Sæpe autem Oratores Paraphrastici unum solummodo sensum, sæpe plures adducunt, atque suas iis sententias interpretantur, junctim, aut divisim. Sit exemplum allegorici ex Beato Anselmo in illud Lucæ (*a*): Intravit JESUS in quoddam castellum. *In Scriptura Sacra res una, & eadem multoties invenitur diversa significatione; sicut leo, hædus, ignis, & aqua, vel etiam sol, & alia multa &c. Licet ergo castellum alias malum significet, ut illud, de quo dicitur: ite in castellum, ubi & additur: quod contra vos est, plane manifestat, quid significet; tamen hic castellum, in quod intravit JESUS, singularem, & intemeratam Virginem ejusdem JESU Genitricem, salva Scripturarum regula, per similitudinem accepimus &c.*

VIII. Fons. Sumitur Paraphrasis ex sensu *accommodatitio*: cum verus à Spiritu Sancto intentus Scripturæ sensus alteri simili, vel prope simili, rei accommodatur. Ita Cæsar Calini (*b*) illud 1. Reg. 10. ℣. 23. & 24. *Et tulerunt eum inde, stetitque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum: certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Quod de Saule dictum est, eleganter accommodat Beatæ Vir-

a) *Lucæ 10. ℣. 38.* b) *In Samuele Tom. 2. Serm. 131.*

Virgini sine macula conceptæ. Libet celeberrimi Oratoris verba, in summam contracta, retulisse. *Una tantum, ait, litera vocali mutata, verba initio allata videntur appositè delecta ad præsentem diei celebritatem:* Tulerunt eum inde, *ait Thema nostrum, nos dicamus:* tulerunt eam inde, *stetitque in medio populi &c. Cum altissimo Divinissimæ Trinitatis decreto primus hominum parens Adam, caput omnium non physicum modo, sed morale etiam, fuisset constitutus, ut, si impositam sibi de pomi esu legem communi omnium nomine observaret, vel transgrederetur; tum ejus merito, vel culpa, in nos transiret justitiæ, aut culpæ originalis felicitas, vel infelicitas; mox omnes Divinæ personæ è communi hominum massa eam exemerunt:* Et tulerunt eam inde. Stetitque in medio populi: *Per Adami lapsum ceciderunt omnes; non cecidit Maria; sed sola stetit in medio totius corruentis populi.* Et altior fuit universo populo. *jam inde à primo sui conceptus momento, gratia (ut ajunt) tam actuali, quam habituali, aliisque donis supernaturalibus, ac cœlestibus ad Deum se convertit per actum Charitatis tam perfectæ, ac sublimis, ut comparari potuerit cum actu quocunque ultimo, & consummato, cujuscunque magni Angeli, vel Beati, quod postea cœlestibus assidue intenta contemplationibus, & affectibus adeo provexit, ut jam in terris* altior fuerit universo populo, *id est: omni Cœlitum choro, & quidem* ab humero, & sursum, *id est: toto capite; caput autem istud est Chri-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. I.

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

ſtus, quo Maria ſuper omnes eminet ab humero, & ſurſum. *Sicut enim non poteſt eſſe homo, qui accedat ad altitudinem Dei hominis, qui Chriſtus eſt; ita nec ulli creatura reperiri poteſt, quæ accedat ad altitudinem Dei Parentis, quæ Maria eſt:* majorem Matrem, quam Dei Matrem Deus facere non poteſt, *inquit Auguſtinus. O ſi Samuel, dum populo monſtrabat Regem Saulem, manu prophetica oculis exhibere potuiſſet hanc Reginam; multo majori ſane jubilo dicere potuiſſet:* Certe videtis, quam elegit Dominus, quoniam non eſt ſimilis illi in omni populo &c.

§. II.

De Fontibus paraphraſeos ex locis utrique Eloquentiæ communibus.

IX. Fons. Per *definitionem*, aut *deſcriptionem*: cum verbum in ſententia Evangelica obſcurum, vel ſaltem minus clarum, aut etiam clarum, per ejus definitionem, ac deſcriptionem, Tomulo priore (a) explicatam, clarius exponitur, idque in ſenſu literali, aut myſtico, vel in utroque. Sit exemplum de Filio prodigo in illud Lucæ 15: *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Verbum obſcurius eſt ſiliqua, quod ita explicat *Hericus*, per definitionem, primum in ſenſu literali, poſtea myſtico. *Siliqua genus eſt leguminis, foliis maximum, & ſonorum;*

ſed

a) *l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 1. §. 1.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

sed granorum paucitate sterile, & pene vacuum. Ideoque per siliquas designantur doctrinæ sæculares, sterili suavitate resonantes, in quibus laudes idolorum, id est: fabulæ, & carmina Poetarum concrepant, quibus porci, id est: dæmones delectantur. His prodigus iste saturari cupiebat: quia aliquid sordidum, & quod ad beatam vitam pertineret, in talibus invenire nolebat, nec poterat: hoc est enim quod subjungitur: Et nemo illi dabat.

X. Fons. Per *Nominis notationem*, seu *ethimologiam*, aut *conjugata*. Sint exempla. 1. Per *Notationem* ex Homilia Ven. *Bedæ* in Evangelium Lucæ 2: *Quia vero in Bethlehem esset nasciturus, hoc quoque propheticis designatur oraculis, cum dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim egredietur, qui dominabitur in Israel. Qui bene in Bethlehem nascitur, non solum propter indicium Regii stemmatis, quia David inde fuit; sed & propter nomen ipsum, quia Bethlehem domus panis interpretatur: ipse namque ait: Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi. Quia ergo propterea de Cœlo in terram descendit, ut nobis vitæ cœlestis alimoniam donaret, nosque æternæ dulcedinis munere satiaret, merito locus, in quo nascitur, domus panis vocatur.* 2. Per *Conjugata* in illud Matthæi (a): Tollite jugum meum super vos: *Hoc jugum Divina lex est: ut enim jugum à jungendo dici solet: quoniam bina animalia, sub jugum missa, eo conjunguntur;*

a) *Matth. 11. ℣. 29.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

ita lex Dei homines ad observantiam Dei mandatorum, velut ad quoddam jugum, adstringit.

XI. Fons Per *enumerationem partium*: cum aliqua Scripturæ Divinæ sententia, totum quoddam genericum, vel specificum, metaphysicum, aut morale, vel integrale complexa, suas in partes distribuitur, ad eum fere modum, quem attulimus Tomulo (a) priore. Sit exemplum in illud Jobi 7. ℣. 1. *Militia est vita hominis super terram*, ubi militia est totum morale, & quidem collectivum, quod explicabis, si cum *Segneri* partes ejus exposueris: *Est vita hominis militia quædam, cujus, si Archistrategum quæras: est Deus; si duces inferiores: sunt, qui ejus in terra locum obtinent. Milites sunt homines, ad militandum per omnem vitam obstricti; ac idcirco non dicitur: militia est in vita hominis; sed vita hominis est militia. Locus certaminis est hæc terra, super quam varios in ordines pro suo unusquisque statu disponitur. Insigne est pulchrum Christiani nomen. Arma sunt preces, sunt Scripturæ, sunt Sacramenta, sunt castigationes, cæteraque hujusmodi Spiritus adjumenta. Hostes sunt cupiditates inordinatæ, à dæmonibus, quibuscum fœderantur, excitatæ. Stipendia sunt solatia, quæ recipiuntur a gratia. Jacturæ sunt lapsus in peccatum. Lucra parta sunt actus præclari virtutum. Clades est damnatio. Triumphus gloria paradisi, qua victores, sua*

a) *l. 2. p. 3. cap. 3. Art. 2. §. 1. num. 3. pag. 692.*

sua functi militia, coronantur. Similiter enumerari possunt causæ alicujus, in Sententia repertæ, effectus; & effectûs causæ. CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

XII. Fons. Per *similitudinem*, aut *comparationem:* cum in aliquo Scripturæ loco latens similitudo, vel comparatio, fusius explicatur, ut diximus Tomulo (*a* priore. Hæc autem similitudo aliquando innuitur verbo, interdum nomine, sæpius adverbio &c. Exempla reperies eodem loco; sit aliud: Jobi 14. ℣. 14. legitur: *cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea*, similitudo latet in verbo *milito*, per quod vita nostra militiæ comparatur; paraphrasim institues, si causas, ob quas vita militiæ assimilatur, exposueris. Adornari etiam potest paraphrasis, si cujuspiam sententiæ sensus per exemplum profanum, aut sacrum, præsertim Biblicum, illustretur, quod Tomulo (*b*) priore retulimus, & ab *Italis* maxime Oratoribus usurpari videmus.

XIII. Fons. Per *contraria*, qui optimus, & pulcherrimus amplificandi locus esse solet. Verbi causa explicandum haberes illud Prov. 20. ℣. 1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur, non erit Sapiens.* Cum luxuriæ opponatur castitas, tumultui pax, ebrietati sobrietas, delectationi aversio, insipientiæ

a) *l. 2. p. 1. cap. 3. Art. 1. §. 4. num. 6. pag. 309. Item pag. 702.* b) *Tomul. I. pag. 704.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

sapientia, recte paraphrasim institues, si ante exposueris quantum castitati, & fovendæ paci, ac concordiæ prosit sobrietas, ac temperantia in vino, qui hoc aversantur plerumque sunt Sapientes. Nam ex contrariis juxta se positis (ut novimus) magis veritas elucescit.

XIV. Fons. Per *adjuncta*, vulgato præsertim versiculo contenta: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, si Sacræ cujuspiam sententiæ sensus explicetur. Verbi causa exponendum foret illud Lucæ 1. v. 26: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ*, *cui nomen Nazareth*, *ad Virginem desponsatam Viro*, *cui nomen erat Joseph*, *de domo David*, *& nomen Virginis Maria*, recte paraphrasim (a) institues, si primum sententiam examinaveris à circumstantia *quis:* quis missus? postea à persona: *ad quam* missus? dein à loco: *ad quem* missus? demum à causa: *cur* missus? &c. *Primum: quis missus? Missus est Angelus*, *& quidem Gabriel. Cur Angelus? Cur non potius Patriarcharum*, *aut Prophetarum unus aliquis &c? Fieri id quidem poterat; verum mysterio*, *ac ministerio huic aptior erat Angelus: nam* 1. *negotium dignissimum dignissimo conveniebat ministro: dein hæc missio legatio erat*, *per Angelum*, *qui legatum significat*, *peragi debebat*, *quos*, *velut Administratorios Spiritus* (*ut loquitur Paulus*) *sive inter-*

a) *Vide Amadæum in Eloqu. Christ. p. 2. l. 1. cap. 1. Art. 3. Sect. 2.*

internuntios ad creaturas inferiores Deus adhibere solet; demum quia reparatio lapsus humani, Angelo male svadente, peracti, debuit meliore nunciante spiritu annunciari. Hunc autem nuncium Gabrielem esse oportebat. Eccur Gabrielem, & non alium? Accipe nominis Etymon; & mysterium perspicies. Gabriel sonat virtutem Dei: legationis consilium proditur ex ipsa legati appellatione. Dei videlicet virtus est verbum Divinum, quod incarnandum annunciatur: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hanc Altissimi virtutem quis? nisi Angelus, & ille quidem Angelus, cujus vel ipsa nuncupatio virtutem sonat, annunciandam habet. Hoc, aut simili, modo, reliquæ etiam circumstantiæ, cur istæ sint potius, quam aliæ, examinari queunt.

XV. Fons. Per *animadversiones* ad alias circumstantias, cur hæ potius, quam illæ, in aliqua sententia reperiantur. Verbi causa: cur adhibeatur numerus singularis potius, quam pluralis: hic gradus, quam alius: hoc nomen, quam illud: hoc tempus, v.g. præteritum, quam præsens, aut futurum, & viciſſim. Item: cur addatur hoc pronomen, hoc verbum, hoc adverbium, hoc adjectivum, hic casus &c. Illustremus exemplis. 1. Per animadversionem ad numerum: *David rogat:* non veniat mihi pes superbiæ *Cur pes, non item ait pedes superbiæ? Ergo superbia unicum solummodo pedem habet? Ita sane: est enim superbia monstro illi persimilis, quod uno tantum instructum esset pede. Dein, quia super-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

bus in se uno omnem fiduciam collocat, & totus sibimetipsi innititur. Denique: sicut debili innixus fulcro facile corruit: ita superbus in omnia vitiorum genera quam citissime prolabitur. Non veniat mihi pes superbiæ. 2. Per animadversionem ad pronomen, & tempus. *Sapientia ædificavit sibi domum.* Sibi *ait, & non* alteri: *Divina enim Sapientia Christus ita* sibi *Virginem Dei Matrem in domum delegit, ut unigenitus dici possit, nemini alteri, seu ante, seu postea eam siverit incolendam.* Ædificavit *autem dixit, non* ædificat, *vel* ædificabit, *ut discereremus hanc domum, jam ante, quam ingrederetur Dei filius, rebus omnibus, ad ædificii absolutionem pertinentibus, fuisse instructam, & consummatam.* Plures, his similes, animadversiones reperies apud *Calini*, *Oliva*, *Segneri* in Manna animæ, & Sanctos Patres, quos diurna, nocturnaque manu volvas oportet, ut egregius *Paraphrasticus* Orator evadas.

ARTICULUS III.

DE PRIMO DICTIONIS PARAPHRASTICÆ MODO.

§. I.

Præcepta hujus modi

MOs veterum in adornandis *Homiliis*, ac dictionibus *Paraphrasticis* non idem est, qui recentiorum. In his enim ars Oratoria relucet magis, quam in illis, seu inventio spectetur, seu dispositio, sive demum elocutio.

cutio. Plures autem sunt earum modi, quos præsente, ac secuturis articulis referre placet: nec enim omnem *Homiliarum* (ut ante dixi) usum è Sacra Eloquentia cuperem exturbatum. Nunc de primo agam modo: primum de illius inventione, postea de dispositione, demum de elocutione. CAPUT II. ARTIC. III. §. 1.

I. *De inventione hujus modi.* Primus Concionis *Paraphrasticæ* apud Recentiores modus est, in formam *Postillæ*, sive cum Evangelium, vel alius Scripturæ locus, exponitur quidem de sententia in sententiam; sed omnia in unum, idemque dictionis propositum, sive thema, declarandum referuntur. Verbi causa: Evangelicam mulieris Samaritanæ à Christo conversæ historiam in modum *Postillæ* tractandam sumeres; thema dictionis esse potest: *de modo Divinæ Gratiæ, quo Deus in convertenda rebelli peccatoris utitur voluntate.* Quorsum tota dein, velut ad scopum, hac paraphrasi declarandum, prædictæ historiæ seu literalis, seu mystica expositio spectabit. Atque hac potissimum re differunt Recentiorum *Homiliæ* à Veteribus: hi enim sensûs literalis, aut mystici nuda expositione contenti; haud multum elaborabant, ut eam ad unum præfixum dictionis scopum referrent. Hæc autem themata aliquando congruunt sensui literali, proprio, vel parabolico. *Proprio:* Si Dominicæ I. Adventus Evangelium explicaturus ad horrorem extremi judicii applicares. 2. *Para-*

boli-

CAPUT II. ARTIC. III. §. I.

bolico: cum Filii prodigi parabolæ expositionem ad infelicem peccatoris statum traduceres. Sæpius promitur ex mystico, ut *allegorico*, *anagogico*, vel *tropologico*. Verbi causa: Si Evangelium, Festo Assumptæ Virginis legi solitum, ad laudes, & præcellentiam Divinæ Matris transferres; vel ex sensu *tropologico* historiæ *Nabuchodonosoris* superborum hominum fastum suis coloribus depingeres. Denique ducitur thema ex sensu *accommodatitio*, dum *Cæsar Calini* in parabola filii prodigi ideam regiminis paterni Viris Principibus proponit. At undecunque thema istud promatur, parum interest, modo assumpta Evangelica, vel alterius Scripturæ Divinæ, lectio, illud, velut semen arborem, aut typus imaginem complectatur. Unde hujusmodi dictiones etiam *typicæ* dici solent, quod plerumque ex parabolis, vel exemplis historicis, novi, aut veteris testamenti, velut è quodam typo, non solum in genere morali, sed etiam panegyrico, vel in utroque (ut alibi dicemus) desumantur.

II. *De dispositione hujus modi.* Hic modus quatuor plerumque complectitur partes: primum exordium, dein propositionem, postea expositionem, sive paraphrasim, demum epilogum. Exordium potissimum ducitur è fontibus communibus, vel propriis Sacræ Eloquentiæ, tomulo (a) priore allatis.

a) *Tomul. 1. l. 2. p. 2. Cap. 1. Art. 2. §. 1. & 2.*

tis. In propositione proponitur thema, ad quod probandum, vel declarandum, tota postmodum Evangelii tendit expositio. Hæc autem instituitur de sententia in sententiam, hoc modo: 1. adfertur sententia, aliquando nude, sine expositione, præsertim, cum sensus est tantum accommodatitius, vel non multa eget interpretatione; plerumque cum explicatione literali, aut mystica (ut res feret) è fontibus paraphraseos supra allatis petita, & in modum prothasis præmissa, interspersis observationibus, vel ex totius sententiæ sensu, vel ex præcipuis, uno, aut pluribus, depromptis. Postea subjungitur apodosis, sive applicatio ad thema propositum; additis, vel omissis (ut videbitur) aliis etiam rationibus, eo facturis, quæ rem confirment. Epilogus totam explanationem, jam proposito applicatam, breviter repetit, & nova paræneſi, seu adhortatione, ac doctrina morali, motum ciet. CAPUT II. ARTIC. III. §. 1.

III. *De elocutione hujus modi.* Elocutio hujus modi sit *Didactico* generi conveniens, de quo egimus Tomulo (a) priore; cavendum autem est in hac methodo potissimum ab Auditorum fastidio, ex styli æqualitate proveniente. Unde varietas adhibenda est tam per gratiosas transitiones ab una sententia ad alteram, quam per lepidas (perbreves tamen, & ad propositum idoneas) nar-

a) *Tomul. I. pag. 579.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

narrationes, denique figuras, sed Didactico argumento accommodatas.

§. II.

Paradigma hujus modi.

IDæam dictionis *Paraphrasticæ* hunc in modum elaboratæ habet (a) *Amadæus*; præbet etiam *Cæsar Calini*, Italus, Societatis nostræ Sacerdos, in expositione parabolæ de filio prodigo, dictam in Aula Senatus Reipublicæ *Lucensis*, Sabbato ante Dominicam III. Quadragesimæ, Anno M. DCC. XI.

EXEMPLUM.

Sententia Sacra: *Homo quidam habuit duos filios &c.* Lucæ 15.

Thema dictionis: *Idæa regiminis paterni Viris Principibus proposita, in expositione parabolæ de filio prodigo.*

EXORDIUM.

Ingressus à circumstantia Auditorum, & Evangelii, cur explicandum sumatur coram his Auditoribus. *Evangelicum Patremfamilias hodie nobis proponit Ecclesia; nec tu*, Sereniſſime Princeps, *aliud tibi hac die, hoc è loco, proponendum existimas; ac quod omnibus proponitur ab Ecclesia. Qui conceptas animo tuo non belle penetrat idæas, difficile admodum capiet, quorsum prospectes hoc sermone, in eam Evangelii partem adornato, quæ minime prorsus ad te videtur pertinere. Ergo homo unus, & simplex*

(ho-

a) *In Eloqu. Christ. p. 2. l. 1. Cap. 3. Art. 2.*

(homo quidam, *ait Evangelium*) *idea esse potest tam excelso Senatui? Quæ, oro, comparatio est privati, ac domestici duorum filiorum regiminis* (habuit duos filios) *cum regimine publico totius populi, ac unius regni?*

Descensus. Redditur ratio. *Verum, si bene sensum, ac mentem assequor tuam*, Princeps Serenissime, *videris mihi velle hodierno sermone ejusmodi exemplum, omnibus serviturum, in medium adducere, unde palam fieret: vos in Republica à subditis vestris non aliter agnosci velle, ac Patres; nec subditos vestros à vobis aliter agnosci, ac filios. Neque mirum cuiquam accidere debet, quod hoc in typo hujus Evangelici Patris designari velitis; cum in eo jam ante, Divi Chrysologi (a) testimonio, Deus ipse voluit significari:* Dominus Patrem vere se duorum nuncupat filiorum (*inquit Chrysologus*) quia humanitati permixta Deitas, Deitati consociata pietas Dominum univit in Patrem: *unione profecto amabili, ut, qui Dominus esset, simul Pater foret. Non secus vos etiam: homines quidem estis natura; at principes dignitate. Regitis populos, ceu subjectos* (*ut ajunt*) vasallos; *at una perbenigne tractatis tanquam filios: Patrum æque, ac Dominorum munere perfuncti. Dominorum: quod dat Principis officium, & majestas. Patrum: quod vestra vobis tribuit clementia, & pietas.* Humanitati permixta majestas, majestati consociata pietas Dominos univit in Patres.

Pro-

a) *Chrysolog. Serm. 5.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Propositio. *Quapropter rem omnino ex animi vestri sententia me facturum arbitror, si magnifico hoc in confessu pace vestra, eos esse dicam Principes, qui re ipsa sunt Patres, & hodierno ex Evangelio pulcherrimas proponam ideas gubernandi subditos, ut filios. Erit sermo hic regiminis vestri panegyricus. Sæpe solent Oratores in Viris Principibus ea laudare, quæ minime agunt, ut doceant ea, quæ agere deberent. Adulari videntur; re ipsa persuadere volunt. Contra, cum ego ad eos loquar, qui suas magnopere refugiunt laudes, proponam id, quod agendum est; ac vere laudabo vos in eo, quod agitis. Ita dictio mea videbitur velle persuadere sine umbra laudis; re ipsa laudabit vos sine umbra adulationis.*

EXPOSITIO.

Est hæc in modum postillæ de sententia in sententiam, plerumque cum prothasi, aliquando sine illa, semper tamen cum apodosi, sive applicatione morali ad propositum dictionis scopum. Expositio, sive prothasis sumitur ex sensu literali; apodosis ex accommodatitio. Stylus est concisus, & sententiosus, interspersis etiam acuminibus, & argutiis, didactico generi, & illustrium, ac doctorum Auditorum personis conveniens.

I. Homo quidam habuit duos filios. PROTHASIS. *Unus horum natu erat grandior, alter junior. Junior dixit ad Patrem: eja Pater da mihi earum partem facultatum, quæ meum con-*

constituunt Patrimonium. Et dixit (*ajunt Sacræ literæ*) adolescentior ex illis Patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. *Filius hic & juvenis, & imprudens erat; & tamen (quod mirandum) accessum habuit ad aurem Patris, ut non modo auditus fuerit cum patientia, sed etiam cum amore. Eccur istud?* APODOSIS, sive applicatio ad propositum. *Facilitas alloquendi sit una oportet principes inter paterni regiminis leges. Subditus non auditus, plerumque nec est contentus. Omni repulsa gravius est non habere locum, ut vel supplices porrigi possint preces. In mœrore animi ob rem, quæ petitur, non obtentam; lenimentum est videre, si rationes saltem audiantur. Oculus Principum est auris: qui sic gubernat, ut nil audire velit; sic gubernat, ut nil rescire possit. Qui paucos audit, periculum subit, ut in multos injustus evadat; qui audit omnes, sincerum probat animum, nemini cuiquam injuriam inferre volentem. Fraudes, & calumniæ perquam facile accedunt ad tribunal illud, ad quod accedere nequit populus. Prona omnes audiendi voluntas est optima veritatis magistra.* Erigit mane [*dicitur (a) apud Isaiam*] mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. *Primo statim mane oportet aurem aperire ad audiendum: & auditio hæc erit magistra operationum. Salomon à Deo pie cor precatus, petiit cor docile, cujusmodi debet esse cor Principis gubernantis:* Dabis, *inquit, (b)* servo tuo

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

K cor

a) *Isaiæ 50. ℣. 4.* b) *3. Reg. 3. ℣. 9.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

cor docile (*a*) *Græcus legit*: cor sapiens; *Hebræus*: cor audiens, *quasi in Principe perinde foret docilitas, id est*: cor docile; *ac sit sapientia, sive* cor sapiens; *& auditio*, cor audiens. *Magnum quidem faciebat negotium gubernantibus patentem semper subditis servare januam; servabitur tamen; si Princeps fuerit Pater.* Dixit adolescentior Patri.

II. Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. SOLA (*b* APODOSIS. *O quam verum est, & magnopere necessarium, ut subditus fidenter quidpiam petere audeat, ut à Principe filii instar habeatur*: Pater da mihi. *Multa repetunt Principes è bonis, ac fortunis subditorum*: *omnes ajunt*: da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. *Nec immerito*: *multæ enim publicæ fiunt expensæ impendio Reipublicæ; hæc autem unde, quam ex privatis coalescit? Ex ærario Principum Urbes, ac Civitates suas accipiunt munitiones*: *sua stipendia milites*: *suum belli apparatum armamentaria. Per ærarium publicum injiciuntur fluminibus fræna, conservantur pontes, aluntur proceres, constituuntur Judices, ac Magistratus. At ærarium istud concha solum est; non fons*: *lacus, non flumen, in quem nisi venæ privatorum suam transmittant tributorum portionem, facile exaresceret. Ita enimvero non sine causa dicere possunt subditis Principes*, da mihi; *at nec subdito sua apud Principem*

a) *Paraphrasis instituitur per sontem IV.* b) *Sine Protbasi, & expositione, juxta modum in præceptis traditum.*

vipem desunt jura. Hi pariter libere Principibus edicere posse debent: da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit, *non tunc solum, dum causa est luculenta, & aperta; verum tunc etiam, cum jus est incertum, & obscurum, fidenter valeant litem fisco intentare, certi: si voti compotes non fuerint, saltem causa in judicium vocata justitiam sunt experturi. Magna est Principum gloria, fas esse subditis, eos in litem vocare: major est, iis etiam favere: maxima est, victos se ab iisdem profiteri. Verum ut eo perveniatur, necesse est, ut Principes sibi persvadeant: se Patres esse:* Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. *Quod affatim præstitit hodiernus, de quo agimus, Pater Evangelicus.*

III. Et divisit illis substantiam. PROTHASIS. *Dubium hic non leve, (a) nec inutile exoriri potest: cum unus tantummodo filiorum suam sibi hæreditatem à Patre dari postularit:* da mihi substantiam, *mihi, inquit, non nobis; cur Evangelicus Pater eam utrique voluerit tradidisse?* Et divisit illis substantiam. *Ergo thesauri projiciuntur non petenti? Ergo augentur expensæ, sine ulla necessitate? Ergo multiplicatis, quin vel rogetur, aliorum subsidiis, ipsi Patri minuuntur opes? Tribuat tandem, si volet, inquieto adolescenti moderatam, qua contentus esse debeat, portionem; at natu grandiori, nihil exigenti, nihil est, quod tribuatur. Verum,*

a) *Hæc paraphrasis est per fontem XV. junctim cum fonte V.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II. Sereniſſime Princeps, *non erat, non, inquam, erat conveniens, ut dum uni filiorum ſua prodeſt audacia; alteri obſit modeſtia. Prudentior non equidem ſuam exigebat portionem; at vel inde ea dignior erat; quoniam modeſta erga Patrem verecundia prohibitus petere refugiebat. Animo impudenti creſcit audacia, cum ſe mollius viderit tractari. Inverecundum provocatur ingenium, ſi is, qui verecundus eſt, negligatur. Siquis mercedem, aut præmium promereatur; non tamen illud petat, ne ſit importunus, non idcirco deſinit promereri. Emergere velle ſuper alios magni animi; at non magnæ ſemper virtutis argumentum eſt. Non quærere, interdum fiducia eſt meriti; interdum moderamen ingenii.* APODOSIS ad propoſitum dictionis. *Non ſine laude juſti, & attenti gubernat Principis, qui petentium non iraſcitur importunitati, nec modeſtam ſilentis negligit taciturnitatem: cum in utrumque adeſt ratio. Vilis eſt debitor, apud quem creditori nocet eſſe patientem. Magnus animus, cujuſmodi debet eſſe Principis gubernantis, & animus amore potius, quam timore, Patris inſtar, regere volentis reddat ſuum, quod convenit, unicuique: nec verecundum in exigendo ſubditi ſilentium reddat Principem in ſatisfaciendo minus attentum, ac liberalem*: diviſit illis ſubſtantiam. *Haud ergo miror, quod ſapiens Pater beneficam ultro laxarit manum probum in filium nihil petentem; at illud capere haud poſſum, quod audierit vota filii male morati multum exigentis. Cum prævideri poterat bona ſua diſſipaturus, videntur ea potius*

dene-

denegauda fuisse, quam tradenda; neutiquam tamen censuit faciendum optimus Pater: in hoc etiam absolutæ justitiæ exemplum voluit præbere ad clavum sedentibus: nulli quidquam, quod suum est, ne fortasse eo in malum abutatur, denegandum esse. Quot pauperes in mundo reperiuntur, quibus nostro debili judicio multo salutarius foret divitiis abundare; contra sunt in mundo divites haud pauci, qui, si paupertate pressi humiliarentur, longe mundo consultius foret. At, qui gubernat, deesse non debet justitiæ; tametsi alter desit favori fortunæ: possessio enim illi concedenda est, qui jus habet possidendi; non autem ei, qui rectius ea uteretur. Provocaverant olim [illustratur exemplo] *ad tribunal parvuli adhuc dum Cyri duo pueri litigantes. Erant hi mole corporis inæquali: unus altiore, alter statura breviore. Altior tunica amictus brevicula, suam vi commutaverat cum veste minoris paulum longiore. Ita vestibus utrique aptatis contenti esse potuissent; nisi minor permutationi refragatus apud parvum Principem causam indixisset majori. Quid Cyrus? decidit rem inter pueros; sed pueri more: nam attenta solum utriusque statura; vestem conspicatur utrique convenire, factum probavit, ac sententiam tulit pro majore. Sed Pædagogus à Principis latere nunquam abesse solitus, acriter Cyrum objurgat, quod causam non ex ratione; verum ad oculum solummodo judicasset; suum, inquit, cuique reddendum est: Vestis magna male equidem parvo convenit corpusculo; at sua est: melius ea majori conveniret corpori, haud tamen illius est:*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

reddatur unicuique, quod debetur. Sereniſſime Princeps! *Juveni omnia pergræcanti male conveniunt magnæ divitiæ; ſi tamen ei jure debeantur; haud poterunt ſine injuria denegari. Nunquid Deus ipſe ſenſuum noſtrorum abuſum prævidit; nec tamen, ut author naturæ, denegat naturæ, quod ei debetur à natura. Emancipato filio debetur legitima, tollat eam, ſi petiverit. At dilapidabit? quid tum? Filius tum ſe improbum; Pater vero juſtum probabit: juſtitia dividendas eſſe jubet facultates probo æque, ac improbo:* Diviſit illis ſubſtantiam. *Si Princeps corradere velit nomina, quibus deneget ſubditis, quæ debentur; facile colores inveniet, aut pallia, quibus contegat, & boneſtet injuſtitiam. Grandis infertur injuria rationum æquitati, ſi juribus luculentis fucis illitæ opponantur convenientiæ. Tribuat Princeps ſubditis, quæ debet: ſi diſſipaverint; deteſtanda erit eorum improbitas; at Principis laudabitur æquitas:* diviſit illis ſubſtantiam.

IV. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſe. *Quam boni paternique regiminis ideam nobis hæc actio præbere poteſt, non in eo ſolum, quod continet, ſed in eo etiam, quod indicat. Luxurioſe victurus adoleſcens quid agit? longius, imo longiſſime recedit:* Peregre profectus eſt in regionem longinquam. *Non auſus in domo patria, quin nec in regione patriæ vicina, ac finitima male vivere, abiit longiſſime:* peregre

in

in regionem longinquam, *quæ loquendi formula, ſacris in literis uſitata, perſæpe gradum ſignificat* [*ut ajunt*] *ſuperlativum. Compertum habebat magnam in ſe Patris eſſe vigilantiam, magnum zelum; neceſſarium ergo credebat, ut ſe quam longiſſime ſubduceret à paterno conſpectu, & caſtigatione. Pater enim vigili ſemper intentus oculo, curioſius filii actiones obſervabat, & delinquentem ſeverius caſtigabat.* APPLICATIO. *Vigilantia hæc in attendendo, zelus in puniendo, principes ſint uniuscujusque bene ordinati, & paterni regiminis leges. Eapropter Deus Optimus Maximus Principes ac publicos Magiſtratus peculiari quodam lumine inſtruere ſolet ad res cognoſcendas, ac pervidendas. Duo ſacris in literis hac de re nobis offeruntur loca ſumme paradoxa: Geneſis nimirum, & Danielis. In Geneſi* (*a*) *Deus ait:* Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum? *Quid hoc? An fortaſſe Abrahamus* (*b*) *tam acuta oculorum acie præditus erat, ut omnia etiam abditiſſima Divini cordis penetralia potuerit penetrare? An Deus amore tanto proſecutus fuerit hunc amicum, ut ipſi, ne vel unam celare valuerit arcanæ mentis cogitationem? Princeps, qui neſcit tacere, neſcit Regnare: qui idoneus non eſt ad arcanum cuſtodiendum; idoneus non eſt ad Regnum conſervandum. Familiarius agere cum amico dignatio eſt: eum ditare liberalitas: ipſum evehere oſtentatio; verum ad quævis*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

a) *Gen 18. ℣. 17.* b) *Hujus paraphraſis amplificatio eſt per modum VI. Tomulo priore, pag. 711. relatum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

arcana intimius admittere, grandis imprudentia. Principis Princeps est subditus ille, qui de ore sui Principis eruit id, quod occultum est. Seu vi lucri, seu vi timoris, aut amoris expugnetur arcanum, grandis semper est infirmitas se vinci sinere. Hæc si ita? Qui ergo Deus asserit Abrahamo: nullum arcanum, quin ei revelet, à se abdi posse: Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? *Edicam; at prius Danielis(a)locum, perinde difficilem, audiamus.* Igitur Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas: quia Spiritus Dei amplior erat in illo. *Quivis gradus [ut ajunt] comparativus supponit positivum. Si Domini Spiritus majori cum amplitudine fuerat in Daniele; ergo idem Spiritus cum aliqua amplitudine, tametsi minore, debuit fuisse in cæteris etiam Optimatibus: Satrapis nempe, & Principibus? At quinam illi? officio equidem fuerant proceres; sed religione idololatræ, malitia superbi, invidi, livore pleni. Et in hujusmodi hominibus, Divinus cum amplitudine habitare potest Spiritus? Sic est:* superabat omnes Principes, & Satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. *Spiritus iste [teste Theodoreto] erat Spiritus prudentiæ, ac scientiæ; erat lumen gubernantibus, tametsi perversis, infundi solitum; non eorum quidem merito, sed officii, quod gerebant, necessitate, ita rem deposcente.* Discimus ex hoc loco [*ait Theodoretus*] iis, quibus ad vitam civium instituendam magistratus mandantur, etiamsi pietatis expertes fuerint, quod-

a) *Dan. 6. ℣. 3.*

quoddam tamen sapientiæ munus ad subjectum sibi populum gubernandum divinitus concedi. *En! cur Deus illustratum voluerit Abrahamum, charum sibi, & amicum, ut nempe cognosceret imminens excidium sceleratarum Civitatum. Adire debebat magnum imperium; ad hoc porro feliciter sustinendum, necessarium erat magnum lumen:* Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam, & præcepturus sit filiis suis, & domui post se. *&c. Ubi appositè prorsus ad propositum meum loquitur Divus Thomas:* Causa revelationis præsidentia sui regiminis, propter quam decebat sibi, sicut aliorum Rectori, plura Dei arcana revelari. *Sic est peculiari lumine collustrat Deus imperantes, at cum omnibus his luminibus adhuc in caligine versabuntur, si dormiant, si non vigilent. Qui bene cupit regnare, bene illum oportet vigilare. Delicta semper vivunt secura, si nebula, vel minima, Principum oculis offusa, abscondantur. Nil edicta juvant, si non adsit Principis vigilantia, an observentur? Sæpe fit, ut, quantacunque attentio adhibeatur; haud tamen omnia videantur. Quid erit, si nulla, vel exigua admodum usurpetur? (a) &c. At non satis est Principi vigilasse, zelum præterea vigilantiæ adjungat, quo delicta puniat, ac delinquentibus terrorem incutiat. Veteres ad exprimendam symbolo, ac typo, boni*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

a) *Consulto hic, & alibi quæpiam, sine quibus hujus dictionis artificium cognosci potest, præterimus; ne Oratione longius excrescente procurrat opus.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

regiminis ideam, in apice Sceptri apertum pingebant oculum, quo admonebant, Principibus, cæterisve Regnorum administris haud sufficere apertum tenere oculum ad videndum; sed præterea necessarium esse oculo, qui videt, virgam adjungere, qua fontes percutiantur. Atque istud est fortasse, quorsum spectasse videtur Propheta cum diceret: virgam vigilantem ego video. *Quæ, oro, est hæc virga vigilans? nisi illa in manibus Principum posita, quo semper attenti sunt ad detegendos; & prompti ad fontes percutiendos. In rebus publicis nunquam à sapientibus probata fuit legum multitudo: cum usu doceamur: multis editis transgressiones multiplicari. Est enim homo natura liber, refugit subjici, cum suam nimium restringi videt libertatem. Novi quidpiam confestim statuere, cum aliquid perperam agitur, videtur quidem esse providentia; at re ipsa persæpe debilitas est superioris, eos plerumque novarum legum onere prementis, qui pondus ferre non mererentur; eos autem liberos sinentis, qui farcinam soli ferre promererentur. Superior, qui sibi animos non sumit ad solum reum pœna plectendum, multum sibi blanditur feciſſe, si novo edicto tangat omnes innocentes; at si rem, ut est, spectemus, injustus est, dum onus istis injicit; ac debilis, dum cum reo pugnare nescit. Vigilet virga Principis, atque legum violatores percutiat, haud erit opus novis legibus, quæ innocentibus plerumque graves esse solent. Abusus non tolluntur legibus, sed pœnis. Voci Principis non obeditur, nisi ad obtinendam obedientiam subveniat manus.*

Quid

Quid egit Deus, ut petra obediret Moysi è visceribus aquam effundere jubenti? Duo præcepit: primum: loquimini *(a)* ad petram. *Postea (b):* percuties petram. *Et ecce! petra, Moyse loquente, & percutiente, emollita, confestim dulci undarum murmure respondens dedit aquas:* Et dabit aquas. *Ita agendum est etiam Principibus: primum loquantur:* loquimini ad petram. *Si verbis non paruerint, si subditi se petras, & silices præbuerint, tum transeatur ad verbera:* percuties petram *; & videbitis, deposita petræ contumacia dabunt aquas:* Et dabit aquas *&c.. Ex hac ergo vigilantiæ, & justitiæ delicta severe castigantis, certitudine discent subditi: non esse libere delinquendum, aut si delinquere voluerint, efferent se cum filio prodigo è regione sua procul in alienam, ut illic impune, & liberius valeant peccare:* Peregre profectus est in regionem longinquam.

V. Et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit uni Civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. *Attamen in hac ipsa etiam absentia, cum subditi, procul à Principis timore positi, luxuriose vixerint; haud tamen frontem omnem exuunt, cum timor ille, in quo jam ante in patria fuerant educati, nondum plene extinctus,*

a) *Num. 20.* b) *Exod. 17.* *fræ-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

frænum quoddam sit etiam extra patriam, ne in omnem, quamvis iniqui sint, prolabantur iniquitatem. Iterum ob oculos ponite hodiernum, de quo agimus, filium parabolicum. Spoliaverunt hunc vitia omnibus fortunæ bonis: Et dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. *Porro in hac paupertate, oppressus est præterea communi rerum caritate, & penuria, ita, ut cum ipsi integrum non esset è proprio vivere, nec ab alio sperandum subsidium haberet, magnopere fameret, & egeret:* Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. *Quod eguerit, haud equidem dignum est admiratione. Est enim communis, & justissima filii Patrem relinquentis, & subditi ob vivendi licentiam, & libertatem Principem deserentis, pœna: ut in libertate reperiat paupertatem, & animadvertat, cum illum deficiunt Princeps, & Pater, à quibus puniatur; duo illum deficiant Patres, à quibus ei subveniatur. In hanc ergo miseriam, & mendicitatem conjectus filius prodigus* abiit, & adhæsit uni Civium regionis illius; & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. *Hoc jam est, quod vehementer admiror: qui transit à divitiis ad inopiam, non solet ad ejusmodi miseras decidere conditiones; sed retento veteri splendore omnem quærit modum ad inveniendam novarum expensarum materiem; & sua, quam habet, existimatio securam ei pandit viam ad omne fraudis genus. Credit: honestum esse furari, imposturis agere, alios deludere, merces ab institoribus fide, quæ nullam fi-*

dem

dem mereatur, interpoſita ementiri. At de hoc adoleſcente haud reperimus, ut ei paupertas fuiſſet fraudum magiſtra; ſed potius ad viliſſimum, quod eſſe poterat, demiſit ſervitium: ut paſceret porcos; *quam injuſtitiæ, fraudibus locum daret. Admirationem auget præterea, quod ſequitur:* Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. *Magna profecto res non poſſe ventrem ſiliquis implere, quas porci manducabant! Nunquid ipſe cuſtos erat gregis illius? Nunquid ab ipſo paſcebantur, ſordida hæc animalia? Si tanta torquebatur fame, cur eorum alimenta ſuum non vertit in cibum? cur aliena de manu deſiderabat, quod in ſua habebat poteſtate? Hujus ego non aliam profecto rationem comperio, quam ut aſſeram: filium hunc prodigum à Patre, cum ingenti admittendæ cujusvis injuſtitiæ, ac infidelitatis timore, fuiſſe educatum. Peccavit ille quidem luxu, laſciviis; ſed animum ad peccandum fraudibus, aut rapinis, nunquam adjecit. Horruit igitur vel minima alimenti parte defraudare ipſum etiam porcorum gregem. Adverſus magiſterium timoris, cujus doctrinam jam à puero in prima eum educatione hauſiſſe credo, non præbuit aurem vel ipſius famis doctrinæ, quæ magna ſolet eſſe magiſtra iniquitatis. Fuit impudicus, laſcivus; at non fuit fur, fraudulentus, infidus.*

APPLICATIO. *Et hæc eſt illa ſchola, in qua ſubditi, jam à teneris condiſcunt, ut, dum Princeps conſtanter ſeverum ſe præbet in puniendis quibusdam delictis, eorum horrorem concipiant, qui*

po-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

postea eos comitatur etiam extra patriam, & in officio continet, ne in iis delinquant. Non opus est rei hujus veritatem extraneis, unde unde conquisitis, exemplis comprobare, cum domestica, citra adulationem, satis superque suppetant exempla. Quam præclare merita est de hac Civitate, quin imo de tota Europa, lex illa regimini vestro propria, quam dicitis Dyscolatum. *Hæc tam admonitionibus, quam pœnis omnes admonet subditos: hac in ditione neutiquam tolerari* dyscolos; *& quemadmodum prompta est ejus executio; ita ejus prompte obeditur imperio. Juventus, timore pœnæ ad moratam vivendi rationem adstricta, canitiem prævenit prudentia. Cogitationes illæ, quibus integrum non est in morum dissolutionibus disperire, ad studium virtutis convertuntur. Cives, videntes ad vitæ licentiam sibi truncari manus, honestissimas aggrediuntur actiones, unde postea, ubicunque vixerint locorum, ad conciliandam nominis existimationem, satis est: vestros esse. Nil dico, quod verum non sit. Quocunque pedem verto, ubique dignissimos patriæ vestræ filios comperio. Videtur illa seminarium quoddam esse Regnorum cæterorum. In omni enim loco video Cives vestros moribus civiles, gestibus modestos, actionibus amabiles. Amicos cum amico, moderatos cum inimico, fideles cum fidente, cautos cum suspecto. Perquam literatos in Academiis, optimos consiliarios in curiis, sapientissimos Rectores in Urbibus. Video inter insignes Ecclesiæ Prælatos, inter Antistites inter Purpuras. Quocunque deveniant, propitiam illico fortunam experi-*

periuntur: omnis eos aula recipit, omnis Princeps admittit, honoribus auget, fortunis ditat. Scio: multum hoc debetur ei bonæ indoli, quæ materno cum lacte hauritur; ac privatæ educationi, qua spiritus sapiens, & optimi mores à parentibus in filios transfunduntur. Mihi tamen persuasum est: hac re haud tantum effici posse, nisi lex Dyscolatus, *ad castigandos adolescentum mores forte, ac potens remedium, accederet, qua Juvenes impune ætatis vitia sequi posse desperantes, magnis mature passibus in curriculo virtutis progrediuntur. Qua postmodum semita facile perveniunt ad insignem existimationem, ad munia, ad honores, ad emolumenta. Ita lex nonnihil severa, ad unius* Civitatis *timorem composita, magnos, & illustres toti Orbi suppetit viros.*

VI. In se autem reversus dixit: surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei Pater peccavi in Cœlum, & coram te. *Nolim autem, dum hanc severitatem collaudo; ut quis existimet: Principes deposito omni amore quam severissimos esse debere. Regimen sine amore non est Patrum; sed tyrannorum. Testatur filius Evangelicus patri suo inditam fuisse severitatem, nam excusso Patris timore ut licentius vivere posset, abiit longissime. Sed etiam perhibet Patrem hunc amore, & clementia præditum fuisse; prodigum enim filium pœnitentia ductum cum ad Patrem revertisset:* Surgam, & ibo ad Patrem meum; *longius adventare conspicatus, misericordia motus, obviam accurrit, & procidens in collum, dulci filium osculo amplexatur.* Cum autem

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

tem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus, cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. APPLICATIO. *Felix regimen! de quo subditus, regiones omnes pervagatus, affirmare potest: non esse regnum, quod sua melius patria gubernetur. Esse regimen, quod affluit abundantia, dum in aliis penuria laboratur: pacem colit, dum alibi bella sæviunt: pauperes ditantur, dum ibi locupletes ad egestatem rediguntur. Esse regimen, cui se ultro unusquisque, dum abest, subjicere velit:* Surgam, & ibo ad Patrem. *Ut vero ejusmodi sit, non severitate modo, sed etiam amore gubernetur. Jacob, de filio Joseph locutus, panegyrim ei adornavit his verbis:* Pastor egressus est lapis Israel (a). *Mira connexio, & propemodum paradoxa! Quæ ora lapidem inter, & pastorem proportio esse potest?* Pastor, lapis. *In lapide duritiem, in pastore amorem intueor. Ille immotus loco adhæresit; iste vigil gregem præit: ille sterilis, & infœcundus; iste sollicitus pascua quærit. Si Joseph tam eximius Ægyptiorum Pastor est, quomodo dicitur lapis? Verum quam nobilis est hæc laus; tam utile est documentum omnibus Rempublicam gubernantibus. Quisquis ad imperii clavum sedet, lapidem, & Pastorem induat oportet: à lapide duritiem, & rigorem; à Pastore amorem accipiat. In tyrannidem desciscit regimen, quod tantum severitate: in mollem licentiam, quod tantum amore gubernatur. Si subditi in Principe sola videant viscera charitatis, non timebunt: si duri-*

a) *Gen. 49. ℣. 24.*

duritiei, non amabunt. Si voluerit esse solum Pastor, contemnetur; si lapis odio habebitur. Ad regendos ergo subditos utrumque in Principe componatur: lapidis durities cum amore Pastoris; & tum in subditis ad exhibendam Principi reverentiam utrumque conjungetur: timor simul, & amor: timebunt ut lapidem; amabunt ut Pastorem: Pastor egressus est lapis Israel. *Pulcherrimum utriusque exemplum vobis præbet Divinissimus Servator Christus, quem pro idæa reginiinis vestri hoc in solio cernitis collocatum. Ille Pastor est:* ego sum Pastor bonus; *at simul lapis est:* petra autem erat Christus. *Pariter exemplum exhibet hodiernus, de quo agimus, Pater Evangelicus. Durus hic erat erga filium lápidis instar: nam egere siverat eum, donec paterna absens domo vitam vixit luxuriosam; at postquam in se reversus ad Patris amplexum rediit, ac modeste in ejus domo voluit diversari; tum se amabilissimum Pastorem exhibuit.* Pastor egressus est, lapis Israel.

EPILOGUS.

En Sereniſſime Princeps! *quam verum, compertumque sit, quod dictionis principio affirmaveram: vos merito velle, ut hodierna die hæc Evangelica parabola, velut tota usibus vestris profutura, exponeretur. Ita est: Pater iste, qui hodie proponitur, in audienda impudentis filii petitione, est idæa Principum in alloquio cuivis concedendo. In exaudienda ejusdem filii, tametsi perversa, voluntate, est idæa Principum in admini-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

ſtranda juſtitia. In diviſione facultatum, eſt idæa in meritis remunerandis. In vigili cura, & auſteritate, ob quas filius hic prodigus, domi paternæ male vivere non auſus; in remotas diſceſſit regiones, eſt idæa vigilantiæ, & ſeveritatis in gubernanda Republica à Principibus adhibendæ. In amore, & fiducia, qua filius jam pœnitens, ad Patrem reverſus, perbenigne ſuſcipitur; eſt idæa amoris, quo Principes ſuam in regendis populis, ne in tyrannidem deflectat, ſeveritatem temperandam habent. Cunctæ hæ virtutes ſint corona Principum, nunquam ab eorum capitibus avellenda; ſi ſubditos regere volunt ceu filios; & à ſubditis agnoſci ut Patres. Has omnes cum in Sereniſſimo veſtræ Reipuplicæ regimine arctiſſimo fœdere coniunctas intuear, confirmat, quod principio dixeram: dictionem hanc meam futurum, quin vel intendam, pulcherrimum regiminis veſtri panegyricum. Dixi.

ARTICULUS IV.

DE ALTERO DICTIONIS PARAPHRASTICÆ MODO.

§. I.

Præcepta hujus modi.

ALter dictionis *Paraphraſticæ* modus eſt: cum Evangelium, vel alius, quicunque, Scripturæ locus exponitur quidem, cum applicatione ad determinatum quoddam Orationis argumentum; haud tamen in modum poſtillæ; ſed cum partitione. De

cujus

cujus primum inventione; postea agam de dispositione. CAPUT II. ARTIC. IV. §. 1.

I. *De inventione hujus modi.* Has partitiones præbet ipse Evangelii, vel alterius Scripturæ loci, contextus, ut diximus Tomulo (*a*) priore. Verbi causa: exponenda foret parabola filii prodigi, qui typus est peccatoris, sumes partitionem à contextu: 1. Filii prodigi è paterna domo discessionem. 2. Extra domum paternam commorationem. 3. In domum paternam reversionem, ut inde commonstres: primum peccatoris à Deo per peccatum recedentis perversitatem; postea in peccato commorantis miseriam; demum per peccati pœnitentiam ad Deum revertentis felicitatem. Similiter si de parabola sterilis fici, quæ animæ tepidæ imago est, dicendum haberes. expones primum: ejus sterilitatem, postea excidii comminationem, demum excidii dilationem. Non absimilis partitio foret ex Evangelio Dominicæ II. post Pentecosten de Cœna: 1. Invitatio Patrisfamilias ad cœnam, postea excusatio à cœna, demum justa ejusdem indignatio ob recusatam cœnam. Vel in Dominicam II. post Epiphaniam: JESUS perditur, JESUS quæritur, JESUS invenitur. Ut porro hujusmodi *Paraphrasticam* dictionem adornaturus facilius partitionem ex contextu reperias, hanc regulam accipe: diligenter dispicies: quot, & quibus parti-

a) *Tomulo I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 2. n. 11. pag. 155.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. 1.

bus conſtet lectio Evangelica? hoc facillime reperies, ſi hiſtoriæ, vel parabolæ Evangelicæ [aut alterius Scripturæ loci] initium, medium, finem, quid contineat, ſolerter perpendas, quæ in ſummam redacta, ultro fundent partitionem. Verbi cauſa: Feſto Epiphaniæ legitur Evangelium de Magis; initium Evangelii continet, quomodo Magi advenerint in urbem Hieroſolymam. Medium: qua ratione Herodes conturbatus fuerit cum tota urbe ad adventum Magorum. Finis complectitur diſceſſum Magorum ex urbe. En partitio concionis hunc in modum elaborandæ: 1. adventus Magorum in urbem. 2. conturbatio Herodis cum urbe. 3. Diſceſſus Magorum ex urbe. Item Feſto Aſcenſionis Chriſti, initium Evangelii continet exprobrationem incredulitatis Diſcipulorum. Medium: dimiſſionem eorumdem ad prædicationem. Finis: Chriſti in cœlum aſcenſionem. En partitio: 1. Chriſtus exprobrat Diſcipulorum incredulitatem. 2. dimittit ad Evangelii prædicationem. 3. aſcendit in cœlum. Ut inde diſceremus: veros Evangelii præcones: 1. Credere oportere, quæ prædicant. 2. poteſtate inſtructos eſſe debere, ut prædicent. 3. præmium in cœlo relaturos, ſi prædicaverint.

II. *De diſpoſitione hujus modi.* Hic concionum modus totidem partes continet, ac alia quævis Oratio. 1. Exordium, quod ple-

plerumque ducitur ab ipsa historia, vel Scripturæ loco summatim, vel etiam aliunde; dein dictionis argumento, per Evangelii expositionem probando, applicatur. Postea proponitur partitio, vel ex contextu, aut ex applicatione illius morali, aut panegyrica, ad thema propositum. In Confirmatione singulæ divisionum partes, quæ per alias (a) subdivisiones, aut sine illis, pertractari possunt, duo complectuntur: expositionem, & applicationem, instar prothasis, & apodosis. Expositio textus eo pertinentes vel summatim, vel particulatim, in modum postillæ, de sententia in sententiam explicat, additis vel ad totam sententiam, vel ad singula, aut præcipua illius verba, observationibus, ex sensu literali, aut mystico depromptis, vel etiam sine illis, ut ante dixeram. Applicatio continet apodosim in genere morali, aut panegyrico, ad propositum Orationis scopum, quæ singulorum textuum expositioni singillatim subjici potest, vel sub finem omnium rejicitur, ut Oratori libuerit, vel argumenti ratio exegerit. Epilogus constat repetitione, ac motu, ut in cæteris Orationibus. Adornari autem potest hic modus [ut dixi] tam in genere morali, quam panegyrico, prout nempe fuerit applicatio.

a) *Hæ subdivisiones promi possunt, vel ex verbis principalis divisionis, aut ex Sententiis Evangelii, in quavis divisionis parte explicandis. Utriusque exemplum habetur in paradigmate.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

§. II.

Paradigma hujus modi.

DO idæam hujus modi in Dominicam XVII. post Pentecosten. Expositio, sive paraphrasis est in sensu literali; applicatio autem est moralis.

EXEMPLUM.

Sententia Sacra: *Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor tentans eum.* Matth. 22. v. 35.

Thema dictionis: *De tentatione Christi, & Pharisæorum.* Partitio ex contextu Evangelii. 1. *Christus a Pharisæis tentatus est; sed non victus.* 2. *Pharisæi à Christo tentati sunt, & victi.*

EXORDIUM.

Ingressus à genere. *Tentari usque adeo commune est, ac proprium unicuivis hominum generi, ut pene vita hominis esse dicatur.* Militia est [*sive tentatio, ut habet Syrus*] vita hominis super terram. *Tentantur Principes in aulis, tentantur divites in palatiis, tentantur Religiosi in claustris, tentantur pauperes in ergastulis, tentantur* [*quod amplius est*] *Sancti, probique viri vel in ipsis desertis. Quid oro sanctius esse potest Christo Dei Filio? & tamen vel iste ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Nec à diabolo tantum, sed persæpe haud levibus tentationibus pulsatus est ab ejus administris, ac satellitibus, Scribis nempe, & Pharisæis, de quibus hodierno legitur in Evangelio:* Accesserunt ad eum Pharisæi, & interrogavit eum unus

unus ex eis legis doctor tentans eum. *Videte: nec loci sanctitatem, nec personæ dignitatem, aut probitatem à tentationibus eximiam esse.* CAPUT II. ARTICI IV. §. II.

Descensus. *Sed hæc est proborum inter, ac improborum hominum tentationes diversitas, ac differentia: tentantur hi; sed facillime vincuntur: illi contra, tametsi gravissimis tentationibus exagitentur; haud tamen tam facile superantur. Est enim probitas justorum, solidæ virtuti, veluti cuidam petræ, innixa: quassatur ista quidem acerrime maris fluctibus; haud tamen obruitur: impavidam feriunt ruinæ. Contra improbitas est navi, anchoris destitutæ, persimilis, quæ, ventorum turbine abrepta, facile scopulis alliditur, & allisa demergitur.*

Propositio cum partitione. *Pulcherrimum rei utriusque exemplum hodierno in Evangelio præbet Christus cum Pharisæis. Christus à Pharisæis tentatus; haud tamen victus: quod primum. Pharisæi contra à Christo vix tentati; & confestim victi: quod alterum erit Orationis caput. Utrumque: ut inde disceretis: homines probos solidæque virtutis studiosos sæpe quidem tentari; haud tamen facile vinci. Contra improbos, ac sceleratos tentari, & facillime vinci. Hoc erit bipartitæ dictionis scopus, & argumentum, paraphrastico genere exponendum, audiatis.*

PARS I.

CHRISTUS A PHARISÆIS TENTATUS, HAUD TAMEN EST VICTUS.

Prima divisionis pars pertractatur cum subdivisione, ex verbis ipsius divisionis,

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

aperte subdivisionem complectentis, & initio statim proposita. *Homines virtuti, ac probitati deditos variis, iisque acerrimis, à dæmone tentationibus exagitari, adeo compertum est, ut rei hujus veritas nullis egeat argumentis comprobari. Divinum, Siracidis ore prolatum, est oraculum:* Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem. *Hoc unum igitur tantummodo supereſt explicandum: qua arte, quibusve modis, infensissimus hic animarum hostis, dæmon, Viros Deo devotos suis tentationibus impetere; viri autem Deo devoti eas eludere, ac devincere moris habent. Expressam utriusque ideam hodiernum nobis proponit Evangelium in Christo, & Pharisæis. In Pharisæis Christum tentantibus, postea in Christo, Pharisæorum tentationes feliciter superante. Primum loquamur de tentatione; postea de victoria.*

I. Pars subdivisionis: *Christus à Pharisæis tentatur*, quæ per novam iterum subdivisionem ex textibus, huc pertinentibus, in modum postillæ relatis, desumptam pertractatur; præmissa cujuslibet sententiæ paraphrasi, seu expositione, & subjuncta unicuivis sua statim morali applicatione. *Quid agunt Pharisæi Christum tentaturi? Tria eos fecisse comperio: primum consultasse: postea inito consilio ad JESUM accessisse: demum reipsa Christum pertentasse.*

1. Audientes, quod silentium imposuisset Saducæis, convenerunt in unum. Ex-

POSI-

POSITIO. *Gravis, ac diutina Pharisæos inter, & Saducæos, duplex Judaicæ sectæ genus, quæstio fuerat agitata: an mortui forent resurrecturi? Hi negabant; illi affirmabant; pro sua utrique sententia acerrime dimicabant. Delata tandem à Saducæis ad Christum est controversia. Hic tam firmis futuram hominum resurrectionem argumentis adstruxit, ut imposito Saducæis silentio, cunctorum ora in perpetuum oppilarit; tanto circumstantis populi plausu, & admiratione; ut* audientes turbæ mirarentur in doctrina ejus. *Pharisæi ergo infensissimum Christo mortalium genus, homines pleni semper odio, livore, invidia,* audientes: quod Saducæis silentium imposuisset, *atque inde summam sibi coram populo gloriam, & doctrinæ laudem, & admirationem Christus peperisset; invidia, qua pridem in Christum agebantur, in flammam erumpente, concitati; ne fortasse Saducæis silere jussis, ipsi etiam silere videantur,* convenerunt in unum, *ut, collatis inter se capitibus, quæstionem arduam, ac difficilem, ea de causa proponendam, decernerent; ut si fortasse apte minus ad eam responderet, esset, unde Christum cavillarentur, famæ ejus obtrectarent, conceptam de summa illius sapientia, & doctrina existimationem elevarent; sibi contra non mediocrem inde apud turbas laudem compararent: ut quem Saducæi non poterant; ipsi tandem superassent.* APPLICATIO (a). *Hæc eadem prorsus est*

a) *Hæ applicationes eo sunt ornatiores, quo magis retentis, quantum fieri poterit, Sacræ Sententiæ verbis propositio fuerint accommodatæ.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

in tentandis, probioribus præsertim, hominibus dæmonum ratio Auditores. *Sunt hi probitatis, & virtutis, ac idcirco Divinæ etiam, quæ inde consequitur, gloriæ hostes acerrimi, ac inveterati. Audientes ergo, vel potius pulcherrima vitæ sanctioris exempla in uno quopiam conspicati, quod cupiditatibus suis, quibuscum acerrima semper Sancti bella gerunt, ob spem indipiscendæ futuræ in Cœlo resurrectionis,* silentium, *& fræna* imposuisset, *pravas appetitiones domuisset, vel minima in peccati occasionem cane pejus, & angue defugeret, nullam pietatis, ac virtutis exercendæ opportunitatem præteriret; ac idcirco Deo, ac Cœlitibus charus, & acceptus foret, plurima apud eos gratia valeret; ipsi contra, non secus, ac Christo Pharisæi, invisi, ac detestandi forent, odio, & livore stimulati* in unum conveniunt, *consilium inituri: qua arte, quo tentationis genere virum justum, & sanctum ab arrepto virtutis tramite removerent, Sanctitatis fervorem imminuerent, grandius in aliquod peccatum inducerent; ut postea apud Deum, ac Cœlites æternum misero odium conflare possent. Hæc inquam est dæmonum agendi ratio; verum quisquis es, O Fili! qui accedis, vel jam es in servitute Dei,* sta in timore, & justitia, & præpara, *sive robora,* animam tuam ad tentationem (a). *Memineris: qui pie volunt vivere, persecutionem patientur. Imito ita consilio.*

II. Accesserunt ad JESUM Pharisæi. *Hæc verba non equidem reperiuntur apud Matthæum;*

a) *Eccli. 2. ℣. 1.*

um; addit tamen hodiernæ Evangelicæ lectioni Ecclesia. Nec videntur Sacris literis adversari: cur enim in unum convenerunt, nisi ut postea accederent? accesserunt Pharisæi ad JESUM. *Advertite: quid Ecclesia dicat?* accesserunt. *Non ergo JESUS accessit ad tentantes Pharisæos; sed Pharisæi, Christum tentaturi, accesserunt.* APPLICATIO. *Discite Auditores: probos, sanctosque Viros, Christi JESU æmulatores, non adire tentationes; sed à tentationibus adiri; & nisi necessitas, vel charitas, aut obedientia deposcat, omnia earum pericula defugere. Contra dæmonem, velut leonem rugientem, circuire, ut quem, tentationum laqueis irretitum, valeat devorare. Tentatus à maligno spiritu Christus erat, an ad eum accessit? vel potius* accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, dic: ut lapides isti panes fiant (a). *Tentatus eodem à spiritu fuerat etiam Jobus, cui, perhibente (b) Scriptura,* non fuit similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam. *At bonum Deum! quantis calamitatum procellis à dæmone ea de causa, consulto Jobum accedente, fuerat divexatus. Tentata fuit prima hominum parens Eva. At nunquid diabolus, serpentem cæteris animantibus callidiorem indutus, accessit, &* dixit (c) ad mulierem: cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? *Idem nobiscum hic pernicioſissimus animarum nostra.*

a) *Matth. 4. ℣. 3.* b) *Jobi 2. ℣. 3.* c) *Gen. 3. ℣. 1.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

ſtrarum hoſtis, dæmon, agere ſolet: accedit, atque utinam acceſſu ſuo, cum prima hominum Matre nos etiam non perſæpe ad idem exitium pertraheret. Verum quisquis es, O Fili [*repeto verba Sapientis*] accedens ad ſervitutem Dei, ſta in timore, & juſtitia, & præpara animam tuam ad tentationem. *Sta inquit, & præpara; non igitur accede; ſed accedentem adte in timore, & juſtitia* ſtans, & paratus *expecta tentationem; cui ſi fortiter, ac viriliter reſtiteris, fugiet à te:* Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis, *inquit* (a) *Jacobus. Vos autem Chriſtiani heu quoties tentationum pericula ultro temere acceditis: hanc noxiam familiaritatem non dimittitis: illam ſuſpectam domum crebrius inviſitis: cum ea muliere, fama, vita, moribus non æque probata, majori, quam par ſit, licentia agitis; ne miremini, ſi venenati ſerpentis aſtu, cum Eva parente veſtra decepti, mortem vobis conſciſcatis. Ubi acceſſiſſent Phariſæi, ne fruſtra, & otioſe acceſſiſſe videantur; tum negotium tentationis aggrediuntur.*

III. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum; Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? *Unus interrogabat; cæteri autem tacebant. Cur ita? non ſine conſilio: ut dati præpoſtere forſitan reſponſi teſtes forent eo certiores.* Legis doctor *erat, & quidem* ex eis, *id eſt, reliquis præcellentior: nam ad convincendam Chriſti, quam belle noverant, ſapientiam, ſapientiſſimum, quem habere poterant,*

a) *Jacob. 4. ℣. 7.*

rant, in legum argumento legis doctorem *deligere debebant, qui* interrogabat, *& interrogando tentabat* [tentans eum] *more dæmonibus usitato, qui suas ut tentationes celarent, plerumque interrogant, id est: pravas cogitationes suggerunt, motus excitant, desideria accendunt, ut incautos eo certius, ac facilius in cassès induant.* Interrogabat *autem blandis Christum verbis affatus:* Magister! *ne fraudis, ac tentationis vel suspicio oboriri possit. Tentabat autem* in lege: *quorsum enim à dæmone tentamur, quam ut legem transgrediamur: finis tentationis est transgressio legis. Tentabatur vero non in lege qualicunque, sed in lege magna:* quod est mandatum magnum? *imo maxima, Dei nempe, & proximi charitate:* Hoc est maximum, & primum mandatum, *ut hoc firmissimo charitatis muro, tentationum arietibus perfracto, facilior in ipsa arcis viscera aditus aperiatur.* APPLICATIO. *Reflectite jam vos Christiani in vosmet ipsos, dispicite: an non tentationes, quibus impetimini, in iisdem violandæ charitatis, Dei, & proximi legibus occupentur? Novit dæmon, ad inferenda animabus nostris damna hostis longe solertissimus, charitatem, ut legis, ita fundamentum esse omnis Sanctitatis; sine qua nemo ullus vere probi, sanctique laudem obtinebit. Omnibus ergo in id viribus conmittitur, ut ea per tentationes, ceu totidem cuniculos subruta, vel saltem labefactata, tota postea ædificii moles facilius collabatur. At quisquis es O Fili accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & justitia, sive charita-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

ritate, & præpara animam tuam ad tentationem.

II. Pars subdivisionis: *Haud tamen victus*, sine alia subdivisione, sed cum sola textuum huc pertinentium generali expositione, & huic subjuncta morali applicatione, pertractata. *Ita stetisse, ac semet ad omne tentationum genus egregie comparasse legitur Christus. Hic, licet acerrime, à Pharisæis fuerit tentatus, haud tamen victus: suis enim, sapientissimis profecto, responsis, omnem, quamvis fallacissimam Pharisæorum, petræ instar, retudit tentationem. Pertentatus à Pharisæis:* quod esset mandatum magnum in lege? *Quid egit? an siluerit? an aliquid Divinæ legi adversum, aut Sacris literis difforme, quod Pharisæi futurum existimabant, reposuerit? Absit! Quid ergo?*

EXPOSITIO. Ait illis: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ. *Quemadmodum de hominum resurrectione; ita de principe legis mandato, magna olim Judæos inter, Christi tempore, fuerat controversia. Alii contendebant esse victimas, & sacrificia Deo, vitæ, ac necis authori offerenda. Alii Divinam adstruebant dilectionem; hodiernus Scriba Evangelicus quid? arbitratus Christum, cum se Deum diceret, ac faceret, ultra diligendi mandatum, aliud quidpiam*

CAPUT II. ARTIC IV. §. II.

am de suo additurum; non discendi, sed Christi experiendi, & in sermone capiendi causa, percunctatur eum: quod est mandatum magnum in lege? *Ecquid ad hoc Christus? tametsi apprime perspectum haluerit perversum Pharisæi, quo tetenderit, consilium; haud tamen interrogantem est moratus, sed fidenter rem, ut erat, confestim aperuit:* Ait illis: diliges Dominum Deum tuum &c. *Quo audito, confestim ita victi sunt Pharisæi, ut nihil adversum hiscere, nec posthac ulla ejusmodi Christum ausi sunt quæstione lacessere.*

APPLICATIO. *Hic fructus est superatæ tentationis, quem, si vos etiam Auditores reportare velitis; non morandum est vobis, non cunctandum, minus cum hoste disceptandum; sed principio confestim, ne res mora convalescat, obsistendum, arma armis, tela telis opponenda. At quæ arma?* diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in tota mente tua. *Primum* diliges: *qui actus est dilectionis:* Dominum Deum tuum, *qui objectum est dilectionis;* ex toto corde tuo, *qui modus est dilectionis. Hoc primum, hoc maximum, quemadmodum est mandatum; ita unius cujusvis pervincendæ tentationis telum.* Secundum autem simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. *Dei namque charitas sine proximi charitate neutiquam consistere potest; ne quis ergo, à dæmone tentatus, sibi fortasse persvadeat: Deum diligi posse; proximum autem odio haberi; consulto addit Christus: & proximum tuum sicut te ipsum:* Et in his duobus man-

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

mandatis, *quemadmodum* universa lex pendet, & prophetæ; *ita superandæ cujusvis tentationis remedia sunt constituta. Hoc duplici scuto usi sunt, ac etiamnum utuntur Viri Sancti, probique: nam graviore tentatione pulsati, in ardentem illico, hunc, aut similem prorumpunt charitatis affectum: Tu scis O Deus, quia amo te; nec quidquam amo nisi propter te. Absit! ut à tuo, vel proximi sejungar amore. Malo mori, quam fœdari!*

Complexio I. partis. *His remediis vos etiam instructos oportet esse Auditores. Nolite dubitare quemadmodum Christus Pharisæorum; ita vos dæmonum omnem, quamvis gravissimam, superaturi estis tentationem.*

PARS II.

PHARISÆI A CHRISTO TENTATI, ET CONFESTIM VICTI.

Altera divisionis pars pariter pertractatur cum subdivisione, ex verbis ipsius divisionis deprompta *Alia est hominum improborum ratio. Hi enim hoc duplici Divinæ charitatis scuto destituti, à quavis, licet levissima, tentatione transversum aguntur. Luculentum rei istius exemplum hodiernum iterum exhibet Evangelium. Tentatus à Pharisæis fuerat Christus; haud tamen, ut audistis, victus. Quid Pharisæi? vix tentati, & confestim victi.*

I. Pars subdivisionis: *Pharisæi à Christo tentati*, continens aliam subdivisionem ex textibus Evangelii, huc pertinentibus, cum expo-

expositione, & morali applicatione. *At quomodo tentati? seriem, & modum rei hujus percenset Matthæus. Postquam fraudulentam Pharisæorum dissolvisset quæstionem Christus, data usus occasione vicissim cepit Pharisæos pertentare.*

I. Congregatis Pharisæis interrogavit eos JESUS. *Congregatis, id est, eo ipso, quo, ad Christum tentandum congregati fuerant, loco, & tempore interrogavit eos JESUS. Cur interrogavit? ut quemadmodum Pharisæi interrogando JESUM capere volebant in sermone; ita JESUS Pharisæos, proposita quæstione interrogatos, caperet in responso.* Qui ad tentandum [*ait Hieronymus*] JESUM fuerant congregati, & veritatem fraudulenta quæstione capere nitebantur, occasionem præbuerunt confutationis suæ. APPLICATIO. *Ne miremini Auditores homines improbos creberrimis, ac gravissimis tentationibus exagitari. Sancti enim justique Viri, nisi necessitas, vel charitas deposcat, omnem tentationis canepejus, & angue defugiunt occasionem. Contra improbi cum hodiernis Pharisæis ultro semet inferunt, ansam præbent, imo quærunt tentationis opportunitatem. Quid mirum? si victi gravissime prolabantur. Comprobat rei hujus veritatem, ingens illud, quod Judith inter, ac Dinam, Jacobi filiam, discrimen intercessit. Judith* [*ut nostis*] *multo vestium apparatu, exquisita formæ elegantia, ad luxum composita, superba Holofernis castra accessit: illic complures morata dies, omnium, Holofernis præcipue, amorem in se traxit. Dina autem in fratrum con-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

sortio ad Salem Urbem appulsa, parumper è papilionibus excessit, ut innocenti curiositate videret mulieres regionis illius. *At vix columba hæc nidum deseruerat; continuo in accipitre, regionis nempe illius principem, aspectu incidit; & confestim ingens læsæ pudicitiæ detrimentum fecit. Quæretis ex me non dubito Auditores: unde acciderit, ut Dina longe minori in periculo posita gravissimam; Judith vero in gravissimo nullam suæ integritatis jacturam subierit? Nonne Judith integro armatorum exercitui se miscuit; Dina vero fallendi temporis gratia paullum è tentorio exiit? Judith cum Viris procacibus conversata fuit; Dina peregrinas solum mulieres visum ivit. Judith & videri, & amari voluit; Dina nil eorum vel cogitavit. Et tamen infelix Dina turpiter cecidit; Judith autem gloriose triumphavit. Quæ, oro, tanti discriminis causa esse potest? Dicam; sed mentem huc attentius advertite. Solet Deus majori longe cura eos protegere, qui Dei causa pericula suscipiunt, quam qui propria libidine eadem ultro accersunt. Salva perstitit Judith, quoniam non pravo animo, sed Dei consilio, liberandæ nimirum patriæ amore, compulsa, in castra processit: Dina vero, muliebri solum curiositate ducta, urbem est ingressa, ut* videret mulieres regionis illius, *ac idcirco ingens suæ pudicitiæ naufragium fecit. Discite Christiani, discite, temere non adire pericula: præsto quidem semper est Deus, & nostræ dogma est fidei: in omni tentatione resistendi, vincendique gratiam conferri; verum ea solum occasione, in quam vel necessitas,*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. 11.

ſitas, vel proximi charitas, vel Divina conjicit providentia; non vero cui noſtra nos ſponte implicat libido, ſuperba adducit temeritas; Divina etenim lege conſtitutum eſt: qui amat periculum in illo peribit. *Quid porro JESUS Phariſæos interrogavit?*

11. Interrogavit eos dicens: Quid vobis videtur de Chriſto: cujus filius eſt? *Quemadmodum Phariſæi deprompta ex lege, & ſacris literis quæſtione Chriſtum capere volebant; ita Chriſtus non in alio, quam legis, & Divinæ Scripturæ argumento Phariſæos pariter voluit eſſe captos, & convictos:* Quid vobis videtur de Chriſto: cujus filius eſt? *Quaſi diceret: vos me percunctati eſtis de primo legis mandato: quod eſt mandatum magnum in lege? nunc liceat mihi vos pariter percunctari de Chriſto, ſive Meſſia, quem in lege, & Prophetis promiſſum habetis, quem vos in dies ardenter expectatis: Quid vobis videtur: cujus filius eſt? utrum Dei, an hominis? Quid ad hæc Phariſæi?* Dicunt ei: David: *ubi dicere debuiſſent: Chriſtum utriusque, id eſt: tam Dei, quam Davidis, ſive hominis, filium eſſe: cum utramque, Divinam ſcilicet, & humanam, mira unione conjunctam naturam complectatur. At Phariſæi homines improbi, rebus terrenis, & corporeis immerſi, nil minus, quam cœleſtia, ſapere docti, neutiquam tam ſublimem de Chriſto cognitionem poterant admiſiſſe, ut Dei filium agnoſcerent.* Intercluſiſtis vobis, *inquit Sanctus* (a) *Leo*, O Judæi intelligentiæ viam, &

a) *Serm. 9. de Nativ.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

dum solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce privatis; expectantes enim, secundum vestræ persvasionis fabulosa figmenta, David filium de sola stirpe corporea; dum spem vestram in homine tantum constituistis, Deum, Dei filium repulistis. APPLICATIO. *Ita improbis etiam hominibus usuvenit Auditores: cum animales sint, non percipiunt ea, quæ sunt Spiritus Dei, ut ait Gentium Doctor Paulus. Monentur equidem persæpe, internis gratiæ stimulis urgentur; salutaribus haud tamen monitis, & impulsibus locum præbent, cur? Intercluso istis nempe vobis intelligentiæ viam peccatores, & quoniam solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce privatis. Unde evenit, ut homines improbi, opportunis gratiæ subsidiis destituti, cum tentationibus impetuntur, quam facillime succumbant; quemadmodum hodiernos legimus Pharisæos succubuisse.*

II. Pars subdivisionis: *& confestim victi*, sine nova subdivisione, per solam textuum expositionem, & moralem applicationem.

EXPOSITIO. *Postquam Christo, de Messia percunctanti, respondissent Pharisæi: eum Davidis esse filium, ut in hoc luculentæ, & palmaris ignorantiæ, ac insipientiæ eos convinceret, quod, tametsi Scripturas quotidie legerent, ac scrutarentur; haud tamen earum sensum intelligerent, ac penetrarent:* Ait illis: quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum: dixit Dominus Domino meo, sede à dextris

tris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? *Quasi diceret: vos Messiam Davidis filium esse dicitis; at si ita res est, ut contenditis, qui, oro, David Divino Spiritu compulsus Christum poterat Dominum compellasse? Ergo filius superior est Patre, & Pater inferior filio? Nunquid Pater ab ipsa natura datum sibi in filios habet dominatum? si habet? eccur ergo David in Spiritu vocat eum Dominum? Hac quæstione usque adeo perculsi, & convicti sunt Pharisæi, ut* nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam [*Pharisæorum*] ex illa die eum amplius interrogare.

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

APPLICATIO. *Hæc eadem misera sors est hominum etiam improborum; cum se temere in quasvis tentationes, & peccandi pericula conjiciunt; ita postea sceleribus implicantur, ut nemo inde, vel saltem difficile, possit eos explicare; imo ne verbo audet quisquam eos amplius, ut ad frugem revertantur, salutari quapiam monitione, vel interrogatione interpellare. Usque adeo impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Pulsat quidem sæpe peccatoris ostium Deus, monet, hortatur, minatur; sed frustra; impius cum Pharaone silicis, ac petræ instar, obduratus omnia contemnit; si opportuna suggerantur consilia contemnit; si severis instetur minis, contemnit; si illatæ à Deo exaggerentur injuriæ, contemnit; si hiantes monstrentur inferni fauces, contemnit; contemnit, & cum omnia contemnat,*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

quid mirum? si vicissim à Deo contemptus ad extremum salutis interitum devolvatur.

EPILOGUS.

Quamobrem Christiani Auditores, *ne vos hæc, tam funesta, hominum impiorum maneat sors, & infelicitas,* nolite, *obsecro, cum improbis, sceleristisque mortalibus, quos hodierni, vix tentati, & confestim victi, designant Pharisæi,* locum dare diabolo; *sed cum probis, sanctisque viris, per Christum, hodie a Pharisæis tentatum, denotatis,* resistite fortiter, & *vincetis; quia* fugiet à vobis. *Adversarius quidem noster diabolus, attenta nocendi voluntate, velut leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret; haud tamen est hostis tam potens, tam validus, ut nequeat superari. Nam si ejus potestatem spectemus, persimilis est melampo, catenis adstricto, qui latrare potest; mordere tamen non potest; nisi accedentem. Quare, si sapitis,* quasi à facie colubri fugite peccata, & *quæ peccatorum sunt pericula, tentationes; non eas accedite; vel si, necessitate sic poscente, accedendæ sunt vobis, aut vos accedat tentator, resistite fortiter Divinæ charitatis, & Orationis telo communiti; & confestim tentatio fugiet à vobis. Sic egit Christus, hoc agunt Sancti, id ipsum vos agatis oportet, ut optatam de tentationibus victoriam reportetis. Dixi.*

ARTI-

ARTICULUS V.

DE TERTIO PARAPHRASTICÆ DICTIONIS MODO.

§. 1.

Præcepta hujus modi.

TErtius dictionis *Paraphraſticæ* modus eſt: cum non totum Evangelicæ lectionis, vel alterius ſcripturæ, caput; ſed peculiaris quæpiam inde ſententia deligitur paraphraſticè pertractanda ad probandum determinatum quodpiam Orationis argumentum, ſeu illud ſit morale, ſeu panegyricum, ex literali, vel myſtico, diligenter indagando, delectæ ſententiæ ſenſu, ut aſſumpto textui thema congruat, depromendum. Verbi cauſa ſit Sententia Evangelica: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*: thema panegyricum textus ſenſui reſpondebit: S. Paulus eſt lux Evangelica, quæ coram hominibus ita luxit, ut mundum & illuſtraverit, & inflammaverit. Illuſtravit: cum ejus opera viderit bona. Inflammavit: ad glorificandum, qui in cœlis eſt, Patrem. Dupliciter autem pertractari poteſt: 1. in modum poſtillæ, ut ſupra methodo prima retulimus: cum ſingula ſententiæ verba, unum ex altero per ordinem explicatur. Hujuſmodi dictio habetur apud Vieira in illud Lucæ (a) *unus*

a) *Joan. 19. v. 34.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. I.

militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Ubi ad singula sententiæ verba fit commentatio cum applicatione ad commendandam [quæ dictionis caput est] Bullæ Cruciatæ excellentiam. Alter modus est cum partitione, de cujus primum agam inventione, postea de dispositione.

I. *De inventione.* Hæc partitio variis è fontibus peti potest. 1. Ex retentis sacræ sententiæ verbis aperte partitionem continentibus. Ut Dominica XXII. post Pentecosten: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Partitio: Reddendum est, quod debetur, unicuivis: 1. Cæsari, quod est Cæsaris. 2. Deo, quod est Dei. Item festo Transfigurationis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Partitio: 1. Christus est filius Patri dilectus. 2. in quo sibi complacuit. 3. ipse audiendus est. Vel in illud (a): *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Partitio: quinque damnatorum supplicia in palmitis conditione expressa: 1. Mittetur foras. 2. Arescet. 3. Colligent eum. 4. In ignem mittent. 5. Ardebit. II. Sumitur partitio ex verbis sententiæ, at partitionem occulte continentibus, ut diximus Tomulo (b) priore. Verbi causa festo Omnium Sanctorum legi-

a) *Joan. 15. ℣. 6* b) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 2. Num. XIII.*

legitur (a): *Ecce merces vestra multa est in cœlo.* Partitio: Divina merces à Deo justis redhibenda: 1. Est certa: *ecce merces vestra.* 2. Est ampla: *multa est.* 3. Est æterna: *in cœlo.* III. Fit partitio: cum sacræ sententiæ non verba; sensus tamen retinetur. Sit exemplum: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris (b).* Partitio: 1. Obligatio servandi Divina mandata: *tollite jugum meum super vos.* 2. Adjumenta servandi Divina mandata: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* 3. Fructus ex observatione Divinorum mandatorum: *Et invenietis requiem animabus vestris.* IV. Ducitur partitio à textu per circumstantias examinato. Verbi causa: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro.* 1. Quis missus? Angelus Gabriel. 2. A quo missus? A Deo. 3. Quorsum missus? in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth. 4. Ad quem missus? ad Virginem desponsatam viro. Item in illud Joan. 3. ℣. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* 1. Quis dilexit? Deus: dignitas personæ diligentis. 2. Quem dilexit? mundum: vilitas, & ingratitudo personæ dilectæ. 3. Quomodo dilexit? ut filium suum unigenitum daret: magnitudo dilectionis. V. Promitur partitio: à diverso

CAPUT II. ARTIC. V. §. 1.

a) *Luc. 6. ℣. 23.* b) *Matth. 11. ℣. 29.*

CAPUT II. ARTIC V. §. I.

sacræ sententiæ sensu, & expositione, quam adferunt Sancti Patres, vel Scripturæ interpretes. Verbi causa in illa Pauli (a) sententia: *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum*: vox *malum* triplici sensu accipi potest: 1. pro *inimico*, ut sensus sit: noli vinci ab inimico, ut te offensionibus suis pertrahat ad aliquid patrandum, quod non convenit; sed potius vince in bono malum, id est: inimicum pertrahe tuum ad faciendum, quod oportet, bonum. 2. sumitur pro *dæmone*, ut sensum efficiat: noli vinci à dæmone, & ejus administris, in peccatum te inducere paratis; sed potius eorum tentationibus fortiter resistendo vince dæmonem. 3. Accipitur pro *inordinato appetitu*, quasi diceres: noli vinci à perversa, & prava appetitione tua; sed potius hanc pravam vince in bono appetitionem. VI. Ex diversis Scripturæ textibus. Ita Cæsar Calini (b) explicaturus Christum esse lapidem, partitionem sumit ex variis Scripturæ sententiis, in quibus lapis compellatur; & quidem 1. dicitur lapis fundamenti, juxta illud Isaiæ (c): *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* 2. Lapis anguli: *Lapidem (d) quem reprobaverunt, ædificantes, hic factus est in caput anguli.* 3. Lapis capitis: *Tulit lapidem (e) quem suppositerat capiti suo.*

4.

a) *Ad Rom. 12 ℣ 21.* b) *In Samuele Tom. 2. Serm. 18.* c) *Isa. 28. ℣. 16.* d) *Psal. 117. ℣. 22.* e) *Gen. 28. ℣. 18.*

4. Lapis fontis, sive petræ, unde fons manavit: *Bibebant autem de Spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (a).

II. *De dispositione.* Hæc methodus totidem partes complectitur, ac prior. Confirmatio institui potest per subdivisionem, aut sine illa. Si careat? primum præmittitur expositio, postea consequitur applicatio ad Orationis propositum. Si vero subdivisionem complectatur, hæc sumi potest: 1. ex ipsis Scripturæ verbis ad unumquodque principalis partitionis membrum pertinentibus. Exempli causa: sit hæc partitio: Vir Apostolicus ita lucere exemplis suis debet coram hominibus: 1. ut homines videant opera ejus bona. 2. ut visis bonis operibus glorificent Patrem, qui *in cœlis* est. Suppartitio primæ partis erit: 1. *videant.* 2. *opera.* 3. *bona.* Secundæ partis: 1. *glorificent.* 2. *Patrem.* 3. *qui in cœlis est.* Similiter: si in verba hæc (b): *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: paraphrastica dictione exponeres: 1. modum colendi Virginem Sanctissimam. 2. Fructum ex cultu Virginis Sanctissimæ. Suppartitio primæ partis erit 1 eam audire 2. ad fores ejus vigilare. 3. postes ostii observare. Alterius partis: 1. vitam invenire. 2. salutem à Domino haurire. Fieri potest subdivisio etiam

a) *1. ad Cor. 10. ℣. 4.* b) *Prov. 8. ℣. 34.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. I.

etiam ex diversa Patrum, aut Scripturæ interpretum expositione; vel ex aliis pro partitione adductis fontibus. In his autem subdivisionibus plerumque expositio præit applicationem, interdum sequitur, quin utraque confunditur, ac permiscetur. Si præeat? fit, ut applicatio uniuscujusvis subdivisæ partis expositioni statim subjungatur; aliquando tamen ad finem post omnium subdivisarum partium explicationem rejiciatur. Potest porro hæc applicatio institui tam in genere morali, quam panegyrico, vel etiam in utroque; esseque à loco similium, vel dissimilium, aut contrariorum, vel etiam aliunde petita, & pertractata, ut nempe argumenti ratio postulaverit.

§. II.

Paradigma hujus modi.

HOc paradigma est in genere panegyrico, in laudem Virginis sine macula conceptæ, valiturum pro hoc ejus festo. Expositio instituitur à sensu mystico, eoque allegorico.

EXEMPLUM.

Sententia Sacra. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Prov. 9. v. 1.

Thema dictionis. *Beata Virgo est Dei domus, nullis peccati originalis sordibus contaminata.*

Partitio ex ipsis Sacræ sententiæ verbis. 1. *quia est domus, quam sibi Sapientia ædifi-*

dificavit. 2. quia est domus, in qua septem columnas excidit.

EXORDIUM.

Ingressus à vario allatæ sententiæ sensu. *Sapientiæ nomine, cujus in allata Salomonis sententia Divinus meminit Spiritus, Christum æterni Patris filium, sapientiæ titulo sacris in literis sæpe compellatum, intelligi oportere, omnibus est compertum. Hoc solummodo dubium, controversumque esse potest: quid per domum, quam Sapientia sibi ædificasse, & in ea columnas septem dicitur excidisse, foret intelligendum? Non dissiteor, è mente Sanctissimi Hypponensium Præsulis Augustini, Christi Ecclesiam in ea posse denotari, quæ à Divina Sapientia, Christo, non sine ingenti cura, labore, fuso sanguinis pretio, in terris est ædificata, & septem ordinibus, vel totidem Sacramentis, excisis veluti columnis, instructa, ut esset firmamentum veritatis. Nec illud me latet: domum hanc in sensu [ut ajunt] tropologico, per animam hominis justi à plerisque Scripturæ interpretibus explicari: est enim anima justorum [Pauli testimonio] quoddam Dei templum, & habitatio; ubi diffusa in cordibus nostris charitate Divinus residet Spiritus:* Templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis, *inquit Paulus.*

Descensus ad propositum per sensum sententiæ allegoricum. *Sunt tamen è Sanctis etiam Ecclesiæ Patribus haud pauci, quos inter præcipuo memorandus est loco Divus Bernardus,*

à mel-

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

à mellita, qua præditus erat, facundia dictus Doctor mellifluus, quī memoratam Salomonis sententiam non de Christi modo Ecclesia, & justi hominis anima; verum de Sanctissima quoque Virgine Maria voluit intellectam; in cujus utero, velut in domo, Divina Patris sapientia, mundum ingressura, novem mensium spatio primum habitavit, atque, ut digna tanto hospite foret habitatio, excisis septem columnis eam prius exornavit. Audite (a) Bernardum: Hæc itaque sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit.

Propositio cum partitione. *Appositè igitur, ac prorsus opportune evenit, ut dictam ante Salomonis sententiam hodie sumerem explicandam, dum Virginis Sanctissimæ sine macula conceptæ festam agimus celebritatem, cujus postea uterum Divina Sapientia, Dei filius, de cœlo in terram missus, velut domum prius ab se ædificatam, primum subiit factus homo. Ad augenda ergo tam diei hujus solennia, quam Virginis præcellentiam uberius demonstrandam, hoc dictionis propositum esto: Beata Virgo est Dei domus nullis peccati originalis sordibus contaminata. Id porro, ne longius à Salomone discedamus, libet his duobus maxime capitibus comprobare. Primum: quia est domus, quam sibi Divina Sapientia ædificavit:* Sapientia ædificavit sibi domum: *quod primum. Dein: quia est domus, in*

a) *S. Bern. Serm. 9. inter parvos.*

in qua Divina Sapientia septem columnas excidit: Et excidit columnas septem, *quod alterum erit Orationis caput. Utrumque tempori convenientissimum, quo, ad Virginem Sanctissimam, velut ad quamdam refugii domum, confugimus, ut ejus ope, & patrocinio protecti, impendentes cervicibus nostris malorum calamitates deprecemur. Hæc summa, hic scopus est dictionis. Audiatis.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

PARS I.

BEATA VIRGO EST DEI DOMUS, QUAM SIBI SAPIENTIA ÆDIFICAVIT.

Hæc prima divisionis pars tractatur enthymemate: *Beata Virgo est domus, quam sibi Sapientia ædificavit, ergo est sine macula concepta.* Antecedens probatur expositione, subdivisionem è singulis assumptæ sententiæ verbis, in sensu allegorico explicatis, depromptam, continente. Complexio habet applicationem ad Orationis propositum, omnibus subdivisionum expositionibus postpositam.

Antecedens expositionem complectens. *Ac ut à primo ordiamur. Descensurus de cœlo in terram Dei filius, ut stabilem, fixamque sedem haberet, primum sibi* domum *delegit. At qualem domum? Non certe vulgarem, id est: communem quampiam aptando mulierem in hoc grande, ac illustre Matris officium, verum delegit domum singularem, domum exquisitam, domum tanti hospitis majestate dignam. Nec illam dele-*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

delegit, quasi ab aliis jam ante constructam, inquilini, vel peregrini more, pretio conduceret; sed delegit Divina prius in mente, velut in idea, descriptam, ut suis ipse manibus, quasi à fundamentis, sapientissime ædificaret: Sapientia ædificavit sibi domum.

I. Pars subdivisionis: ædificavit. *Ait primum Divinus Spiritus* ædificavit. *Nostisne quid sit ædificare? Si vocis originem spectemus, est ædem facere; at non quomodocunque facere; verum facere ex industria, ex arte, apposite ad leges, ac regulas ædificandi. Poterat quidem Divina Sapientia hanc sibi domum unico omnipotentiæ suæ verbo, ut cæteras res creatas, quasi nullo operis studio facere, ut ait (a) David:* ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt; *verum ut intelligeremus, quæ, qualis, quamve præcellens domus ista foret, quam sibi Divina Sapientia in Virgine Sanctissima delegit; haud usurpat vocem* fecit, *sed* ædificavit, *id est: fecit cum delectu, cum industria: fecit ad artem, ad regulam, ea usus prudentia, & consilio in deligenda sibi matre, quo plerumque utuntur homines, cum ex arte domum solent ædificare:* ædificavit sibi domum. *Ait autem* ædificavit, *non* ædificat, *vel* ædificabit, *ut discernetis domum hanc jam ante, quam Divina eam ingrederetur Sapientia, fuisse perfectam, & absolutam. Sæpius apud homines usuvenit, ut operis, vel impendiis, aut rebus ad absolutionem ædificii pertinentibus destituti, incipiant equidem ædi-*

a) *Psalm. 32. ℣. 9.*

ædificare; haud tamen valeant consummare: Hic homo [*inquit* (*a*) *Christus*] cæpit ædificare, & non potuit consummare. *Non ita Dei filius, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reperiuntur: nec quidquam esse potest, quod Divina mente concipit Sapientia, ut non perficiat potentia;* ædificavit, *id est: domum, quam cæpit, absolvit, perfecit, consummavit, ut ad absolutam ejus perfectionem nihil quicquam valeat desiderari.*

II. Pars subdivisionis: sibi. *At cui ædificavit?* ædificavit sibi, *inquit Sapiens. Non ergo ædificavit alteri, quod persæpe facere solent architecti, qui domos ædificant, ut eas postea vænum exponant, vel aliis incolendas pretio elocent; sed* ædificavit sibi, *id est: suis tantum usibus, ut suum unius esset hospitium, sua habitatio, sua domus; in qua nemo alius unquam habitavit. Ut enim Christus fieri voluit filius Mariæ; ita etiam esse voluit filius unicus Mariæ. Atque istud est, cur sacris in literis primogenitus compellatur. Non idcirco, quasi plures de Maria post se genitos fratres Christus habuisset; verum ita primogenitus est, ut simul sit unigenitus, qui neminem ante se priorem, vel à se habuit posteriorem, qui de Maria natus extitisset.* Legimus primogenitum filium, legimus unigenitum. Primogenitum: quia nemo ante ipsum; unigenitum: quia nemo post ipsum, *inquit* (*b*) *Ambrosius. Hæc si ita? an non omnibus eam gratiæ dotibus, ac prærogativis vel eapropter instructissimam esse oporteat, quod eam*

a) *Lucæ 14. ℣. 30.* b) *Libro de Virginib.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

sibi, *suum in palatium, Divina delegerit sapientia? Quid agunt Monarchæ, cum de fabrica, maxime de Regia, agunt construenda? Nullis profecto parcunt impendiis, ut ad omnem exstruant magnificentiam. Et Dei Filium in ædificanda* sibi *domo aliam iniisse rationem credetis?*

III. Pars subdivisionis: Sapientia. *Imo vero vel idcirco hoc loco* Sapientiæ *potius, quam alio, nomine Dei filius voluit compellari:* Sapientia ædificavit sibi domum, *ut intelligerent mortales, in adornanda hac, tam præcellente, fabrica, Verbum Divinum, tanquam supremum architectum, quam maxime* Sapientia *usum fuisse, ut ab ea, quidquid imperfectum, ac indecorum est, quam longissime removeret; quidquid contra decoris, & ornamenti foret, in eam non conferret, sed plena [ut ajunt] manu cumularet, ut omnibus luculente pateret: opus istud à Divina solum mente ad dandum suæ specimen* Sapientiæ *perfici potuisse. Si nulla ergo foret Mariæ dotes, & laudes metiendi regula, hæc una profecto suppeteret: quoniam ipsa* Sapientia *eam* sibi, *& non alteri, in domum* ædificavit. *O summam ergo Divinæ hujus domus præcellentiam! O Virginem vere beatissimam! quam Divina* Sapientia *è tot millibus unam, sapientissimo prorsus consilio in domum, sive Matrem delegit, nec delegit modo; sed præterea* ædificavit, *id est: perfecit, instruxit, consummavit, ut digna tanto filio domus, & Mater foret.*

Complexio continens applicationem ad Orationis propositum, subdivisionum expo-

expositionibus postpositam. *Cum talis, & tanta sit hæc domus, quis jam* Auditores *Virginem Sanctissimam Adæ peccato fuisse obnoxiam audeat asseverare? Quid oro, de Principe illo statueretis? qui magnificum suos in usus palatium adornaret; verum ante, quam illud incoleret, suum illic hostem, suum proditorem, & illum equidem fœdissimum, sineret diversari, qui sordibus, & pestifero illud halitu, ac convictu fœdum in modum contaminaret. Parum profecto de ejus consilio, ac prudentia constituendum censeretis. Et de Divina credetis* Sapientia, *ut, quæ* sibi domum *adeo pulchram, adeo præcellentem, suis unice usibus futuram* ædificarat; *hanc prius pateretur à proditore diabolo inhabitari; nec inhabitari duntaxat; sed præterea ejus adiri possessionem, vi peccati [quod ajunt] originalis?* Urgetur aliis rationibus propositum confirmantibus. *Mihi certe incredibile prorsus videtur hoc de Divina vel cogitare Sapientia. Aut si quapiam id fieri potuisse ratione contenditis: quæro à vobis: an hoc Dei Filius sua ductus fecerit libertate, vel compulsus necessitate? Si necessitate? Ergo Divina* Sapientia *haud poterat tantum virium habuisse, ut à domo* sibi *destinata hostis adeo nefarii accessum prohiberet? Si libera voluntate? Ergo Dei filius non habebat in matrem tantum amoris, ut re ipsa ingressum hunc, quem facile valuerat, præpedivisset? Credite* Auditores: *Divina* Sapientia, *quæ hanc ipsa* sibi domum ædificavit; *etiam à se ipsa unice incoli voluit. Si ferre non potuit, ut post se per peccatum [ut ajunt]*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

junt] actuale dæmoni ad eam aditus pateret; qui poterat tuliſſe, ut eam ante ſe per peccatum, [quod ajunt] originale incoleret? Divinæ intererat Sapientiæ, domum ſibi dignam fabricare; & Divinæ non interfuit providentiæ domum tam dignam ab omni hoſtium incurſu ſalvam, & immunem aſſervare? Aſſervaſti profecto Deus; ita enim domum hanc ædificaſti, ut eam vaſtiſſimis ſeptem columnis in omnes hoſtium incurſiones firmiſſime inſtruxeris.

PARS II.

BEATA VIRGO EST DOMUS, IN QUA SAPIENTIA SEPTEM COLUMNAS EXCIDIT.

Altera diviſionis pars iterum tractatur enthymemate: *Beata Virgo eſt domus, in qua Sapientia ſeptem columnas excidit; ergo eſt ſine macula concepta.* Antecedens continet expoſitionem ſingulorum verborum, totidem veluti membrorum ſubdiviſionis. Complexio autem applicationem, ſubdiviſionis partibus poſtpoſitam, complectitur.

Antecedens. *Ut Divina hæc domus firmior, & aſpectabilior foret; non ſatis erat cœleſti architecto, Dei filio, eam utcunque ædificaſſe; ſed præterea exciſis ſeptem columnis voluit exornaſſe:* Et excidit columnas ſeptem.

I. Pars ſubdiviſionis: columnas. *Columnæ in ædificiis ſæpius ab architectis adhibentur ad firmitatem, ſæpe tantum ad decorem. Ad firmitatem: ut reliquam domus, vel fabricæ molem,*

lem, fulciant, ac sustentent. *Ad decorem: ut eam exornent. Utrumque Divina Sapientia in domo ab se ædificata, sive Virgine Sanctissima, conjunxisse videtur.* Excidit columnas, *quibus eam & exornavit, & confirmavit. Ut exornaret, Divinam equidem addecebat Sapientiam; cum hæc in se pulchra admodum, & venusta sit; haud potest aliis, quam rebus ad venustatem, pulchritudinem, decorem compositis delectari; imo, quia Sapientia est, vel idcirco nil ab ea nisi sapiens, nisi pulchrum, nisi decorum valet provenire. Et quoniam pulchritudo sine firmitate diu consistere nequit, voluit eam Divina Sapientia columnis ad perpetuam ejus stabilitatem positis confirmare, ut vere cum Davide dicere queat:* ego confirmavi columnas ejus. *At quales columnas? Si domus istius nomine Christi Ecclesia intelligatur; hæ columnæ sunt partim Prophetæ, Apostoli, Doctores, cæterive Ecclesiæ Ministri: partim Diviniſſima septem Sacramenta, quæ Ecclesiam magnopere ornant, & confirmant. Si vero justi animam intelligatis, sunt dona Spiritus Sancti justorum animas inhabitantis. At quoniam, è mente Bernardi, Divam Dei Genitricem per hanc Sapientiæ domum à Divino Spiritu intellectam ultro admittitis:* Quid est in ea [*quærit (a) Bernardus*] septem columnas excidere? nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, & operibus [*id est: virtutibus*] præparare. *Columnæ ergo virtutes sunt, quæ Virginis animam, non secus ac columnæ fabricam, ornant, & roborant.*

a) *Loco jam citato.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

Ornant, ut esset decora; roborant, ut esset firma. Non igitur sunt virtutes in Virgine Sanctissima, quemadmodum in cæteris hominibus vacillantes, infirmæ, instabiles; sed columnis, & quidem excisis persimiles, quæ suo semper loco immotæ consistunt; imo ne quidem moveri queunt: quoniam Virgo Sanctissima Divina in gratia singulari prorsus Dei munere confirmata, vel ipsum peccati fomitem excludit. Quo quid majus? quid eximius? quid columnis persimilius esse potest?

II. Pars subdivisionis: septem. *Quis porro explicet pro dignitate, quot, quibusve virtutibus suam Divinissimam Matrem Dei filius voluerit exornatam? Mihi equidem, cum Dei nuncius, Gabriel Angelus, Virginem Sanctissimam* Gratia plenam *esse dixerit, videtur omnibus,* [*ut nihil deforet ad plenitudinem*] *virtutum, & gratiarum donis cumulasse. Si ita? cur ergo in allata Salomonis sententia* septem *tantummodo columnæ memorantur?* Et excidit columnas septem. *Ergo non plures, quam septem dantur virtutes? Nunquid amplius ad decorem conferrent columnæ pari potius, quam impari numero definitæ? Verum advertite ad modum sacris literis crebrius usitatum. Phrasi Hebræorum poëtica* [*ut ait (a) Tirinus*] *vox septem sæpius plenitudinem; imo universitatem significat: quasi Scriptura diceret:* & excidit columnas septem, *id est: omnes, vel saltem plurimas. Divina igitur Sapientia dum in Virgine Sanctissima* septem columnas *dicitur excidisse; perinde est, ac si diceret*

a) *Tirin. in Cap. 5. Jobi v. 19.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

ret: virtutes omnes infudisse. Per septenarium [*inquit (a) Augustinus*] numerum universitas designatur. *Vel certe cum septem principes sint virtutes, unde reliquæ, velut è fontibus, ortum trahunt: tres nimirum Divinæ, seu* Theologicæ: *fides, spes, charitas: quatuor morales, vulgo dictæ* Cardinales: *justitia, prudentia, fortitudo, temperantia, intelligi potest Divina Sapientia* septem columnis, *id est: septem virtutibus principalibus, ac idcirco reliquis etiam omnibus, cum in iis, velut in fontibus, cæteræ omnes contineantur, Matrem suam instruxisse.* Ternarius numerus [*inquit (b) Bernardus*] ad fidem propter Sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. ⁂ His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis. *An aliquid ad Virginis dignitatem, & præcellentiam grandius dici potest?*

III. Pars subdivisionis: excidit. *At illud capere haud satis possum: Cur Salomon Divinam Sapientiam has septem columnas excidisse potius, quam elaborasse, erexisse, adornasse dicat:* Et excidit columnas septem. *Quid est excidere? si rem penitius indagemus: lapides pretiosi exciduntur; vulgares autem temere potius effodi, vel erui, quam excidi dicuntur. Excidunt autem tum, cum à latomis singulari cura, industria, incidendi arte excisi in fabricæ usum*

a) *Apud Tirinum l. 11. de Civ. Dei Cap. 31.*
b) *Loco jam citato*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

quadrantur, apparantur, poliuntur. Ita Divina Sapientia in domo ab se ædificata non architectum modo egit; sed & latomum. Apparavit in ea columnas, sed de lapidibus tam pretiosis, tam raris, ut eos oportuerit ipsi Sapientiæ in abditissimis primum fodinis investigare; postea cœlesti arte in columnas apparare. Perspicite jam vel ex eo Virginis excellentiam, in qua ipse Dei filius columnas, seu virtutes, posuit tam nobiles, tam excelsas, tam heroicas, ut ordinem constituerint omnium hominum virtutibus multo superiorem. Nam cæteris in hominibus virtutes, licet eximiæ, Virgineis comparatæ, sunt communes, & vulgares. Fulgent hæ quidem; at non secus, quam stellæ soleant minores, quæ ad solis, aut lunæ aspectum, suum quasi fulgorem amittunt. Et certe decens erat [*Divi verba sunt Anselmi*] ut ea puritate [*dicam ego: virtute*] qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum filium suum dare disponebat.

Complexio. *Jam si Deus Sanctissimam suam Matrem, hoc solo nomine, hac una de causa, quia Mater est, è communi hominum sorte exemit, in sublimiorem gradum extulit: si columnis septem, id est: virtutibus omnibus, & quidem multo præcellentiori, quam Adæ, vel ulli hominum, aut alteri creaturæ concessum est, gradu positis, exornavit: si Divina in gratia, immobilis instar columnæ, ne unquam in peccati labem eam prolabi contingat, confirmavit: si vel ipsum peccati fomitem ab ea quam longissime removit:*

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

movit: si ea puritate, qua nulla major sub Deo dari potest, enituit: quis credat communi pacto, cum Ada inito, eam comprehendi voluisse, ut eo peccante & ipsa peccaret, filia iræ fieret, Dæmonis mancipium evaderet? Deposcebat Divinæ Matris dignitas, ut altero statim conceptus momento à peccati [ut ajunt] originalis sordibus perpurgata, tot insignibus prærogativis exornaretur. An non hæc eadem dignitas exigebat, ut primo etiam vitæ momento, sine peccato concepta, iisdem gratiis, & muneribus cumularetur? Quæ, oro, est proportio, in secundo vitæ momento conferre gratias adeo singulares, adeo præcellentes; una tamen permittere, ut primo instanti, peccati sordibus contaminata, turpissimum diaboli mancipium foret? Hoc certe perinde eveniret, ac, si columnæ in palatio quopiam ex auro fabricatæ luteis basibus inniterentur. Lutum est peccatum; basis est primum vitæ momentum, cui cætera innituntur; columnæ sunt Virginis gratiæ, & virtutes; at luteis basibus innixæ, si Virgo Sanctissima primum in peccato concepta, mox singularibus à Deo gratiis, totidem quasi aureis columnis, exornaretur. Columnæ aureæ super bases argenteas, & non super luteas, *inquit Sapiens* (a).

EPILOGUS.

Quid superat Chari Auditores? quam ut Virgini Sanctissimæ, ab omni prorsus macula, ut audistis, intemeratæ, hanc à Deo optimo Maximo felicitatem summa animi pietate, ac religione

a) *Eccli. 26. ℣. 23.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

obtigisse gratulemur. *Tu illa es, O Virgo, mulierum certe omnium mulier beatissima, quam Divina Sapientia, Dei filius, mundum ingressurus, è tot millibus unam, in domum, & quidem ejusmodi domum delegit, quam ipse postea sibi adjecavit, nec ædificavit tantum, sed præterea excisis septem columnis, id est: gratiis, ac virtutibus omnibus ad sustinendum digne Matris officium exornavit. Tu illa es, quam à communi Adæ posterorum lege exemptam ab omni prorsus peccato eximiam conservavit. Fruere igitur O Virgo Sanctissima hac tua felicitate à Deo Optimo verius tibi data, quam concessa, & pro nobis clientibus tuis filium tuum supplex interpella. Multis premimur calamitatibus: gravissimi in nos consurgunt inimici, vitam, fortunas, & his potiorem omnibus famam, aggressi; Tu castrorum acies ordinata protege turbam devoto corde ad te confugientem &c.* Nos vero *Auditores* [*utor verbis* (*a*) *Bernardi*] si ejusdem sapientiæ fieri domus volumus, necesse est, ut eisdem septem columnis extruamur, id est: ut fide, & moribus ei præparemur. *Fide: haud tamen mortua; sed viva, spei nimirum, & charitati conjuncta. Postea moribus: incorrupta nempe justitia, fortitudine invicta, omnes cupiditates refrænante temperantia, quas cœlestis, & sancta, quæ omnium Mater, ac Regina est virtutum, prudentia comitetur, Dixi.* (*b*)

§ III.

a) *Loco jam citato.* b) *Vide Segneri in Manna animæ ad diem VIII. Decembris; unde potissima hujus orationis materia deprompta, ac dispositа est.*

§. III.

Paradigma alterum hujus modi.

UT hic allatus Paraphrasticæ dictionis modus propositis pluribus exemplis magis pateſcat, juvat Tironibus alteram quoque ejus idæam præbere, ubi ſingulis diviſionum membris ſua ſeorſim applicatio ſubjungitur, aut permiſcetur.

EXEMPLUM.

Sententia Sacra: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Matth. 5. ℣. 16.

Thema dictionis: *Viri Apoſtolici ita luceant coram hominibus, ut eos illuſtrent, & inflamment.* Partitio: *Illuſtrent, ut videant opera bona.* 2. *Inflamment, ut glorificent Patrem, qui in cœlis eſt.*

EXORDIUM.

Ingreſſus à ſententia Evangelica generatim. *Diviniſſimus Servator Chriſtus diſcipulos, in mundum univerſum prædicandi Evangelii gratia profecturos, ut Apoſtolici, quod geſturi erant, muneris memores ſemper redderet, uſitato ſibi in parabolis loquendi more, luci comparavit:* Vos eſtis lux mundi (a). *Ut porro compertum habeant, quo, huic Evangelicæ lucis officio, modo reſpondere valeant, ac debeant; formam etiam præſtituit:* Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona,

a) *Matth. 5. ℣. 14.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Quemadmodum ergo lucis alterius à sole emissæ munus est: suis orbem radiis illustrare, & calore temperare; ita lucis Evangelicæ principes, ac propriæ partes esse debent: sic lucere coram hominibus, ut homines & illustrentur, & inflammentur.*

Descensus ad speciem. *Utrumque Sapientissimus Magister Christus, ut olim à Discipulis; ita modo deposcit à vobis. Estis enim, singulari Dei Optimi Maximi beneficio, ad eum Apostolici ordinis gradum evecti, ut merito de vobis dici queat:* vos estis lux mundi. *Ut enim lux suos quaquaversum radios; ita vestri instituti ratio totum in orbem Viros dimittit Apostolicos, qui homines luce sua, & illustrent, & inflamment; illustrent ad videndum, inflamment ad glorificandum.*

Propositio cum partitione. *At hic Rhodus, hic saltus est: an re ipsa ita modo luceat lux nostra, ut homines illustrati videant opera nostra bona, & visis operibus inflammati glorificent Patrem, qui in cœlis est? Hoc igitur dictionis argumentum esto: Viros Apostolicos ita luce sua lucere debere coram hominibus, ut homines & illustrentur, & inflammentur. Illustrentur, ut videant; inflammentur, ut glorificent.* Videant opera vestra bona, *quod primum.* Glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; *quod alterum erit dictionis caput: utrumque paraphrastico genere pertractandum, audiatis.*

PARS

PARS I.

VIRI APOSTOLICI HOMINES ITA LUCE SUA ILLUSTRENT, UT VIDEANT OPERA BONA.

Prima pars divisionis tractatur syllogismo quinquepartito, in cujus minoris, sive assumptionis, probatione partitio ex singulis sententiæ Evangelicæ verbis, paraphrastice exponendis, proponitur.

Propositio, sive major: Lux Evangelica, qua Vir Apostolicus homines illustrare debet, sunt præclara vitæ exempla. *Per lucem Evangelicam, qua lucere coram hominibus Apostolos jubet Christus:* luceat lux vestra, *maxime intelligi oportere, danda à Viris Apostolicis bonæ vitæ exempla, veritas est omnibus comprobata.* Ratio majoris. *Est quippe lucem inter, & exemplum hæc, arctissima certe, communio: quemadmodum lux radiis; ita Vir Apostolicus bonis lucet exemplis, quæ miram sibi ab ipsa natura inditam illustrandi, & illuminandi virtutem habent. Unde dum Christus præcipit:* luceat lux vestra, *perinde est, ac si diceret: luceant exempla vestra. Hæc autem non satis est soli Deo, ac nobis ipsis, & ordini, in quo degimus, Apostolico esse cognita; sed præterea opus est, ut etiam hominibus sint perspecta:* luceat lux vestra coram hominibus. *Vir enim Apostolicus non uni tantum sibi; sed etiam hominibus ita natus, & factus est; ut non modo suam, sed etiam alienam, proximorum nempe salutem,*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

& perfectionem pro virili debeat procurare. Assumptio, sive minor: sed Vir Apostolicus bonis exemplis nequit homines illustrare; nisi videant opera bona. *Quis porro eam rite curaverit? quis vitæ suæ exemplis illustraverit? nisi Vir Apostolicus ita luceat exemplis coram hominibus, ut homines re ipsa videant opera nostra bona.* Ratio minoris. *Atque istud est: cur Christus, Sapientissimus legislator, de dando bonæ vitæ exemplo Apostolis legem conditurus, non eam utcunque,* absolute *nimirum, ac* simpliciter *condidit:* luceat lux vestra; *sed condidit cum particula, modi affectionem significante:* sic luceat lux vestra, *ut palam faceret: dandi boni exempli non modo substantiam, sed etiam modum, formam, rationem hominibus Apostolicis esse præceptam.* Subdivisio. *Viri Apostolici!* sic *ergo, id est: eo modo, ea forma, ea ratione luceant exempla vestra coram hominibus, ut homines re ipsa videant opera vestra bona. Quod ut melius intelligatis, juvat præstituti hujus modi verba singula seorsim paullo curatius explicare.*

I. Pars subdivisionis: videant. *Dixi primum:* videant. *Quo enim modo proximos nostros exemplis illustrabimus, si proximi exempla non videant? Quo autem modo videbunt? Si Vir, qui esse deberet, Apostolicus, turpi affectatæ humilitatis pallio ea contegat, ne videantur; vel certe ignavia, & socordia ductus nihil agat, quod videri dignum foret; imo agere cane pejus, & angue defugiat. Credite: hoc perinde foret, ac lucernam incendere, quæ nullos lucis radi-*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

radios emittat; aut si emittit, dolio condere, ne ultra spargere valeat. Quis autem, nisi vesanus, accendit lucernam, & ponit eam sub modio, ut à nemine quoquam videri, & conspici queat? Christi dictum est (a): nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. *Lucernæ estis Viri Apostolici, quos Divinus Sancto Apostolicæ vocationis igne Spiritus accendit, & in hoc pulcherrimo instituti candelabro collocavit, ut inde omnibus, qui in Ecclesiæ domo sunt, luceretis. Lucebitne autem vir ille, qui in aliquo privatus domicilio, velut sub quodam modio, delitescens, vitam cæteroquin agat moratam, sed pigram, sed socordem, sed omnis Apostolici laboris, & oneris defugientem? Lucebitne vir ille, qui & laborem refugit omnem, nec moratam, ut deberet, vitam ducit, nihilominus de victu, de amictu, de honoribus, quos neutiquam promereretur, de vita commodiore, miris artibus extorquenda, perquam sollicitus, Apostolico in ordine vivit, non ut ordini vivat; sed ut ventrem, cui natus est, egregie pascat? Lucebitne, inquam, vir iste? Utinam, utinam* non extinguatur in nocte lucerna ejus (b). *In nocte dico, id est: in morte, sine memoria, sine meritis, sine solatio, sine præmio, &, quod inde consequitur, non sine salutis detrimento extinguatur lucerna ejus. Aliud ego de vobis sperandum habeo. Video vos jam inde à principio cum Christo transfigurato ita in Viros Apostolicos esse*

a) *Matth. 5. ℣. 15.* b) *Prov. 20. ℣. 20.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

esse transformatos, ut facies vestræ Divino vocationis spiritu accensæ resplendeant sicut sol, & vestimenta vestra sint alba, sicut nix: lucet enim lux vestra coram hominibus, ut homines re ipsa videant, & quidem opera videant.

II. Pars subdivisionis: opera. *Sunt, qui Christianæ demissionis studio esse potius, quam videri malunt. Quod facile toleratu esset in iis hominibus, qui privatam, non item Apostolicam vitam profitentur. At Virorum Apostolicorum proprium est: & videri, & esse. Sunt tamen haud pauci, qui videri tantum; non item esse volunt. Persimiles Scribis, & Pharisæis, qui amabant in synagogis, & in plateis stantes orare: cum jejunabant, facies suas exterminare; verum non ut re ipsa orarent; sed tantum ut viderentur hominibus orare: non ut re ipsa jejunarent; sed tantum ut apparerent hominibus jejunare. Sepulchra profecto dealbata, quæ foris parent speciosa; intus autem plena sunt ossibus mortuorum! Optarem, ut Viros inter Apostolicos nulla hujusmodi sepulchra forent dealbata; sed hæc est hominum misera sors, & conditio, ut optimam etiam inter sementem zizania, aut lolia reperiantur. Sunt certe, qui coram hominibus Apostolici videri volunt, re ipsa non sunt. Dilatant cum Pharisæis Apostolatus phylacteria; sed pavonum instar, ut speciosi Evangelizantium pedes appareant, qui re ipsa turpes sunt, non secus ac pavonum. Prædicant verbum; sed prædicando quærunt, quæ sua sunt; non quæ JESU Christi. Urbem concursant; verum ut rumusculos,*

ut

ut fabellas, ut gloriolam, præclaræ prædicationis inane ſtipendium, aucupentur &c. Utrumque conjungendum eſt vobis Viri Apoſtolici, videantur opera veſtra ab hominibus, ſed ejuſmodi opera, quæ vere opera, & quidem veſtra, & videri, & eſſe mereantur.

III. Pars ſubdiviſionis: veſtra. *Quid autem eſt veſtrum? Opus veſtrum eſt, quod à vobis ipſis eſt perfectum. Et iſtud eſt, quod à Viris Apoſtolicis depoſcit Chriſtus*: luceat lux veſtra: videant opera veſtra. *Iſtud eſt: quod agendum monet Sapiens (a)*: quodcũnque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: *Tua, inquit, non aliena, inſtanter operare. At ſunt, qui præpoſtero zelo ducti, gaudent quidem; imo plaudunt, ſi præclaros aliorum labores audiant, vel intueantur: ad porro audendum ſtimulant, hortantur, opportuna ſuggerunt conſilia; imo interdum manum movent; at ubi gravem rei difficultatem ineſſe comperiunt; tum innato ſibi languore opus deſtituunt, manum de tabula ponunt. Alii contra, ſolis conſiliis contenti, ne digitum movere volunt. Deteriores adhuc illi, quin longe deterrimi, qui diabolico [quia dæmonum proprio] invidiæ, livoris, ſuperbiæ, odii ſpiritu concitati, pulcherrimos virorum Apoſtolicorum labores præpediunt, aut ſi tantum virium, & authoritatis non habent, ut præpedire valeant; dente livido carpunt, ſugillant, allatrant, mordent, canum inſtar, qui ſocios tum maxime rodunt, cum oſſa rodentes conſpiciunt. Alia eſt*

a) *Eccl. 9. ℣. 10.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

vestra facies Viri Apostolici, qui, cum ardenti charitate, ingentem præterea seu per vos, seu per alios, propagandæ Divinæ gloriæ zelum, summam laboris in negotio, quamcunque arduo, seu aggrediendi, seu conficiendi tolerantiam hactenus præstitistis. Lucet profecto lux vestra coram hominibus, ut homines opera vestra videant, eaque bona videant.

IV. Pars subdivisionis: bona. *Triplicia hominum opera esse solent: primum bona; postea mala; dein nec bona, nec mala, sed adiaphora; mali tamen aliquando, hominum errore, aut vitio, umbram, vel suspicionem complectentia. Qualia Viri Apostolici opera esse debeant, apertis Christus verbis declaravit:* Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. *Si bona? non igitur videant mala; imo ne mali videant umbram continentia. Homines Apostolicos Christus Servator luci comparavit, qui præclaris vitæ exemplis, & operibus, ea intuentes debeant collustrare. Mala vero opera quid sunt? quam tenebræ, quam nox, quam caligo, quæ obscurant, non illustrant; lucem adimunt, non affundunt; à virtutis studio abducunt, non adducunt; imo gravissimum muneris Apostolici pariunt contemptum: nil enim tantam in hominum animis parit offensionem, & ignominiam; quam si Viri Apostolici aliud verbis, aliud doceant exemplis. Liceat modo parumper ei, quæ dicentis mentem nunc rectè subiit, cogitationi diutius immorari. Ecquid esse potest, quod muneris Apostolici ratio,*

tio, & dignitas, licet illustris, ac præcellens, nihilominus multam persæpe his quoque temporibus, sui vituperationem, ignominiam, contemptionem patiatur? Mihi equidem de vobis, ac pulcherimis moribus vestris nihil quicquam decet, vel licet, suspicari; Pauli tamen Princi, is Apostoli monitum est (a): nemini dantes ullam offensionem? *Cur?* ut non vituperetur ministerium nostrum. *En! data à nobis offensio causa esse potest vituperationis. Dispicite jam nunc, Auditores, an ita luxerit lux vestra coram hominibus, ut ministerii vestri, si quam fortasse fertis, despicatio, ab nulla, per vos præbitæ, offensionis vel umbra ortum trahat?*

Complexio I. partis: ergo homines bona Viri Apostolici opera videre debent. *Præclara quidem virtutum vestrarum exempla, in dies edita, aliud probant; non idcirco tamen vos hortari desino: Viri Apostolici!* vos estis lux mundi, *quos DEUS, in hoc muneris Apostolici candelabro, eo de consilio collocavit, ut omnibus luceretis; si igitur huic præcelso lucis Evangelicæ officio, ex æquo respondere vultis; ita luceat lux vestra coram hominibus, ut homines videant, & quidem opera videant, & illa vestra videant, &, quod maximum est, bona videant; ac ubi viderint, glorificent vestrum, qui in Cœlis est, Patrem; quod altera dictionis parte prosequemur.*

a) *2. ad Cor. 6. ℣. 3.*

PARS II.

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

VIRI APOSTOLICI ITA LUCE SUA HOMINES INFLAMMENT, UT HI GLORIFICENT PATREM, QUI IN COELIS EST.

Altera divisionis pars tractatur syllogismo tripartito. In minore, sive assumptione proponitur subdivisio constans ex verbis Sententiæ Evangelicæ, paraphrastice explicandis. Propositio, sive major. Vir Apostolicus ut lucis officio rite fungatur, debet homines suis exemplis inflammare.

Non ea solum est lucis virtus, quod mundum radiis collustret; sed præterea suo illum calore fovet, temperat, ac moderatur. Hæc eadem lucis etiam Evangelicæ pars est. Illustrat illa quidem homines præclaris vitæ exemplis, totidem veluti radiis; sed una torpescentes mortalium animos Divini Spiritus calore excitat, & inflammat. Assumptio, sive Minor: sed non inflammat, nisi homines visis Viri Apostolici exemplis glorificent Patrem, qui in Cœlis est. *At quorsum inflammat? Eo certè, ut visis Virorum Apostolicorum exemplis, & operibus homines concitati glorificent vestrum, qui in Cœlis est, Patrem. Hic finis, hic vester scopus est Viri Apostolici! Huc viribus omnibus connitendum est vobis, ut lucis, id est: muneris Apostolici partes rite expleatis.*

I. Pars subdivisionis: glorificent. *Quid porro est glorificare? Si Divo fidem habemus*

bemus *Ambrosio*: gloria est clara cum laude notitia, *sive frequens de aliquo fama cum nominis claritate, laude, existimatione conjuncta. Unde glorificare perinde est, ac famam, honorem, laudem, notitiam ob præclara facinora uni alicui conscisere, conciliare. Ita egit Christus.* Jericho (a) *Civitati appropinquabat; sedebat illic cœcus quidam, pro more mendicorum, secus viam stipem corrogans. Interea ex turba non sine strepitu, ac ingenti comitatu, partim præeunte, partim consequente, intelligit, JESUM Nazarenum, Virum illum, quem fama, & auditione acceperat, esse prodigiosum, qui cœcis reddit visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam, illac esse transiturum. Quid agit? fiducia excitatus, contentissima, quam potuit, voce, cœpit Christi opem implorare:* JESU Fili David, miserere mei! *Et tametsi à prætereuntibus increparetur, ut taceret; ille tamen, quo prohibebatur magis, eo contentius clamare:* Fili David miserere mei! *Visa ergo hominis infelicissimi confidentia, primum Christus constitit, tum miserum ad se adduci jubet, sciscitatus:* quid tibi vis faciam? *Ille vero:* Domine ut videam. *Quid ad hæc JESUS? misericordia motus dixit illi:* respice: fides tua te salvum fecit; & confestim vidit. *Quid tum populus rei eventum præsiolatus? Tanta miraculi insolentia excitatus, ut vidit, confestim DEO laudem dedit:* Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem DEO.

a) *Luc. 18. ℣. 35.*

CAPUT II. ARTIC V. §. III.

Hic jam subit percunctari: cur Sacer Scriptor dicat: ut vidit, dedit; *postea:* dedit laudem DEO? *Ergo turba laudem Deo datura non fuisset, nisi cœci prodigiose consanati miraculum aspectasset? Eccur istud? Eo nempe, ut Viri Apostolici compertum haberetis, tum homines DEO laudem daturos, cum visis præclaris vestris exemplis, & operibus ad DEUM glorificandum fuerint inflammati:* Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem DEO. *DEO autem ait, non Christo, ut Viri noverint Apostolici, cum præclari quidpiam egerint, ita eos agere, ac intendere oportere, ut homines illud videant equidem; ast ubi viderint, laudem, & gloriam, inde profecturam, non ipsis Viris Apostolicis, hic à Christo repræsentatis, qui rem agunt; sed DEO, cujus virtute, gratia, adjumento agunt, ceu bonorum authori, & fonti attribuant. Vel certe, si errore quopiam adducti, non DEO, sed Viris dederint Apostolicis, Viri eam Apostolici ita accipiant, ut sibi haud retineant; sed in DEUM, ceu originem, fontem, & omnium donorum finem conferant. Hoc innuere videtur Paulus Princeps Apostolus:* Fratres (a), qui gloriatur, in Domino glorietur. *Qui gloriatur, ait; non idcirco, quasi vetaret, ne glorieamur; verum si gloriandum est, omnem, quæ in nos redundare posset, gloriam, in Deum, veluti fontem, referamus.* Aquam hauris, puteum corona!

II.

a) 2. *ad Cor.* 10.

II. Pars subdivisionis: Patrem. *At istud mirari, nec capere satis possum, cur* Matthæus *dicat: dedit laudem Deo; Christus vero non Deo; sed Patri gloriam dicat esse referendam:* glorificent Patrem. *Nunquid laudem dare sacris in literis idem est, ac glorificare? Nunquid Filius, & Spiritus Sanctus, perinde ac Pater, est DEUS? quibus, peræque omnis bonor, omnis laus, omnis debetur gloria? Cur ergo non communi nomine DEUM, sed peculiari quadam ratione Patrem ait esse glorificandum?* glorificent Patrem. *Verum tametsi gloria toti competat Divinitati, qua præditum novimus esse tam Patrem, quam Filium, & Spiritum Sanctum; nihilominus quia Pater est principium sine principio, fons totius Divinitatis, à quo procedunt omnia; ipse porro à nemine quoquam procedit; idcirco singulari quadam ratione Patri, velut omnium bonorum fonti, ac origini, gloria tribuitur; quamvis re ipsa ab ejus communione nec Filius, nec Spiritus Sanctus excludatur. Accedit; cum Patris hujus, quem speciali nomine nostrum compellamus:* glorificent Patrem vestrum, *Filii nominemur, & simus; cui, oro, hanc laudem, cui hanc gloriam, cui hunc honorem potius, quam Patri, deferre debeamus? At quoties evenit, ut Viri, qui deberent esse, Apostolici, inanis gloriæ stimulis, & cupidine acti, non Divinam, sed suam; non paternam, sed propriam, humanam nempe gloriam appetant, nec appetunt tantum, sed omni studio, cura, labore quærunt, & con-*

CAPUT II. ARTIC. V. §. III.

CAPUT II. ART. V. §. III.

sectantur. Degeneres profecto, & ingrati filii! digni, quos extremo mundi die tres illi gentiles Diagoræ Rhodii, ob res ludis Olympicis præclare gestas, à populo coronati, condemnent; qui detractas capiti coronas Patri suo, tum præsenti, concordibus animis imposuere; vos vero Cœlesti Patri detrahitis, ut capitibus vestris, fastu, ac tumore plenis, ambitiose imponatis. Nequaquam profecto sperandam de Cœlis laborum vestrorum mercedem habetis; cum in terris eam præposteræ recipiatis: receperunt mercedem suam.

III. Pars subdivisionis: qui in Cœlis est. *Æternus equidem Pater, sua immensitate, omni, qui datur, vel dari potest, loco positus est; nihilominus, cum potentiam suam de Cœlis exerat; illic se nobis videndum, ac fruendum præbeat; ibi Apostolicos labores nostros remuneretur, fit, ut Patris Cœlestis nomine sacris in literis compelletur:* Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Huc, huc ergo Viri Apostolici oculos vestros advertite, huc mentem attollite. Si labor Apostolicus durus perquam, ac difficilis accidat, ad* Patrem, qui in cœlis est, *respicite, hujus opem implorate, hoc vos solemini; certi: paratam istic esse justitiæ coronam, quam omni procul dubio justus, Apostolicos aliquando sudores cœlesti mercede muneraturus, vobis reddet Judex (a).*

EPI-

a) *Complexio hujus partis præteritur, cum Epilogus consequatur, juxta Tomulum I. pag. 449.*

EPILOGUS.

Quod ut bene, ac feliciter eveniat, per id ego vos, quidquid Sanctum, & charum vobis esse potest, oro, & obtestor, ut hanc propositam Viri Apostolici idæam, quam utinam pro tanta rei istius dignitate, ea, qua oportuisset, oratione complecti valuissem, moribus vestris quam diligentissime exprimere porro etiam satagatis. Vos estis [*ut ante dixi*] lux illa *ardens, & lucens, quos prapotens DEUS in hoc splendido Apostolatus candelabro collocavit. An vero potest Civitas abscondi supra montem posita? an accendunt lucernam, ut eam ponant sub modium, sed potius super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt? Sic ergo, Viri Apostolici, luceat lux vestra coram hominibus, ut eos præclaris exemplis & illustretis, & inflammetis. Illustretis*, ut videant opera vestra bona. *Inflammetis, ut* glorificent vestrum, qui in cœlis est, Patrem. *Hoc à vobis deposcit muneris Apostolici ratio; hoc Sancta Majorum vestrorum exempla docent; hoc communis mortalium de vobis prædicat fama, & existimatio, insignibus Patrum vestrorum meritis parta, & ad vos jure quodam hæreditario devoluta. Quam ut porro sartam tectamque ad posteros transmittatis:* Sic *ergo* luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Amen.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. IV.

§. IV.

De reliquis dictionis Paraphraſticæ modis.

SUnt etiam alii dictionis Paraphraſticæ modi, quorum exempla dare, longum admodum, & operoſum foret; nec ita obſcuri ſunt, ut ſine idæis intelligi nequeant. Licet autem aliqui eorum, non perinde ad artem, ac alii, duo præſertim priores, jam memorati, appoſiti ſint; ne quid tamen in Eloquentia mea, quod Tironum alicui alluberet conſectari, præteream, juvat eos huc breviter conjeciſſe.

I. Modus eſt. Præmiſſo brevi exordio, prima parte aſſumptæ ſententiæ literalis, vel myſticus, de voce ad vocem, ſaltem præcipuam, per totidem quaſi ſubdiviſiones, ex iis deſumptas, aut ſine illis generatim, ſenſus exponitur; poſtea parte altera inſtituitur applicatio moralis, aut panegyrica, cum diviſione, expoſitionis ſenſui reſpondente, aut ſine illa. Demum clauditur epilogo.

II. Modus eſt: cum initio ſtatim, ſine ullo exordio, ſententia explicatur; inde doctrina moralis, aut panegyrica eruitur, ac reliqua dictionis parte, adjectis aliis etiam rationibus, rem confirmantibus, urgetur. Hic modus duabus partibus conſtat: explicatione, & applicatione. Hac methodo ſuos plerumque ſermones adornat *Caſar Calini in Samuele.*

III.

III. Modus est: cum præmisso brevi exordio explicanda proponitur sententia, cum partitione, ex verbis ipsius sententiæ deprompta; cujus postea singula membra in sensu plerumque literali, sine ulla tamen applicatione, exponuntur; demum in epilogo fit applicatio, vel singulis divisionis partibus (quod longum foret) vel uni præcipuæ, aut ultimæ accommodata.

CAPUT III.

DE ORATIONE POLEMICA.

QUod Græcis Πόλεμος; hoc latinis bellum, pugna, prælium. Unde Oratio Polemica est: sermo pugnax, quo de fidei capitibus Hæreticos inter, vel alios Ecclesiæ hostes, controversis disseritur, ac disceptatur (a). Hæc autem disceptatio quadruplici modo institui potest. 1. Dogma Catholicum adserendo. 2. Dogma Hæreticum impugnando. 3. Dogma ab Hæreti-

a) *Hoc Polemicum Orationis genus, in Eloquentia Sacra, succesſit Judiciali, in quo Oratores olim vel, ut actores, accusabant; vel, ut Patroni, defendebant. Persimiliter in Polemicis Concionibus, cum Orator impugnat, quasi actor accusat; si vero asserat, vel propugnet, quasi Patronus defendit. Multa de Judiciali genere* Cornificius, *plura* Cicero, *non pauca* Fabius Quintilianus *præcepta tradunt, quæ Polemicis Concionibus à nobis accommodata esse ultro confitemur; licet quid, unde, quove loco fiat, brevitatis causa plerumque consulto dissimulemus.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. 1.

reticis impugnatum, confutatis eorum rationibus, propugnando. Denique mixtim è tribus. Unde quadruplex Concionis Polemicæ ſpecies enaſcitur: *Aſſerens*, *impugnans*, *propugnans*, ſive *confutans*, denique *mixta*. Singulas hoc capite explanabo.

ARTICULUS I.

DE PRIMO CONCIONIS POLEMICÆ MODO.

§. I.

Præcepta hujus modi.

PRimum Concionis Polemicæ genus eſt: *adſertivum*, quo fidei noſtræ caput aliquod, & dogma è ſuis rationibus aſſeritur, & probatur. Unde modus iſte *aſſerens*, vel, ut vulgo dicitur, *adſertivus* compellatur. De illius primum inventione, poſt de diſpoſitione, demum agemus de elocutione.

I. *De inventione hujus modi.* Inventionis difficultas hoc in modo haud ita ardua eſt in eruendis thematibus; quam in partitionibus. Themata enim plerumque ſunt fidei noſtræ capita: cujusmodi foret adverſus Calvinianos: Corpus Chriſti eſt vere, ac re ipſa, ſua in ſubſtantia, præſens in Euchariſtia. Romanus Pontifex eſt caput totius Eccleſiæ &c. quæ jam ſimplicius, jam ornatius, pro ratione materiæ, vel Auditorum, proferri poſſunt. Partitiones porro variis de fontibus petuntur; plerumque

ex

ex iis, unde rationes, & argumenta promi solent, quibus dogma quoddam adstrui, & probari consuevit. Ad tres autem classes, sive locos, revocari queunt: primum ad locos Theologicos: dein ad locos Eloquentiæ generales: demum ad locos Eloquentiæ speciales. CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

II. *De inventione ex locis Eloquentiæ Sacræ propriis.* Sunt hi: Scriptura, Traditio, Concilia, Sancti Patres, Historia Ecclesiastica, Usus Ecclesiæ, Ratio, maxime Theologica, de quibus Tomulo egimus priore (*a*). Ex his jam *conjunctim*, jam *seorsim*, partitiones sumi possunt: 1. *Conjunctim*: id est: ex duobus, tribus, vel etiam pluribus simul locis, ante memoratis. Verbi causa: hoc Scriptura, hoc traditio, hoc ratio docet. Hoc Patres, hoc concilia, hoc usus Ecclesiæ probant (*b*). Vel: si festo SS. Trinitatis, in illud Joannis (*c*): *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*: unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate asserendam haberes: dabunt partitionem loci Theologici conjunctim: Deus est unus, & trinus: Unus in natura; Trinus in personis: Unitatem naturæ & fides, & ratio docet; Trinitatem

a) *Tomul. I. libro 2. part. 1. Cap. 3. pag. 291.*
b) *Licet hunc partiendi modum in aliis Orationibus Tomulo priore l. 2. p. 1. Cap 1. Art. 4. §. 1. pag. 169. improbem; in Polemicis tamen Concionibus locum habere posse concedunt Eloquentiæ Sacræ Præceptores.*
c) *1. Joan. 5. ℣. 7.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. 1.

tatem in personis ratio haud probat; fides tamen docet: docet ex scriptura, docet ex traditione. 2. *Seorsim*, id est: ex uno quovis loco singillatim, nimirum: ex sola Scriptura: ex solis conciliis, ex sola ratione. Primum ex sola Scriptura, idque dupliciter: generatim, & speciatim. Primo *generatim*; verbi causa: Hoc vetus, hoc novum testamentum docet. Ita *Franciscus Neumayr* (a): Missam verum probat esse Sacrificium: 1. Ex Veteri Testamento, & quidem ex verbis Davidis, ex verbis Malachiæ, ex verbis Danielis. 2. Ex novo testamento: ex Christi cum Samaritana collocutione, ex Missæ institutione, ex Sacerdotum ordinatione. Item: hoc Prophetæ prænunciarunt, hoc Evangelistæ scripserunt, hoc Apostoli prædicarunt. Vel ornatius in illud: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Partitio: Christum, verum, ac æternum esse DEUM testatur Pater in veteri testamento per Prophetas: testatur Filius in novo testamento per Evangelistas: testatur Spiritus Sanctus ex utroque testamento per Apostolos. Postea *speciatim* ex singularibus Scripturæ locis, ac sententiis. *Ex locis*, ac eorum *contextu*: Christus carnem suam vere, ac re ipsa manducandam promisit (*b*): quod probat Evangelista hanc promissionem describens; probat

a) *Concione VII. per Octavam Corporis Christi.*
b) *Joan. 6. ℣. 52.*

bat Christus hujus promissi fidem faciens; probant Capharnaitæ hac promissione offensi. Sit exemplum ex sententiis, *una*, aut *pluribus*. Ex una: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* (a): partitionem dant verba: *potest*, & *dare*: Christus carnem suam ad manducandum dare potuit, quod primum: re ipsa dedit, quod alterum. Sit exemplum *ex pluribus*, quæ retentis interdum verbis, interdum sensu solum, in certa capita redacto, usurpantur. Ita *Pazmannus* (b): realem, ut dicimus, Christi præsentiam in Eucharistia probaturus, à diversis sententiis, sensu retento, in summam redactis, sumit partitionem: 1. à promissione, postea ab institutione, demum ab usu. Promissio habetur apud Joannem (c): *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Institutio peracta est in ultima Cœna apud Matthæum (d): *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Usus probatur ex testimonio Pauli (e) ad Corinthios &c. Vel Petri primatus pro concione esset adstruendus, ita ex pluribus Scripturæ sententiis partieris: Petrus Ecclesiæ primatum obtinet: quia primo est fundamentum Ecclesiæ, cui innititur domus Ecclesiæ (f): *Tu*

CAPUT III. ARTIC. I. §. 1.

a) *Joan. 6. ℣. 53.* b) *In Hodæg. l 11. Cap. 1. Eandem ferme partitionem habet Neumayrus: Concione prima per Octavam Corporis Christi.*

c) *Loco paulum ante citato.* d) *Matth. 26. ℣. 26.* e) *1. ad Cor. 10. ℣. 18. Item 1. ad Cor. 11. ℣. 23.* f) *Math. 16. ℣. 18.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Postea: quia Pastor est Ecclesiæ, cui commissæ sunt oves Ecclesiæ (*a*): *Pasce oves meas.* Demum: quia Princeps est Ecclesiæ, cui traditæ sunt claves Regni Ecclesiæ (*b*): *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Vel dic ornatius: Ecclesia est domus, est ovile, est regnum. Si domus? fundamento innitatur. Si ovile? à Pastore regatur. Si regnum? Principem habeat oportet. Similiter sumi possunt ex Conciliis, & Patribus. *Ex Patribus, generatim:* Hoc Latini, hoc Græci Patres docent. *Speciatim*, ex singularibus Patrum locis, ac sententiis: Ita S. Augustinus de Petro (*c*) locutus: *Dignus certe, qui ædificandis in domo DEI populis lapis esset ad fundamentum: columna ad sustentandum: clavis ad regnum:* partitionis materiam præbet ad comprobandum Petri in Ecclesia primatum: Petrus est Princeps in domo Ecclesiæ: quia est lapis ad fundamentum. 2. Columna ad sustentandum. 3. Clavis ad regnum. *Ex Conciliis generatim:* hoc definierunt Concilia Occidentis, hoc Orientis. Hoc probant Concilia Oecumenica, hoc particularia, hoc synodi diœcesanæ. *Ex verbis Conciliorum speciatim.* Tridentinum Sess. 7. in Proœmio ait: *consentaneum visum est de Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis justitia*

a) *Joan. 21. ℣. 17.* b) *Matth. 16. ℣. 19.*
c) *Serm. 29. de Sanctis.*

CAPUT III. ARTIC. 1. §. 1.

stitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Partitio: Magna vis Sacramentorum, per quæ primum justitia incipit, postea cœpta augetur, demum amissa reparatur. Item Sess. eadem Can. 3. de Baptismo: *Siquis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra, non esse verum de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit*: Ecclesia Romana primatum habet: quia est Mater, quia Magistra omnium Ecclesiarum. Mater: cum eas pepererit; Magistra: quoniam eas docet, ac regit. *Ex ratione, maxime Theologica*: Baptismi Sacramentum parvulis est necessarium: 1. Quia est lavacrum regenerationis, per quod à peccatis abluti Christo renascimur. 2. Quia est janua Ecclesiæ, per quam, Christo renati, Ecclesiæ domum ingredimur. Item: æternam Christi cum Patre ejusdem substantiæ divinitatem adstruunt nomina DEO Patri propria; Christo etiam attributa: adstruunt operationes, tam DEO, quam Christo in Scriptura communes: adstruit cultus soli DEO proprius; Christo etiam conveniens (*a*).

III. *De inventione ex locis Eloquentiæ generalibus.* Sunt hi: possibile, vel impossibile: credibile, vel incredibile: rationi con-

a) *Consulto attulimus hæc de Christi Divinitate exempla, ut usui esse possint Tyronibus Hungaris (quorum bono, loco principe, scribimus) adversum Socinianos, in Transsivania, æternam Christi Divinitatem injicientes.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

sentaneum, vel dissonum: bonum, vel malum: honestum, vel inhonestum: decens, vel indecens: pulchrum, vel turpe: laude dignum, vel indignum: prudens, vel imprudens: utile, vel inutile: noxium, vel innoxium: necessarium, vel non necessarium, & his similia, diffusius Tomulo (a) priore explicata, unde suas plerumque Disertissimus *P. Franciscus Neumayr* polemicas promit partitiones. Idque fieri potest, vel conjunctim ex pluribus locis generalibus; vel seorsim ex uno. Sint exempla *ex pluribus*: I. Præcepta Divina servata sunt possibilia; nec, ut homines putant, difficilia; ad salutem necessaria. II. *Neumayrus* (b). Status claustralis est DEO acceptus, publico bono utilis, ipsis claustralibus salutaris. III. *Neumayr* (c). Jejunii, cujus observantiam sustulit Lutherus, causa est sancta, substantia laude digna, fructus est bonus. *Ex uno:* plures verbi causa possibilitatis, facilitatis, utilitatis &c. causas, & rationes adferendo: Jejunium est utile corpori, est utile animæ.

IV. *De inventione ex locis Eloquentiæ specialibus.* Sunt: definitio, notatio, genus, forma, opposita, causæ, effectus, adjuncta, partium enumeratio &c. Ex his, vel con-

a) *Tomul. I. p. 1. Cap. 2. Art. 9 § 1 pag. 283.*
b) *Concione: an status claustralis sit laude dignus?*
c) *Concione: an Lutherus non satius egisset, si Bacchi festas, quam jejunii dies, sustulisset?*

conjunctim, vel seorsim è singulis, promuntur Polemicæ partitiones. Sint exempla: I. *A diversis definitionibus*: Baptismi Sacramentum est necessarium: quia est lavacrum regenerationis. 2. Quia est janua Ecclesiæ. II. *Ab enumeratione partium*: Extrema unctio habet veri Sacramenti conditiones: habet institutionem, habet materiam, & formam, habet gratiæ effectum. III. *Ab adjunctis (a)*: Corpus Christi in Eucharistia vere, ac re ipsa, præsens adest ante manducationem, in manducatione, post manducationem. Denique partitio Concionis assertivæ promi potest ex ipsa *dogmatis Catholici œconomia*, plures in se plerumque partes complectente, quæ, si enumerentur, sponte fundent partitionem. Cujusmodi est paulum ante ab adjunctis allata.

V. *De dispositione hujus modi.* Modus iste totidem partes, ac una quævis, alterius cujuscunque generis, Oratio complectitur. Exordium duci potest è fontibus tomulo priore recitatis, maxime ab expositione assumptæ Sacræ Sententiæ, postea in descensu themati applicandæ. Vel, quod utilissimum foret, ingressus fieri potest ab expositione doctrinæ Catholicæ, vel etiam Acatholicæ, ut inde descensus fiat ad Catholicam, vel Acatholicam. Confirmatio tractari potest: vel cum subdivisione, ex iisdem ferme, unde divisionem promi di-

a) Neumayr: *Conc. tertia per Oct. Corp. Christ.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

ximus, fontibus eruenda; vel etiam sine illa, ut Oratori visum fuerit, & argumenti ratio admiserit. Ars in his, utpote Didactici generis, concionibus clarior, & apertior esse potest, quam in aliis Orationum speciebus. Unde adhibere fas est argumentationes: syllogismos nimirum, enthymemata, dilemata, apertius proposita, ut inde vis, soliditas argumentorum, quibus doctrinæ Catholicæ veritas adstruitur, magis pateſcat Auditori, etiam rudiori; quemadmodum rei hujus exemplum præbet *Paulus Segneri* Celeberrimus Italiæ Orator (a). Argumenta porro quam solidissima adferantur, primum, & potissimum ex scripturis: quibus maxime deferunt sectarii, deprompta; postea ex Patribus primorum quinque sæculorum; quibus Ecclesiæ doctrinam nondum fuisse depravatam contendunt. In hoc autem *adsertivo* Polemicæ Concionis modo licet confutatio adhiberi queat, sub finem maxime principalium argumentorum; princeps tamen ejus finis, & scopus haud est objecta diluere, vel Hæreticum errorem directe impugnare, sed solum dogma Catholicum è suis intrinsecis, vel extrinsecis, rationibus, & fundamentis adstruere, & stabilire, quæ libri Polemici, vel Theologici, affatim suppetent. Unde Polemicum Oratorem,

a) *In Quadragesimali Concione vigesima: qua Christum probat esse Deum Est hæc Concio Polemico-Moralis, diligenter à Tironibus relegenda.*

torem, ut suo rite fungatur munere, præcellentem oportet esse Theologum. CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

VI. *De elocutione hujus modi.* Elocutio modi hujus, dum docet, est humilis, Didactico (ut solet) generi convèniens; altior tamen, quam in Catechetica, etiam grandiori, aut Paraphrastica specie Orationis; quare figuras admittit plerumque docentes: cujusmodi sunt interrogationis ad rem urgendam, communicationis, dubitationis, suspensionis, &c. At ubi motus civerit, vel si ita docere, ut una movere (quod plerumque Polemici faciunt Oratores) intenderit; tum sublimius assurgere potest, imo debet. Exciuntur autem potissimum affectus fidei in complexionibus, & epilogo, *ubi Orationum vela pandi solent.* Epilogus vero non motu tantum; sed etiam argumentorum constet enumeratione, ut hac eorum repetitione adstructa Catholicæ doctrinæ veritas Auditorum mentibus magis infigatur.

§. II.

Paradigma hujus modi.

COmplura hujusmodi exempla reperies in Concionibus Polemicis *Francisci Neumayr* celeberrimi hac ætate in Germania Polemici Oratoris. At quoniam diffusiora sunt, quam huc commodum inseri queant; aliud brevius specimen sufficimus (a).

a) *In hac, & reliquis Polemicis Concionibus meis, pro paradigmate propositis, licet latinitatem,*

CAPUT III. ARTIC. 1. §. II.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* Joan. 6. v. 53.

Thema dictionis: *Christus in Eucharistia carnem suam vere, ac reipsa, manducandam promisit.*

Partitio Thematis: 1. *Hoc probat Evangelista, hanc promissionem describens.* 2. *Hoc probat Christus, hujus promissi fidem faciens.* 3. *Hoc probant Capharnaitæ, hac promissione offensi.*

EXORDIUM.

Ingressus ex visceribus causæ à genere (a). *Quod Christus, Servator Divinissimus, adpromittit; eo, ut promittit, ordine, modo, lege, semper facit. Est Christus fidelis, ac præpotens DEUS, falli, & fallere nescius, qui nullius promissi fidem facit, quam explere vel non possit, vel nom velit. Potest ob infinitam, quam in præstandis promissis habet potentiam: vult ob summam, quam in iisdem rite exequendis habet fidelitatem.*

Descensus ad speciem. *Viri Catholici! En quam firmo fidei nostræ veritas innitatur pedi!*

quantum esse poterat, tersam adhibere conatus sim; haud tamen Academicam, sed Ecclesiasticam. Unde verba, & loquendi modos sacris literis in editione vulgata usitatos, quibus vis, & pondus inest; vel à Theologis ad res fidei melius exprimendas inventos, & jam ab Eloquentia Sacra civitate donatos, licet fortasse tersius eloqui potuissem, consulto retinui.

a) *Vide Tomul. I. l. 2. p. 2. Cap. 1, Art. 2. §. 1. Num. 1. & 2.*

di! Est dogma Catholicum, Sacri etiam Concilii (a) *Tridentini verbis adstructum: Christum in Eucharistiæ Sacramento, non solum ut in signo, ut in figura, ut in typo, vel per energiam; sed vere, sua in substantia, re ipsa præsentem esse. Hoc Christus promisit, ac idcirco etiam fecit. Promisit* (b): Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Fecit* (c): accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.

Propositio. *Actum ergo agitis Viri Capharnaitæ, & Virorum Capharnaitarum exemplo frustra litigatis boni Calviniani*: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? *Credite: potest; hoc enim Christus veritas promisit æterna, neutiquam promissura; nisi re ipsa id facere potuisset, & voluisset. Sit ergo præsentis thema dictionis: Christus in Eucharistia carnem suam vere, ac re ipsa, sua in substantia, dat manducandam: quoniam promisit.*

Introductio. *At quæretis: ubi promisit? Ajo: uno, & amplius anno prius, quam Sanctum Altaris Sacramentum fuerit institutum, sexto Joannis capite, hanc à Christo Judæis, in deserto pastis, factam fuisse promissionem. Audite Christum: Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Scio perbelle ex Catholicis etiam Doctoribus quospiam (tametsi ad reliquam Doctorum turmam paucos admodum) reperiri, qui Christum hoc Joannis loco,*

a) *Sess. 23. Cap. 8. Can. 1.* b) *Joan. 6. ℣. 52.* c) *Matth. 26. ℣. 26.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

non de Sancto Altaris Sacramento, verum de admirando Verbi, carnem induti, mysterio locutum fuisse contendunt. At Calviniani tametsi admittant hic de Cœna Christum agere; nihilominus ajunt: istbic, alibive, carnem manducare perinde esse, ac DEI filium, qui panis est de Cœlo descendens, carnem, sive hominem esse factum, credere; quæ fides exteriore panis manducatione significata, ex Christi meritis eam vim obtinet, ut hominis animam, non secus, ac panis corporis vitam, roboret, ac sustentet.

Partitio. *Verum, si rem paullo curatius dispiciamus, intelligent profecto hic Apostolum principio tractare quidem de Augusto Verbi Incarnati mysterio; at inde post paullum ad Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum transgredi, in quo, post anni spatium instituendo, carnem suam non spirituali tantum modo per fidem, ut boni male sentiunt Calviniani; sed vere, ac re ipsa, re, simul & fide, promittit manducandam. Hæc enim omnia factæ hujus promissionis probant adjuncta: hoc Evangelista, hoc Christus, hoc Capharnaitæ. Evangelista: hanc promissionem describens; quod primum. Christus: promissi hujus fidem faciens; quod alterum. Capharnaitæ: hac promissione haud leviter offensi; quod tertium erit dictionis caput.*

Invocatio. *Adsis dicenti Christe! quem, Divino hoc in pane, secundum factam à te promissionem, firma fide credo, ac cernuus adoro, ut mea in animis Auditorum valeat Oratio.*

PARS

PARS I.

PROBAT EVANGELISTA HANC PROMISSIONEM DESCRIBENS.

Prima divisionis pars tractatur syllogismo tripartito, eoque conditionali, subdivisionem continente: incredibile est, ut Joannes Evangelista, nullum Eucharistiæ Sacramenti, tam grandis mysterii, & Divini de illa sumenda præcepti, ab aliis Evangelistis prætermissi, suo in Evangelio exstare voluisset monumentum; sed hoc evenisset, si Joannes, sexto capite promissionem describens, solum ageret de Incarnati Verbi mysterio, non item de Eucharistiæ Sacramenti promissione. Ergo &c. Subdivisio tractatur post assumptionem.

Major. *Evangelista, hanc promissionem describens, est Joannes Apostolus: discipulus ille (ut ipsemet de se testimonium perhibe) quem diligebat JESUS, qui & recubuit in Cœna super pectus eius. Quis credat tam amatum Magistro discipulum, ac solertem admodum in adnotandis Christi rebus, ac fidei nostræ capitibus, Scriptorem Evangelicum, nullam hujus Sacramenti, tam grandis mysterii, ac principis fidei dogmatis, in cujus institutione super Domini pectus meruit recubuisse, nullam, inquam, suo in Evangelio facere voluisse mentionem? Nec Divini de illa à populo sumenda præcepti, ab aliis Scriptoribus Evangelicis prætermissi, ullum Sacris in Evangeliis extare voluisse monumentum?* Minor, sive

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

assumptio. *Hoc porro futurum esse oportebat, si Joannes solum Verbi Incarnati mysterium, ejusve fidem, non item Eucharistiæ Sacramentum memorato sermone, ac promissione sumpsisset pertractandum.*

I. Pars subdivisionis: Joannes Eucharistiæ Sacramenti, tam grandis mysterii, saltem à Christo promissi, facere voluit mentionem. *Joannes cæteris Scriptoribus posterior erat, suum consulto ea de causa scripsit Evangelium, ut res, & mysteria, ab aliis prætermissa, suppleret. Quod vel inde advertite: alii Evangeliorum Scriptores Christi Divinitatem strictim, ac breviter perstringunt; iste copiosius, & expressius voluit comprobare. Alii nullam sermonis cum Nicodemo, vel Samaritana, habiti memoriam fecerunt; iste diligentius descriptum diffusius pertractat. Alii pedum in Cœna lotionem, Thomæ incredulitatem, taciti prætereunt; iste calamo fusiore ad nostram transmisit notitiam. Jam tametsi reliqui tres Evangelistæ hujus Sacramenti institutionis meminerint; haud tamen promissionis. Quid Joannes? Institutionem, jam ab aliis descriptam, ne verbo memorat; at promissionem, à cæteris silentio pressam, longius prosequitur. Qua de causa? ut hoc grande mysterium, quod subinde institutum est, jam antea fuisse promissum, Evangelii sui testimonio comprobaret. Institutum porro in ultima Cœna quid est? quam Altaris Sacramentum? Quid aliud? nisi Altaris Sacramentum, sexto pariter capite, fuit promissum, & descriptum?*

II.

II. Pars subdivisionis : Joannes Divini de sumenda à populo Eucharistia præcepti, voluit suo in Evangelio extare monumentum. *Accedit : si laudato toties Apostoli loco nullus de Sacramenti sumptione sermo instituitur, unde, oro, Divinum obeundæ à fidelibus Eucharistiæ præceptum, unde impositum, quod tam acriter frustra contenditis, sumendæ etiam à populo, sub utraque specie, Cœnæ mandatum, unde mira Sacramenti istius, quam Joannes fuse complectitur, ad præstandos tam miros effectus, virtus, & efficacia poterunt comprobari? Reliqui Evangelistæ, hoc Sacramentum pertractantes, nihil commemorant de fructibus Eucharistiæ, nihil de præcepto, turbam, & populum ad Cœnæ sumptionem obstringente. Nam Christus, cum de Cœnæ institutione apud cæteros loquitur Evangelistas, præcipit quidem manducationem : accipite, comedite, bibite ex eo omnes, hoc facite in meam commemorationem ; at quis non videt : hoc præceptum ad solos, qui tum aderant, discipulos, & eorum successores, quorum personam referebant, nimirum Sacerdotes, attinuisse? Ad eos enim attinet, quibus dictum est : ut manducarent, ut biberent, quive postea biberunt, & manducarunt. Nunquid autem solis hoc dictum est Apostolis? nunquid soli Cœnæ adsedere discipuli? qui de pane manducarunt, ac de calice biberunt ; non item plebs, & turba? Incassum agis, quisquis ex Cœnæ institutione, à tribus Evangelistis descripta, generale quoddam, toti datum Ecclesiæ, præceptum eruere con-*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

contendis. *Joanni Apostolo, & Evangelistæ asservata est hæc gloria, qui memorato Evangelii sui loco refert Christum ad complura hominum millia, in deserto pasta, sermonem habuisse; ac tum sumendæ Eucharistiæ non promissionem modo fecisse, sed præterea præceptum omnibus impositum promulgasse* (a). Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Complexio I. partis: Ergo probat Evangelista hanc promissionem describens. *Immortales profecto Divinissimo Spiritui habendæ sunt grates, qui eam Joanni Apostolo mentem inspiravit, ut memorato lectionis Evangelicæ testimonio tale tantumque Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti, à Christo promissi, prodiderit monumentum.*

PARS II.

PROBAT CHRISTUS HUJUS PROMISSI FIDEM FACIENS.

Altera divisionis pars probatur enthymemate subdivisionem complectente: Christus promissionem faciens in memorato Joannis sermone verbum futuri temporis usurpat; panem ab se dandum mannæ comparat; carnem suam vere cibum affirmat. Ergo Christus promissionem faciens probat in allato Joannem loco agere de vera, ac re ipsa tali sui corporis manducatione. Subdivisio pertractatur post Antecedens.

Ante-

a) *Joan. 6. ℣. 54.*

CAPUT III. ARTICI 1. §. 11.

Antecedens. *Sed hæc veritas luculentius adhuc eluceſcit ex Chriſti verbis, promiſſionem facientis. Quid agit Diviniſſimus Servator in ſermone ad Capharnaitas inſtituto? Verbum futuri temporis uſurpat* (a): Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Quid poſtea? Panem hunc ab ſe dandum mannæ comparat; imo multo iſta ſuperiorem facit* (b): Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur. *Demum: carnem ſuam, panis nomine compellatam, vere cibum affirmat.* Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus (c).

I. Pars ſubdiviſionis: Verbum futuri temporis uſurpat. *Si Sapientiſſimus magiſter de auguſto ſolum Incarnationis myſterio, à nobis fidei ore manducando, id eſt: credendo, ſermonem ad Capharnaitas habuiſſet, quid opus erat verbum futuri temporis uſurpaſſe:* Panis, quem ego dabo, caro mea eſt? *Dixiſſet potius, imo verius: panis, quem ego* dedi, *aut* do, *caro mea eſt. Nunquid Chriſtus jam tum panis vivus erat, qui de Cœlo deſcendit* (d): Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi? *Nunquid panis iſte jam caro fuit* (e): Et verbum caro factum eſt? *Sive, ut apertius loquar: jam tunc auguſtum Incarnationis myſterium peractum fuit. Si fuit? Nec ſermone ſuo aliud, quam hoc intel-*

a) *Joan. 6. ℣. 52.* b) *Joan. 6. ℣. 49. & 50.*
c) *Joa. 6. ℣. 56.* d) *Joa. 6. ℣. 41.* e) *Joa. 1. ℣. 14.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

intellexit : Consultius enimvero dicturus erat : panis quem ego dedi, *vel* do, *caro mea est : ad eum ferme, ut ante dixerat, modum : Ego sum panis vivus, qui de Cælo* descendi; *non vero* descendam. *Si de mystica, fide solum, non vero* Sacramentali, *fide simul, & ore peragenda, manducatione locutus fuisset : cum veteres quoque Patres, non aliter, quam fide in Christum, salutem consequi potuerint, hi perinde Christi carnem, sive DEI filium carne vestiendum, spirituali modo, fide nimirum, manducavere :* Nolo enim vos (*ait* (a) *Paulus*) ignorare fratres: quoniam Patres nostri * * * omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus. *Quid ergo novi, & insoliti promisisset Christus Capharnaitis, dum corpus suum panis instar in escam dandum recepit ? Certum igitur compertumque est : vocem* dabo *amplius quiddam significare, quam hactenus, & tota veteri lege factum fuerit. Significare enimvero promissionem alterius cujuspiam manducationis, necdum hactenus usurpatæ : significare promissionem sacramentalis sumptionis, propediem in ultima Cœna instituendæ, cujus figuram, signum, veteris testamenti Patres noverant quidem; at ejus rem, & usum penitus ignorabant.*

II. Pars subdivisionis : Mannæ comparat. *In cujus cognitionem, pretium, & amorem, ut*

a) *1. ad Cor. 10. ℣. 1. 3. 4.*

ut Christus populi animos adduceret, panem ab se dandum mannæ comparat, imo illius sumptionem multo hujus sumptione præcellentiorem facit: Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt; hic est panis de Cœlo descendens, ut siquis ex ipso manducaverit, non moriatur. *Jam si Christus, panis de Cœlo delapsus, mannæ pariter, de Cœlo delapsæ, comparatur; quid superat? quam illud, ut quemadmodum mannæ manducationem ore peractam fuisse creditis; ita Christi manducationem ore pariter peragendam intelligatis. At ubi? In Altaris certe Sacramento, propediem instituendo, ubi panem, quem daturum se recepit, carnem suam esse dicit, & postea in institutione, eadem verborum forma locutus, re ipsa dedit*: accipite, & comedite, hoc est Corpus meum. *Si vero superior est? qua re, obsecro, hic panis de Cœlo descendens, ejusve manducatio præstabilior erit manna, ac ejus manducatione? Nunquid etiam manna, ut typus, ut figura, Christum mystice fuit complexum? Nunquid etiam Israelitæ manna edentes, una Christum mystice, id est: per fidem, in eo manducavere? Si manducaverunt? quid discriminis, quid præcellentiæ, unum inter, & alterum, constituetis? Nihil enimvero, nisi ut Christum non mystice solum; quemadmodum olim in manna, sed re ipsa contineri; nec ejus manducationem mystice tantum, ut de manna dixeram, sed re ipsa, fide simul, & ore peragendam promitti affirmetis.*

III.

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

III. Pars subdivisionis: carnem suam vere cibum esse affirmat. *Atque istud est: cur Christus corpus suum, non utcunque cibum, sed* vere *cibum compellarit. Judæi Capharnaitæ audientes, à Christo panem, quem de Cœlo descendisse dixerat, suam carnem, post paullo in cibum dandam, nominari; non jam, ut prius, murmurare; sed prorsus litigare cœperunt ad invicem: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Quid Christus? an verba sua ad exortam inde contentionem revocavit? Absit! Quid ergo? ut omnem dubio locum adimat, asseveranter ait: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quasi diceret: Viri Capharnaitæ! frustra verba mea, quibus dandum à me panem carnem fore dixi, in dubium revocatis: frustra de modo, quo dari posset, litigatis; credite dicenti: nam caro mea, non quomodocunque, sed* vere *est cibus, & sanguis meus, non quomodocunque, sed* vere *est potus; non secus, ac ego sim* vere, *qui de Cœlo descendi, DEUS. Advertite! quid dicat? non ait verus; sed vere est cibus. Eccur istud? Ergo vere, & verus inter se differunt? Quo discrimine? Dicam; sed mentem attentius huc reflectite. Divinissimus Magister Christus non uno Evangelii loco se vitem, & lucem compellat, nunquam tamen vere vitem, nunquam vere lucem; at solummodo veram vitem, veram lucem affirmat. Contra discipuli, ab Emaus in Jerusalem regressi, de Christo, ad vitam revocato, reliquis nuncium allaturi, non quomodocunque, sed* vere *à mortuis eum surrexisse annunciarunt. Similiter Centurio*

turio cum sociis custodibus viso terræ motu, & his, quæ fiebant, miraculis mente compunctus, exclamavit: vere filius DEI erat iste. Cur addit vere? *nunquid poterat simpliciter dixisse: filius DEI erat iste? Poterat; addere tamen vocem* vere *debebat: Centurio enim antea Christum solummodo fama, & auditione DEUM esse acceperat; nunquam autem* vere, *id est: re ipsa, in substantia, DEUM esse credebat. At viso telluris motu, & miraculis, non aliunde, quam à vero, & æterno DEO provenire valentibus, corde pariter commotus,* vere, *id est: re ipsa, natura, & substantia, DEI filium fuisse agnovit, ac idcirco exclamavit:* vere filius DEI erat iste. *Non abssimiliter discipuli: licet persæpe Christum audierint à mortuis surrexisse; haud tamen mulieribus, resurrectionem annunciantibus, credere volebant; arbitrati: quod Spiritum vidissent. Ut omnem animo dubitationem eximant, & Christum vere, id est: re ipsa, sua in substantia surrexisse cæteris persuadeant, consulto addiderunt:* Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. *En discrimen! quamobrem Christus semet veram, non item vere vitem, affirmarit: neque enim erat vere, id est: natura, substantia, proprietate vitis; sed tantum figura, similitudine, veram veræ vitis imaginem, ac similitudinem, habebat, ut explicat Sanctissimus Hypponensium Præsul Augustinus:* Quid ergo est [ait (a) ille] ego sum vitis vera? nunquid ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista

Q simi-

a) *Tractat. 80. in Joan.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

similitudo translata est ? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem ; quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. *Cernite jam* Adversarii, *quam belle, quam sapienter, quam provide litigantibus dixerit Capharnaitis Christus : carnem suam vere ; non item verum esse cibum. Erat enim Christi caro promissa in cibum, non tantum mysticum, figura, & similitudine talem ; sed re ipsa, sua in substantia, natura, proprietate, fide simul, & ore manducandum. Ut igitur omnem dubitationis, ac litigii fomitem tollat, consulto tam asseveranter dixit : Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.*

Complexio II. partis : Ergo Christus, promissionem faciens, probat allato Evangelii loco Joannem agere de vera, ac re ipsa tali, corporis sui manducatione. *Quid ad hæc Viri Calviniani ? Creditisne hæc ? Vel adhuc de rei veritate dubitatis ? Si ita ? Ite, & cum litigantibus Capharnaitis de illo etiam, quod Christus se panem dixerit de Cœlo descendentem, litigate. Revocate in dubium ejus etiam Divinitatem, ac resurrectionem. Dicite cum Socinianis : Christum vere quidem esse DEUM ; sed tantum veritate similitudinis, & figuræ ; non autem substantiæ, & naturæ. Vere à mortuis surrexisse ; at solummodo veritate phantasmatis, non item proprietatis. Videte : quorsum vester vos ducat error ?*

error! Si porro creditis? Salva res est! Ecce ipsius Christi promissionem facientis, testimonio comprobatum habemus: sexto Joannis capite non de Augusto solum Incarnati Verbi mysterio agi; sed admirandum etiam Eucharistiæ Sacramentum pertractari, ubi carnem suam vere, ac re ipsa promisit manducandam. Hoc comprobat Christus huius promissi fidem faciens, sive ejus de futuro loquentis modum spectemus, sive factam panis istius cum manna comparationem indagemus, sive carnem suam vere cibum gravissime affirmantis asseverationem consideremus. Quid solidius? quid his luculentius esse potest?

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

PARS III.

PROBANT CAPHARNAITÆ HAC PROMISSIONE OFFENSI.

Tertia pars divisionis probatur syllogismo tripartito subdivisionem complectente: Capharnaitæ hac Christi promissione offensi murmurarunt, litigarunt, à Christo discesserunt; at singula hæc eorum facta probant Christum carnem suam vere, ac re ipsa manducandam promisisse. Ergo Christus sexto Joannis capite agit de admirando Eucharistiæ Sacramento, ac veram, & realem carnis suæ promittit manducationem. Singula subdivisionis membra seorsim tractantur post assumptionem.

Major, sive propositio. *At tametsi ad comprobandam rei veritatem nullum Christus præbuisset argumentum, ipsi certe Judæi Caphar-*

CAPUT III. ARTIC. I. §. III.

pharnaitæ, hostes, & adversarii arma sufficiunt opportunissima ad rem penitus conficiendam. Vejani Capharnaitæ! Hac Christi promissione quanto gaudio, ac lætitia affici debuissent; ii vero, dictu difficile, quam gravem inde cœperint offensionem. Nam primo murmurarunt, postea litigarunt, demum à Christo prorsus descivérunt. Murmurarunt: quod se panem de cœlo dixerit descendentem: Murmurabant ergo Judæi [*inquit* (a) *Joannes*] de illo: quia dixisset: ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi: & dicebant: nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem: quomodo ergo dicit hic: quia de Cœlo descendi? *Litigárunt: cum panem hunc, ab se dandum, non solum de Cœlo descendisse, sed præterea carnem suam esse affirmasset:* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: litigabant ergo Judæi ad invicem: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? *Demum post longius litigium, dum carnem suam vere cibum esse affirmate asseveraret, multi ea re offensi à Christo discessérunt.* Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus ;;; Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant: *inquit* (b) *Joannes.* Minor, sive assumptio. *Perpendite nunc, si libet, Adversarii, & singula hæc Capharnaitarum seu murmura, seu litigia, sive discessionem in trutinam revocate. Profecto vos arrepta quasi manu*

a) *Joan. 6. ℣. 41.* b) *Joan. 6. ℣. 56.*

manu duci sentietis ad promissionem de vera, ac reipsa tali, carnis Christi manducatione, ex hoc ipso Judæorum murmure, litigio, discessione eruendam, & intelligendam.

CAPUT III. ARTIC. 1. §. 11.

I. Pars subdivisionis: probat murmur Capharnaitarum. *Capharnaitæ Christum purum esse hominem, de patre Joseph, & Matre Maria genitum, arbitrabantur. Quapropter cum se panem Cœlo divinitus delapsum diceret, ea re graviter offensi murmurarunt. Credite: nunquam Capharnaitæ hæc in Christum murmura jacere attentassent; nisi hoc sermone: ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi, humana natura amplius quiddam sibi, Divinam nimirum, ac Cœlestem tribuisse, ac, ut ipsi falso existimabant, arrogasse intellexissent; secus vesanè, ac stulte scripsisset Joannes: Christo Capharnaitas suo murmure obstrepuisse, si nec Christus quidpiam ejusmodi sibi vendicasset, nec Capharnaitæ ita rem arbitrati fuissent. Quare vel hoc Judæorum murmur magnopere probat: Christum hoc sermone non de sola sua humanitate; sed de humanitate Divinitati conjuncta disseruisse. At quorsum istud? quid vinculi? quid nexus, habet murmur in Christi divinitatem jactatum, ad probandum Eucharistiæ Sacramentum? Illud certe, ut litigium ad aliud prorsus argumenti genus, quam sit* Incarnatio, *explicandum traducatis. Ac idcirco Joannem, loco memorato, à versu saltem quinquagesimo altero, non jam* Incarnationem; *sed Eucharistiæ mysterii promissionem pertractare dicatis. Conferte invicem loca, si libet, & rem confestim perspicietis. Ibi*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

murmurabant Judæi de illo [id est de Christo] quod dixisset : ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi ; isthic litigabant ad invicem , dicentes : quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? Ibi murmuris argumentum erat Christi de cœlo descendentis Divinitas ; & Incarnatio ; isthic promissa carnis Christi vera manducatio. Ibi de re facta , isthic de re futura fuerat disceptatum. Et cum neutrius mysterium mente satis capere possent ; de utriusque modo , qui fieri posset , invicem differuerunt , ibi murmurando ; isthic litigando. An vero murmurare perinde est , ac litigare ? an de cœlo descendere idem est , ac carnem manducare ? Mihi certe litigium amplius quiddam , ac murmur , significare videtur : & carnem manducandam dare , toto prorsus cœlo diversum , quam de cœlo descendere. Quid consequitur ? quam Capharnaitas , à murmure ad litigium progressos , ad aliud pariter , cœlo , terra differens , & quidem amplius argumentum , Eucharistiæ nimirum Sacramenti promissionem , transisse. Quis iam non videt ex hoc murmure , ac litigio , inter se comparatis , Christum principio quidem de augusto Verbi Incarnati *mysterio sermonem instituisse ; at inde ad Divinissimum hujus cœnæ Sacramentum transtulisse ; ubi Christus carnem suam non* spirituali *tantum ratione ; sed* vere , *id est : re ipsa , ut sæpe dixeram , promisit manducandam.*

II. Pars subdivisionis : probat litigium Capharnaitarum. *Quorsum enim Capharnaitæ tam acriter inter se litigassent de hoc manducandi modo , nisi Christus re ipsa ejusmodi manducatio-*

tionem promisisset? Certe, si mystica tantum, & spiritualis manducatio intellecta fuisset; quid hæc admirationis, quid litigii in animis Judæorum parere poterat? præsertim, cum jam ante in manna, ut in signo, ut in typo, Christus mystice, per idem, ab Israëlitis, ut jam dixeram, fuerit manducatus. Quemadmodum igitur ex Judæorum murmure belle arguitis: Christum non de tropica, & figurata [quam Sociniani admittunt] sed de vera, ac æterna ejusdem cum Patre substantiæ Divinitate locutum fuisse; ita pariter ex disceptatione de modo manducandi à Judæis facta, arguatis oportet: Christum non de mystico solum, ac tropico, sed de vero, fide, simul & ore peragendo, manducandi modo promissionem fecisse.

III. Pars subdivisionis: probat discessio Capharnaitarum. *Sed hæc Judæorum infelicitas erat: ignorabant hi, vel certe capere nolebant, duplicem* realis [*ut ajunt*] *manducationis dari posse modum:* carnalem *alium, alium* Sacramentalem. Carnalis (*qui etiam* physicæ, & naturalis *manducationis nomen habet*] *est: cum, more hominibus usitato, coctis, vel assis carnibus vescimur ad corporis nutrimentum.* Sacramentalis *porro est* [*quem Divinum etiam dicimus, utpote à Christo DEO divinitus institutum*] *dum Christi carnem re ipsa quidem ore sumimus; at in Sacramento, panis speciebus velatam, ac latentem ad animæ cibum, & alimentum. Quæ, ut sit proficua, & salutaris, fide simul ardente, id est: charitati conjuncta, suscipiatur. Unde hæc* Sacramentalis *manducatio utrumque*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

que complectitur : ſpiritualem , ſimul & realem : ſpiritualem fide ; realem ore , haud tamen craſſo , & naturali , ſed divino modo peragendam. Atque iſtud eſt : cur Capharnaitæ à Chriſto fecerint diſceſſionem : cum Sacramentalem manducandi rationem capere non potuerint , vel noluerint ; Chriſti promittentis verba ſenſu naturali , & craſſo fuere interpretati. Qui cum durus admodum , ac difficilis videretur : Durus eſt hic ſermo [inquiunt] & quis poteſt eum audire ? complures offenſi à Chriſto diſceſſerunt : Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retro , & jam non cum illo ambulabant. Hic jam ſiſtite parumper Adverſarii , & rem , non modica me admiratione percellentem , diſcutite. Si Chriſtus myſticam ſolummodo , non vero realem , ſive illa ſit naturalis , ſive ſacramentalis , manducandi rationem intellexiſſet : cur cupidiſſimus cæteroquin ſalutis hominum Servator , nullius unquam ſcandali author ; imo ſeveriſſimus , ne à quoquam præbeatur , aut ſi præbitum eſt , confeſtim ſufferatur , legislator , cur , inquam , Divinſſimus hic Magiſter , ad tollendum iſthoc ſcandalum , & prohibendam diſcipulorum exortam inde diſceſſionem , hujus myſticæ ſumptionis modum noluerit explicatum ? Utique facile potuiſſet ; imo hoc , aut ſimili , modo dicere debuiſſet : chari Diſcipuli ! nolite , obſecro , hoc offendi ſermone , carnem quidem meam ſumetis , haud tamen reali , ſed myſtica ſolum ratione manducandam. Quæ ſi audiſſent , mox totum Capharnaum conticuiſſet , nec ullam ea propter diſcedendi anſam habere

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

bere potuisset. *At quoniam nec Christus ita rem explicuit; imo carnem asseveranter, iis etiam litigantibus, vere cibum dixit, unde offensi postea Discipuli desciverunt, liquet Christum non de sola mystica, verum de* reali, *haud tamen de crassa, &* naturali, *sed de* Sacramentali *manducatione disseruisse. Et hoc est, quod Christum legimus addidisse*: verba, quæ ego locutus sum, spiritus, & vita sunt, *id est: non* carnali, *sed* spirituali [*seu quod idem est*, sacramentali: *nam Sacramenta non sunt carnis, sed Spiritus mysteria*] *sensu intellecta usurpate*: *Caro mea hoc* naturali *modo sumpta neutiquam prodest ad vitam; proderit tamen modo sumpta* sacramentali, *sive* spirituali: Spiritus enim est, qui vivificat. *Atque ita Christi verba explicari oportere firmat pulcherrimum, in alio licet argumenti genere, Nicodemi exemplum. Hic tametsi Vir fuerit probe doctus, attamen* regenerationem, *tertio Joannis capite descriptam, crasso quodam, &* naturali *sensu, non secus, ac Capharnaitæ manducationem, accipiebat. Existimabat hanc fieri debere novo quodam in Matris uterum regressu; quapropter, ut Christus crassam ex Nicodemi animo eximeret opinionem, explicat*: regenerationem *hanc* spirituali *quadam, sed unà* sacramentali *ratione, virtute baptismatis, per aquam perfici oportere*: Amen, Amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei (a). *Persimili ratione egit etiam cum Capharnaitis.*

a) *Joan. 3. ℣. 5.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II. *Admonet eos, ne ita crudiuſcule ſentirent: quaſi Chriſti carnem in fruſta conciſam, ac lebete coctam, aut veru aſſam, haberent manducandam. Ac ſi diceret: Abſit hoc à vobis Capharnaitæ! manducabitis equidem carnem meam vere: nam caro mea vere eſt cibus; haud tamen modo, quem fingitis carneo, ſed* ſacramentali, *id eſt: ſpirituali, ſimul & reali, naturæ vires longius excedente, quem vos aſſequi neutiquam poteſtis; credere tamen debetis: nam verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt, id eſt: hoc ſpirituali ſenſu, & modo ſunt intelligenda.*

EPILOGUS.

Ergo Chriſtus carnem ſuam vere dat manducandam: quoniam promiſit, cum enumeratione, & motu, fidei affectum excitante. *Hæc ſi ita? Quid moramur Auditores? Venite, procidamus ante DEUM! adoremus Dominum! quem in pane Euchariſtico, non ſolum ut in ſigno, ut in figura, ſed vere, ac reipſa, ſua in ſubſtantia, præſentem eſſe toto Orationis decurſu comprobatum accepiſtis. Renuitis? Eccur obſecro? Forſan adhuc de rei veritate ambigitis? At quid eſſe poteſt, quapropter ambigere ex æquo poſſitis? En Chriſtus, æternus DEUS, Sapientia infinita, veritas falli, & fallere neſcia, in ſuo ad Capharnaitas ſermone, luculente hoc promiſit.*

Enumeratio argumentorum. *Hoc autem promiſiſſe, quis ſana mente præditus inficiari poteſt? quando tam apertum, tam ſolidum factæ promiſſionis & Joannes, & Chriſtus, & ipſi Capharnaitæ*

pharnaitæ præbent Argumentum. Joannes: qui secus nullam tam grandis mysterii suo in Evangelio memoriam relicturus erat: nec ullum Divini de sumenda à populo Eucharistia præcepti sacra Evangelia, unde probari posset, monumentum continerent: quod porro quis credat? quis persuadeat? Præbet Christus: qui promissionem faciens futuri temporis verbum dabo *usurpat, carnem suam vere cibum asseverat, eumque mannæ, pani divinitus mirifico, & portentoso, comparat; imo illa superiorem facit. Qui autem recte comparari; imo illa nobilior, dignior, præcellentior haberi posset, si nihil miraculi, nihil prodigii in se contineret? Non continebit vero, si purus putusque panis, non item Christi caro foret. Præbent Capharnaitæ: qui licet homines ingenio fuerint hebetiores, satis tamen superque intellexere, ut ex ipso eorum murmure; litigio, discessione patet, amplius illis à Christo promissum fuisse, quam ipsi hactenus, Patresque sui manducavere: promissam fuisse Carnem in cibum dandam, de cujus illi substantia, & veritate haud dubitabant, sed solum de modo, quo id fieri valeat, vel deceat, litigarunt. Cum vero comprehendere nequiverint, vel certe noluerint, eapropter à Christo desciverunt. Non tamen sine grandi sua culpa: poterant enim huic scandalo, & offensioni facile occurrisse: si Christo asseveranti:* caro mea vere est cibus, *& tentationi animum ad scandalum, & discessum perurgenti, cum Petro Principe Apostolo, interrogato:* hoc vos scandalizat? Nunquid & vos vultis abire? *captivato in obsequium fidei intel-*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

intellectu repoſuiſſent (a) Domine! ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus: quia tu es Chriſtus, Filius DEI. *Quod perinde eſt, ac ſi diceret: durus quidem auditu, ac difficilis creditu, eſt ſermo tuus, O Chriſte; at quoniam Te, ex tot prodigiis, & miraculo recens etiam patrato, dum hominum, quatuor fere millium, turbam quinque panibus hordeacis, & aſſis duobus piſcibus, ita paviſti, ut duodecim adhuc cophini ſuperfuerint, cognovimus eſſe Chriſtum, DEI filium, qui verba vitæ æternæ habes, id eſt, nec falli, nec fallere potes; idcirco firma fide credimus futurum, quod promiſiſti; licet formam, modum, qui fieri poſſit, ignoremus. Et hac armati cogitatione poterant, ut dixi, omni penitus ſcandalo occurriſſe.*

Motus affectum fidei excitans. *Et quid vos adverſarii? Conceptæ offenſioni veſtræ non occurretis. quam firmis adeo argumentis depulſam accepiſtis? Adhucne Chriſti tam aperte loquentis verba in præpoſterum Calvini ſenſum detorquere audebitis? Adhucne Divinam ejus promiſſionem tropica interpretatione depravabitis? Non ſufficit, ne id porro faciatis, Chriſtus dixit, qui poteſt, & vult carnem ſuam amplius, quam myſtice, in cibum dare? Quod poſſit: quis inficiabitur, qui Chriſtum novit eſſe DEUM, & novit, quid ſit eſſe DEUM? Quod velit: probat ejus promiſſio luculenta aſſeveratione: caro mea vere eſt cibus, comprobata, neque ullis hactenus argumentis à vo-*

a) *Joan. 6. v. 69.*

vobis infirmata. At scio, O Christe, scio neminem ad Te venire posse, nisi Pater traxerit eum. Quare Viri Catholici, venite adoremus, & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino, ut præpotens, ac misericors Pater cæcas horum infelicium mentes, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, Divinissimo Gratiæ suæ lumine illustrare, ac trahere dignetur, ut depulsis errorum tenebris JESUM Christum, hic adesse credant, ac confiteantur. Credo, O Domine! credo, Te vere præsentem esse in Eucharistiæ Sacramento. Id enim promisisti, & re ipsa expleviſti. Adjuva incredulitatem meam! aliud quidem suggerit sensus, aliud humana probare nititur ratio, aliud improba hominum suadet opinandi libido; at sentiant hi, quod volent, tua mihi præ omni sensu, ac hominum ratione, potior est loquentis authoritas; huic tenacissime adhærebo, à qua nec me gladii, nec cruces, nec rota, nec tormenta, poterunt unquam dimovere. Tu dixisti: hoc satis est, ut vel ipso sanguine subscribam: Caro tua vere est cibus, & sanguis tuus vere est potus. Amen.

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

ARTICULUS II.

DE ALTERO CONCIONIS POLEMICÆ MODO.

§. I.

Præcepta hujus modi.

ALter Concionis Polemicæ modus est impugnans, quo dogmatis Hæretici caput aliquod directe sumitur impugnandum. Dixi:

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

xi : *directe* : fieri enim potest, ut impugnando, simul indirecte, & quasi per transennam, dogma Catholicum adstruatur ; at quemadmodum Concionis *assertivæ* princeps finis est : doctrinæ Catholicæ veritatem asserere ; ita impugnantis princeps pariter officium est : doctrinæ Hæreticæ falsitatem demonstrare. De cujus primum inventione, post de dispositione, & elocutione agemus.

I. *De inventione modi hujus.* Themata modi hujus sunt ipsa doctrinæ adversæ capita, jam simplicius, jam ornatius proponenda. Verbi causa : Romanus Pontifex non est Antichristus : cultus imaginum non est idololatria. Sic de cæteris. Partitiones porro sumuntur ex argumentis, quibus doctrinæ Hæreticæ falsitas demonstratur. Hæc porro sicut in Concionibus *Assertivis* ; ita in his impugnantibus, plerumque depromuntur, vel ex locis Eloquentiæ Sacræ propriis, vel ex locis Eloquentiæ generalibus, vel denique ex specialibus.

II. *De inventione ex locis Eloquentiæ Sacræ propriis,* & quidem 1. *Conjunctim*, plures locos conjungendo. Verbi causa : cultum imaginum idololatriæ nomine afficere adversatur Scripturæ Divinæ, Patrum Doctrinæ, Historiæ Ecclesiasticæ. 2. Hominem libertate privari repugnat sanæ rationi, repugnat scripturæ sensui. Dein *seorsim* (quod elegantius est) ex singulis locis. Verbi causa : ex locis Scripturæ peculiaribus

bus: Sanctorum reliquias cultu venerari nulla est impietas: secus rem impiam miraculo approbâsset Deus; rem impiam collaudasset Christus; rem impiam fecissent primi Christiani. Deus: qui mortui cadaver, ossa Elisæi contingentis, resuscitavit. Christus: qui Hemorrhoissæ, ejus fimbriam tangentis, fidem collaudavit. Primi Christiani: qui Pauli sudaria, & semicinctia languidis imposuere, ut curarentur. Hoc eodem pro-mi modo possunt ex Patribus, aut Conciliis; idque retentis eorum verbis, vel tantum sensu. Potissimum autem sumuntur ex ratione Theologica: cum dogma Hæreticum suis principiis, vel alteri suo dogmati, aut cuipiam Christianæ veritati adversari demonstratur. Ita *Neumayr* (a): Substantiam panis in Eucharistia non remanere adversum Hæreticos Luthericolas demonstrat, ex eorum principiis: quoniam verba institutionis: hoc est corpus meum, nullo adversariorum sensu vera esse possunt: vel enim efficerent hunc: hic panis est corpus meum; vel in hoc pane est corpus meum. Si primum? verba institutionis forent impossibilia. Si alterum? essent præpostere prolata. Item: Si panis Eucharisticus est solum tropice, & figurate Christi corpus, tunc etiam Christus est tropice, & figurate Deus: nam quibus argumentis adstru-

a) *Concione 2. per Octavam Corporis Christi.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. I.

struitur tropica Christi præsentia in Eucharistia; consimilibus adstruitur etiam tropica solummodo Christi Divinitas; & quibus adstruitur vera, & æterna Christi Divinitas; consimilibus adstruitur vera, & re ipsa talis Christi præsentia (a).

III. *De inventione ex locis Eloquentiæ generalibus*: ut ab impossibili, falso, improbabili, incredibili, noxio, turpi, imprudenti, temerario &c. quibus in dogmate Hæretico impossibilitas, falsitas, incredibilitas, damnum, turpitudo, imprudentia, temeritas ostenditur; idque vel seorsim, vel conjunctim. *Seorsim*: cum ex uno loco plures, verbi causa: turpitudinis, causæ, & rationes adferunttur. Ita *Neumayr* (b): Lutheri juris Canonici corpus concremantis factum fœdum esse comprobat: 1. Ob suam fœdam causam. 2. Ob suum fœdum finem. 3. Ob suas fœdas sequelas. Dein *conjunctim* plures generales locos conjungendo. Idem *Neumayr* (c): 1. Unumquemque in sua religione cum spe salutis mori posse est opinio, quam temeritas excogitavit, quam inertia produxit, quam impietas enutrivit. 2. Rursum *Neumayr*

a) *Pertractatur hoc thema in opusculo, à nobis Ungarice edito, hoc titulo: Theophorica demonstratio de Domini Cœna, &c.*

b) *In Concione: An Doctor Lutherus jus Canonicum juste concremare potuerit?*

c) *In Concione: An unusquisque in ea, in qua natus est, religione mori ausit?*

mayr (a). Libertas in negotio religionis est imprudens, est temeraria, est damnosa. 3. Si Divina mandata sunt impossibilia, arguunt DEUM Legislatorem esse imprudentem: Judicem esse crudelem.

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

IV. *De inventione ex locis specialibus.* 1. *A definitione* è loco similium, vel à metaphoræ tropo petita: *Neumayr* (b): Indifferentissimus religionis est filia malignæ cæcitatis, est soror damnabilis inertiæ, est mater impiæ adulationis. Item: prædestinatio Calvini est porta ad omne scelus; est via ad desperationem. 2. *A distributione*, maxime, si dogma Hæreticum, pluribus constans partibus, in suas partes distribuatur: Verbi causa: Christi corpus in Eucharistia est vere præsens; at non in solo ejus usu: est vere præsens; at non cum ipsa panis substantia. 3. *A proprietatibus*: Lutherana Ecclesia non est vera Christi Ecclesia: quia nec est una, nec sancta, nec Apostolica, nec Catholica. 4. *A repugnantibus*, qui locus hoc in modo est creberrimus, & Oratoribus usitatissimus. *Neumayr* (c): Si doctrina Lutheri est vera: Christus est Redemptor sine efficacia: est mediator, at non serio: est judex sine justitia. Protestantes

R mul-

a) *In Concione: An libertas sentiendi in rebus fidei sit ferenda?*

b) *Volumine primo, Concione septima: An perinde sit in religione quacunque esse, modo sit Christiana?*

c) *Volumine primo, Concione prima: An Lutheri dogmata Christo sint honorifica?*

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

multa credunt sine scriptura, præter scripturam, contra scripturam. 5. *Ab antecedentibus, comitantibus, & consequentibus: Neumayr* (a): Protestantum parvuli salvi esse nequeunt ante baptismum, per baptismum, post baptismum.

V. *De dispositione hujus modi.* Eadem pene hic servatu sunt necessaria, quæ de modo diximus *assertivo*. Exordium eleganter ducitur ab expositione assumptæ sacræ sententiæ, vel ab explicatione dogmatis, quod impugnatur, Hæretici; idque interdum in ipso statim ingressu, interdum in descensu, aliquando in propositione, vel introductione, aut denique in confirmationis initio, ut materiæ ratio admiserit, vel Oratori libuerit. Et quoniam hic Orator adversæ parti, velut Actor, causam dicit: primum firmamenta proponat impugnantia; dein per anteoccupationem confutet ea, quæ responderi, ac objici possunt; hæc autem confutatio aliquando impugnanti statim argumento subjungitur; sæpe vero in principio alterius subdivisæ partis (si res per subdivisionem tractetur) proponitur, una dans locum transitioni, ut videre est in paradigmate. Argumenta ita porro collocentur (ut si res siverit) firmiora principium, debiliora medium, firmissima finem occupent, ut auditori aculeus relinquatur.

Quo-

a) *In Concione: An parvuli protestantum salvi esse possint?*

Quomodo vero argumenta tractentur; vel unde petantur, Articulo sequente dicemus, cum de Concione confutante, ac propugnante agemus. CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

VI. *De elocutione hujus modi.* Præter ea, quæ de elocutione dixeram Articulo priore, illud cumprimis diligentissime observandum, ut ab omnibus convitiis, scommatibus, sarcasmis, quibus imprudentes persæpe Oratores sectariorum doctrinam, aut personas, vel Magistros, Duces, ac Hæresum authores acerbius, quam par sit, gravissima, Catholicorum etiam, offensione, perstringere solent, abstineatur. Expertus sum: svaviore tractandi ratione multo citius, & amplius sectariorum mentes persvaderi, *animos vero capi. Siquid* interdum duriuscule dicendum fuerit, emolliatur veniæ petitione, vel obtestatione, id non convitiandi, sed necessitatis, aut veritatis demonstrandæ causa usurpari. Unde in exordio, maxime in propositione, captet Orator benevolentiam, suum erga eos, ac salutem eorum, studium, amorem, misericordiam contestando: promittat se acturum humanissime, una tamen fortissime, clarissimis doctrinæ falsitatem, quam sectantur, argumentis commonstraturum. Sunt, qui ad invidiam Adversariorum declinandam, non ipsos Adversarios directe impugnant; sed si, verbi causa, de Domini Cœna dicendum sit, Capharnaitas, de hoc

CAPUT III. ARTIC. II. §. I.

argumento litigantes, impetunt; vel Nicodemum de baptismo instruunt; aut inimicum hominem, bono semini zizania superseminantem; vel denique Dæmonem, Christum tentantem, infectantur: aut exemplo ex Bibliis, vel ex historia Ecclesiastica, deprompto, in alterius persona adversarios hujus temporis tacite oppugnant. In complexionibus, maxime in epilogo, excitetur affectus odii, aut fugæ Hæretici erroris, vel etiam fidei in dogmate Catholico, quod compluribus modis fieri potest: 1. Exponendo: quanto in salutis discrimine versentur, quam graviter à sua opinione, ac Ministellis, deludantur. 2. Interdum commisereatur infelicissimæ eorum conditioni, cui nisi propediem nuncium miserint, & locum præbuerint veritati, futurum, ut aliquando sero eam agnoscant: nec excusari poterunt, cum erroris falsitatem apertissimis argumentis demonstratam, haud semel acceperint; de quo ipsus etiam aliquando Orator, coram Divino Judice, testimonium est perhibiturus. Obtestetur Numen pio ad DEUM Patrem, vel Christum affectu, ut mentem discussa caligine collustret, pro quo sæpe lachrymas, sæpe preces inter studendum, & orandum (si id reapse fecerit) se fudisse dicat. Catholicos etiam Auditores hortetur, ac roget, ut DEUM Optimum, Maximum paribus pro salute eorum precibus interpellent. Hæc autem selecta quapiam

Scri-

Scripturæ, aut Sancti Patris sententia per figuram repetitionis apte usurpata tractentur. His, aliisve similibus, affectibus, qui tanquam secundarii, ac minus (a) principales deserviant principali, odii nimirum, & fugæ, vel etiam Fidei affectui in opposita Catholica veritate eliciendo, haud parvus ab Oratore motus poterit in auditore obtineri. CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

§. II.

Paradigma hujus modi.

IN quo prius argumenti genere adversum Calvinicolas concionis afferentis idæam dedimus, in eodem Luthericolas impugnantis specimen proponimus: utrumque tironibus usui futurum, in hoc maxime Hungariæ regno, ubi creberrima hoc de proposito, & privatim disceptandi, & publice declamandi occasio semet offerre solet.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Matth. 26. ℣. 26.

Thema dictionis: *Christi Corpus in Eucharistia vere, ac re ipsa præsens adest.*

Partitio Thematis: 1. *At non in solo ejus usu.* 2. *Nec cum ipsa panis substantia.*

a) *Dixi:* minus principales. *Solent enim Oratores præter principalem, quem toti Orationi præstituunt, affectum, alios etiam secundos adhibere, ut iis princeps affectus adjuvetur, & urgeatur.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

EXORDIUM.

Ingressus à narratione historiæ Evangelicæ juxta Tomulum priorem (a). *Ne dati ab se promissi Christus fidem falleret, carnem suam, quam ante in cibum vere dandam promisit; uno post. & amplius anno, in ultima Cœna, re ipsa dedit. Adveniente azymorum die, quo ex veteri Judæorum instituto necesse fuit occidi pascha, interpellatur à Discipulis, ubi Sanctum, quod dixi, pascha vellet manducare? Quid Christus? Datæ memor fidei, duos confestim discipulos in civitatem ablegat: ite* [*inquit* (b) *Marco referente*] *in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum: & quocunque introierit, dicite Domino domus; quia Magister dicit: ubi est refectio mea? ubi pascha cum Discipulis manducem? Et ipse demonstrabit vobis cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis. Ut dictum; ita postea factum: abierunt, & venerunt in civitatem, & ecce invenerunt, ut prædixit eis, & paraverunt pascha. Interea facto vespere, cum cœnæ hora adveniisset, ipse etiam advenit JESUS, & cum duobus, ac decem Discipulis in paratam discubuit mensam. Quid tum? Editur, bibitur. Nihil porro?* Cœnantibus adhuc eis [*inquit* (c) *Matthæus*] *ideſt pascha vetus manducantibus, ut promissi fidem solveret, novum, ac divinius inchoat*: accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: acci-

a) *Tom. I. l. 2. Cap. 1. Art. 2. §. 2. Num. 2. pag. 412.* b) *Marci 14. ℣. 13.* c) *Mat. 26. ℣. 26.*

accipite, & comedite : hoc est corpus meum. *En, quod promisit, re ipsa fecit!*

Decensus. *Admiror hic jam vehementer : quid sit? quod Calvini sectatores, homines cæterum mente, ac ingenio perspicaces, tam clara, tam aperta Christi, Divinissimam cœnam instituentis, verba ad tam præposterum audeant sensum detorquere? quasi Christus carnem suam non vere, non re ipsa, non in sua substantia, sed tantum in signo, in figura, in typo dedisset manducandam. Ac idcirco Christi loquentis verba :* hoc est corpus meum, *figurato tantum, & tropico modo ajunt esse intelligenda : accipite, & comedite : hoc est figura corporis mei. Saniora essent hac in re vestra consilia Domini Luthericolæ : vos enim firma fide creditis : Christi corpus in pane Eucharistico non tantum ut in signo, ut in typo; sed re ipsa præsens contineri. In quo collaudandi quidem merito essetis, nisi optimam agri vestri sementem admixtis errorum zizaniis depravaretis. Aitis : Christum in altaris Sacramento vere adesse quidem; at in ipso tantum usu, nec sine panis substantia.*

Propositio cum partitione. *Utrumque hunc doctrinæ vestræ errorem luculentissimis Christi verbis repugnantem, magna illa sanctaque synodus* (a) *Tridentina pridem sacro perculit anathemate. Ut porro ejus falsitatem clarius perspiciatis, hodierno sermone sumpsi impugnandam. Dicam : Divinissimum Christi corpus in Eucharistia vere, ac re ipsa contineri; at non in solo*

a) *Sess. 23, Cap. 8. Can. 2. & 4.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ejus usu, quod primum. Vere, ac re ipsa contineri; at non cum ipsa panis substantia, quod alterum. Attentas velim aures præbete; tractabo rem, ea certe, qua par est, & me, ac vos decet, modestia, & comitate. Novi perbelle: amarum veritatis nucleum, ut palato gratior accidat, humanitatis dulcedine esse condiendum. Unde fel aranei, mel inde apes fugunt: feriunt hæ, dum aculeum figunt; haud tamen cruentant, ut quem ferierint, sensum ei infigant; non item sanguinem proliciant.

Invocatio. O *Magne DEUS! sine cujus præpotenti numine nihil firmum, nihil solidum, nihil fixum, & efficax esse potest, fac tuo benignus auxilio, ut hæc mea in animis Auditorum pondus suum habeat Oratio.*

PARS I.

CHRISTI CORPUS IN EUCHARISTIA VERE, AC RE IPSA PRÆSENS ADEST; AT NON IN SOLO EJUS USU.

Prima divisionis pars probatur syllogismo tripartito subdivisionem in assumptione complectente: Christus nequit falli in loquendo; at si Christi corpus, in Eucharistiæ usu solum vere, ac re ipsa præsens foret, Christus in loquendo falleretur, aut si non fallitur, nec in ipso usu vere, ac re ipsa præsens adest. Ergo Christi corpus vere, ac re ipsa præsens adest; at non in solo ejus usu.

Ma-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

Major. *Ita existimo: unumquemque Christi cultorem [si verus Christi cultor est] ea mente, ac religione præditum esse debere, ut vitam potius, & sanguinem velit profundere; quam Christum, Divinissimum Magistrum, vel minimi cujuspiam erroris, & falsitatis insimulare. Quemadmodum Christus DEUS est fidelissimus in promittendo, ut, quod promisit, eo, quo promisit, tempore, ac modo rite semper faciat; ita veracissimus semper est in loquendo, nec ulli obnoxius errori, ut, quidquid dixerit, pro eo, quo dixerit, tempore, ac modo, jam tum, cum dixit, verum esse oportuerit.* Minor, sive assumptio. *Quid ad hæc chari Adversarii? An Christi, cœnam instituentis, verba:* accipite, & comedite, hoc est corpus meum, *eo, quo prolata sunt, tempore, nimirum ante usum, & manducationem, vera fuisse creditis? Si non? bonum DEUM! Ergo Christus fallitur? Ergo Christus errori subjicitur? Quid agis, O Christe? hancne nomini tuo blasphemiam irrogari sinis? ubi, oro, tua morantur fulmina, quibus innoxia persæpe turrium cacumina feris? Mitte, mitte, obsecro, ea in capita, quæ te tanta audent injuria lacessere. Hæc tamen in vos haud mitti video* Adversarii: *scio enim vos mitius de Christo sentire: scio animum vestrum Christi honoris studiosissimum esse: scio verba institutionis, ab eo prolata, pro veris, compertisque habere. Si porro jam ante usum vera fuisse admittitis? qui, oro, dicere potestis: Christi carnem non ante, quam in ipso tantum usu, vere præsentem esse? Mihi certe, si doctrina ve-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

stra consistit, compertissimum esse videtur: Christum verba institutionis, hoc est corpus meum, *aut falso protulisse, aut si falso prolata non sunt, nec in ipso Eucharistiæ usu Christi corpus vere præsens esse. Vultis rei utriusque veritatem comprobari? faciam eò libentius, quo id facilius esse video.*

I. Pars subdivisionis: si Christus solum in Eucharistiæ usu præsens adest, fallitur in loquendo. *Ipsa profecto mens sana, & ratio dictat, sermonem, ut verus habeatur, eo, quo profertur, tempore, rebus prolatis ab unoquoque confirmari debere; nec aliter, quam res in se sit, enunciari oportere. Jam si ante Eucharistiæ usum, & factam ab Apostolis sumptionem, nondum (ut aitis) in pane corpus, nec in calice Christi sanguis erat; sed primum in usu futurus, quomodo, obsecro, de re nondum existente, de re primum futura, de re ante, quam ea sit, ex vero, ac proprie Christus dixisse poterat*: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: hic est calix sanguinis mei? *Fingite* Chari Adversarii: *Christum Servatorem, absumpto jam calice, ab uno discipulorum aliquo, verbi causa: à curioso rerum sciendarum Petro fuisse interrogatum: heus Magister! hic est calix sanguinis tui? hic est sanguis tuus? Quid? an propterea, quod vinum prius in ipso, ut vos dicitis, usu sanguis fuerit, & calix in eodem, quem dixi, usu ante sanguinis calix fuerit, an, inquam, proprie, vere de calice vacuo respondisse poterat: hic est calix sanguinis*

nis

nis mei, hic est sanguis meus? Aut, si ita respondit, an non merito admissi erroris argui potuisset? Quemadmodum igitur de absumpto vino, & vacuo calice, nunquam Christus proprie, ac vere dicere posset: hic est calix sanguinis mei, hic est sanguis meus *; tametsi ante, in usu, calix, & vinum Christi sanguinem complexum esset; at, si fari rite, ac proprie vellet, dicere deberet: hic fuit sanguis meus, hic fuit calix sanguinis mei. Ita enimvero frustra contenditis Chari adversarii: Christum de pane, aut vino, vel etiam de calice, nondum corpus, aut sanguinem complectentibus, sed primum postea in usu complexuris, vere, proprie affirmare potuisse: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, hic est calix sanguinis mei; sed dicendum ei erat: hoc erit corpus meum, hic erit sanguis meus, hic erit calix sanguinis mei. Amplius, sed pace vestra, dicam: si doctrina à vobis adstructa locum obtinet: quando, oro, hæc Christi verba:* hic est calix sanguinis mei, *vim efficiendi, non secus, ac verbum fiat, mundi principio prolatum, continentia, poterant expleri, ut calix è vini calice vere sanguinis calix evadat? An fortasse ante usum? at tum non sanguinis, sed vini solummodo calix erat? In usu? verum, cum non ipse calix, sed vinum tantummodo, & quidem jam è calice in os effusum, sumatur, ac usurpetur; nec vinum in calice, sed jam extra calicem, in ore positum, ac sumptum, Christi sanguis fiat; quomodo calix vere sanguinis calix esse potest? Fingite iterum* Adversarii: *panem in patella discipulis à Christo fuisse porrectum:*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ctum: accipite, & comedite: hæc est patella corporis mei. Si panis, è sententia vestra, non in patella, sed in ipsa primum manducatione, jam extra patellam, Christi caro fiat, nunquid patella non Christi corporis, sed puri solum putique panis patella erit? Si erit? quomodo Christus vere, ac proprie affirmasse poterat: hic est calix sanguinis mei? Dixisset potius, ac verius, hic est calix vini, quod postea in usu sanguis meus erit. Quid hic Adversarii? Hæretis? utique hæretis, & semper hærebitis, præsertim, cum scripturæ verbis, ad ultimos literæ apices interpretandis, cæterum religiose admodum vos adhærere dicatis. Videte, & manibus quodammodo jam palpate, in quantum præcipitium vestra vos adducat opinio; ut si eam tueri velitis, Christum, Divinissimum Magistrum, erroris, & falsitatis arguere debeatis. Hocne porro vera fides? Hocne verum dogma?

II. Pars subdivisionis: aut si Christus non fallitur, ejus corpus nec in ipso Eucharistiæ usu præsens adest. *Ac tametsi non videam; animo tamen præcipio, quid cogitetis? absit, aitis, tantum à nobis, & doctrina nostra scelus! Licet Christi corpus in solo Sacramenti usu contineri dicatur; haud tamen propterea institutionis verba falluntur. Quamvis enim ita loqui proprie Christus haud poterat; poterat tamen figurate; verbum, est, præsenti tempore prolatum, per figuram enallages pro futuro usurpare, phrasi sacris etiam literis creberrime usitata. Ac ne ab ipsis cœnæ institutæ verbis discedamus:*

damus: Quod Paulus futuro; hoc Lucas præsentis verbo temporis exprimit: Accepto [*inquit* (a) *Lucas*] pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc est corpus meum. *Quid Paulus?* Gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. *Quemadmodum igitur Christus apud Lucam de corpore suo, quod nondum datum; at primo dandum erat, vere dixisse poterat: quod pro vobis datur; ita enimvero de pane, quod nondum corpus; sed primum in usu futurum erat, vere usurpasse potuerat: hoc est corpus meum. Hoc porro si ita? quid jam inde falsitatis, quid erroris in Christum, verba institutionis proferentem, poterit derivari? Grandis profecto injuria est: hominem insontem blasphemiæ falso velle insimulare; hoc agitis* Boni Catholici: *cum pro vestra calumniandi libidine tantum scelus innoxio dogmati Lutherano irrogatis. An non hic vestra magis hæret aqua? Quid Adversarii? hæret? imo nihil melius, nihil accommodatius dicere poteratis, ne adhæreamus: hac enim responsione arma præbetis ad doctrinam vestram vestrisimet telis penitus conficiendam. Aggrediamur. Quod verbum præsens* datur *apud Lucam pro futuro* dabitur *per enallages figuram* [*ut aitis*] *intelligi, & explicari queat; esto, sit ita, haud moror: hujus enim luculentum Paulus, gentium Apostolus, in sua, quam ante memoratis, ad Corinthios epistola, futuro* tradetur *verbo usus, prodidit*

a) *Lucæ 22. v. 19.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

dit argumentum. At cujus vestigio, cujus testimonio nixi verbum est pro erit in ultima cœna usurpatum fuisse comprobabitis? Pauli dicetis exemplo? verum istud in alio est argumenti genere; ex alio autem aliud conjectare, ac inferre, in sacris præsertim literis, è vestra etiam sententia, in suo, quem verba præferunt, sensu ad apicem retinendis, haud semper integrum esse vos ipsimet perbelle nostis; nisi apertius quoddam in eodem genere extet monumentum. Quis porro Evangelicorum Scriptorum vel unus Christi, Divinissimam cœnam adornantis, verba futuri temporis modo expressit, quemadmodum tradetur expressit Paulus? Tum enimvero haberetis amplissimum ita sentiendi, & Divinam Christi vocem est pro erit interpretandi firmamentum, cui nos non modo repugnare; sed ne biscere quidem adversum auderemus. At quoniam una consensione, una voce, una sententia, omnes Evangelici Scriptores verbum est semper præsenti, nunquam futuro usurparint tempore, quis sana mente præditus adeo pervicax, ac contumax esse velit, ut in præposterum figuræ vestræ sensum audeat illud detorquere? Quid si, Adversarii, vocem datur apud Lucam, non futuri, sed re ipsa præsentis temporis sensu accipiendam comprobabimus? quid tum agetis? Nemo non novit: Sanctum Christi corpus non in cruce modo pro nobis fuisse datum; sed etiam in cœna; imo quotidie, bis etiam temporibus, in Eucharistica Servatoris mensa in animæ nostræ salutem, vitam, præsidium, nutrimentum, ac in cæteros gratia

tia

tiæ effectus, dari omnibus est compertum : quibus de finibus Sanctis quoque Apostolis, in ultima cœna, sacratam Christi carnem fuisse datam, quis ambigat? Ad hos ergo miros, quos Eucharistia habet, effectus significandos consulto Lucas verbum datur non futuri, sed præsentis temporis modo expressit : quasi diceret. accepto pane gratias egit, & fregit, & dixit : accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis, id est : pro vestra animæ salute, vita, præsidio, nutrimento cæterisque gratiæ effectibus, in vobis præstandis, à me datur, & non diu post in Cruce dabitur. Contra Paulus : quoniam Christi passionem, postea in Cruce consummandam, quam vox tr do apertius, quam do, significat, voluerit expressam, eapropter compositò non præsentis, sed futuri temporis modum voluit usurpatum : ac si diceret : gratias agens fregit, & dixit : accipite, & manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis nunc, in vestrum animæ cibum, alimentum datur, post paulum vero in passionem, morte consummandam, tradetur. Quid clarius? Cæterum si solita mentis vestræ pervicacia acrius urgere, ac contendere velitis, verbum est pro erit, datur pro dabitur, adhiberi oportere; ite, pace mea, urgete, ac contendite, non moror; sed noveritis Boni Adversarii, actum esse de dogmate vestro, actum de doctrina : jam ipsa se ipsam conficit : quoniam nec in ipso jam sacramenti usu vere, ac re ipsa Christus præsens adest; quod tamen adversum Calvini sectatores acerrime propugnatis. Si enim in memoratis Domini

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ver-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

verbis figuram agnoscitis, quid interest, ne tropum agnoscatis? si verbum est, *pro* erit, *hic adhibere audetis; quid probibet, ne* est, *pro* significat, *cum Calvino adhibeatis? Si Christi Servatoris verba: accipite, & comedite: hoc est corpus meum, ita explicare vultis: accipite, & comedite, hoc erit, in ipso nempe usu, corpus meum; quid vetat, ne perinde cum Calvino explicare valeatis: accipite, & comedite: hæc est figura corporis mei? Vel, si id fieri posse negatis, quid, oro, discriminis Calvino daturi estis? An non Calvini quoque sententia, quemadmodum vestra Lutheri, sacrarum literarum testimoniis, verbum* est, *pro* significat, *adhibentibus, innititur? Quid ait Christus?* Ego sum vitis vera, *id est: ego veram vitem significo: ego veræ vitis vera sum figura: ego veram veræ vitis habeo similitudinem, & significationem. En dixi: ipsa vestri dogmatis viscera, & quidem vestrismet armis confodiuntur, princeps doctrinæ caput, ictu velut uno, amputatur; nimirum: Christi corpus, jam nec in ipso Eucharistiæ usu, vere, ac re ipsa, sua in substantia, præsens esse.*

Complexio I. partis. *Hic fructus est,* Adversarii, *doctrinæ vestræ, hæc utilitas, ut ipsum dogma ex se ipso evertere debeatis. Et huic doctrinæ fidem præbebitis O boni Viri? quæ ipsamet se ipsam conficit, vel certe veritatis Magistrum, Christum JESUM, falli, & fallere nescium, falsitatis cogitur arguere, erroris accusare, mendacii, inaudita hactenus temeritate, audet condemnare. Quid in vos benignissimus admisit*

miſit Chriſtus, ut hanc blaſphemam ei calumniam irrogare velitis? At ſcio Adverſarii animum veſtrum Chriſti Servatoris per quam eſſe ſtudioſiſſimum, quem ſummo, qui eſſe poteſt, cultu, ac veneratione creditis adorandum, ac re ipſa adoratum velletis; at ſi vos hoc Chriſti honoris ſtudium, & ſalutis veſtræ cura porro tenet; reſipiſcite, oro, reſipiſcite, neque doctrinæ in tantum vos diſcrimen præcipitanti, fidem porro habetote, dicite: Chriſti corpus non ſolum in uſu, & manducatione, ſed jam ante uſum; imo poſt uſum; & quidem ſine ulla panis ſubſtantia, vere præſens eſſe, quod altera Orationis parte proſequemur.

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

PARS II.

CHRISTI CORPUS VERE, AC RE IPSA, PRÆSENS ADEST, AT SINE PANIS SUBSTANTIA.

Altera diviſionis pars probatur ſyllogiſmo ſubdiviſionem, dilemmate propoſitam, in majore continente: ſi Chriſti corpus eſt vere, ac re ipſa, præſens cum panis ſubſtantia; tunc verba inſtitutionis: hoc eſt corpus meum, vel haberent hunc ſenſum: hic panis eſt corpus meum; vel iſtum: in hoc pane eſt corpus meum. Si primum? verba inſtitutionis ſenſu eſſent impoſſibilia. Si alterum? licet ſenſu forent poſſibilia, præpoſtere tamen eſſent prolata. Ergo Chriſti corpus in Euchariſtia vere, ac re ipſa, præſens adeſt; at ſine panis ſubſtantia.

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

Major subdivisionem, dilemmate propositam, continens. *Atque, ut sine ambagibus rem ipsam confestim aggrediamur: quæro è vobis* Adversarii: *si Christi caro vere, ac re ipsa, in Eucharistia continetur cum remanente panis substantia, quem, oro, sensum attribuitis Christi verbis: hoc est corpus meum, in Cœnæ institutione prolatis? An istum: hic panis est corpus meum? An hunc: in hoc pane est corpus meum?* Minor, sive assumptio. *Deligite, quod libet, pace mea; at quemcunque delegeritis, actum est! Christi corpus in Eucharistiæ manducatione præsens non est cum remanente panis substantia. Nam si primum delegeritis: verba institutionis sunt impossibilia; si alterum: sunt præposterè prolata. Hic scylla; ibi charybdis: hic sacrum; ibi saxum.*

I. Pars subdivisionis: verba institutionis primo sensu sunt impossibilia. *Ac ut primum impossibilitatem vestrum sub aspectum ponam: quæro iterum de vobis* Adversarii: *an memorata Christi, cœnam adornantis, verba: hoc est corpus meum, vi suæ, quam habent, & significant, virtutis, & efficientiæ, quamdam in pane fecerint mutationem? si nullam? Christus in ultima cœna panem purum putumque, non vero carnem suam discipulis dedit manducandam: quod quis vestrum dicat? Si porro mutationem factam fuisse admittitis, rursum percunctor: utrum hæc tropica tantum fuerit, an vere, ac re ipsa unius in alteram substantiæ commutatio? Si tropica? Plaudite Calviniani, plaudite Sacramentarii! En Luthericolæ vestra subeunt castra! Cito, cito, obviam procur-*

currite, referate fores, aperite templa, ut novos religionis vestræ Cives, ac hospites ea, qua par est, pompa, & triumpho excipiatis. Si vero substantiæ conversionem factam esse creditis? Viri Catholici! flectamus genua! Immortales DEO præpotenti agamus gratias, quod tandem Adversarios nostros, saniora sapere doctos, cœlesti suo lumine voluerit colluſtrare DEUS, ut sanctum transubstantiationis dogma, quod prius cane pejus, & angue fuerant aversati, profiteantur. At frustra [surgite Catholici] Luthericolæ manent Luthericolæ, id est: nullam in Eucharistiæ Sacramento admittunt fieri conversionem; sed solam substantiæ panis cum corpore Christi unionem, cujus postea virtute ex vero ajunt dici posse: hic panis est corpus Christi; quemadmodum de Christo ob naturæ humanæ cum Verbo unionem vere dicitur: homo est DEUS, & DEUS est homo. Belle! sapienter! debebatis enimvero omnes ingenii nervos eo contendere, ut Christi verba dato ejusmodi exemplo explicetis, quo Divinam veritatem ab omni falsitate [quanquam specioſe magis, quam vere] absolvatis. At ego ad uniuscujusque sanæ mentis judicium, & arbitrium provoco: recogitate: an unquam verum esse queat: hic panis est corpus, sine conversione? Certe Christi verba de pane dicta, unicuivis, rem sana mente dispicienti, significant mutationem rei unius in alteram, quam dari posse lubens, promptusque profiteor: hoc enim & ratio, & fides docet. Ratio: nam è pane carnem fieri naturæ virtute quotidie in nobis

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

experimur : cum alimentum in aliti, sive corporis nostri, substantiam converti comperiamus. Ex aqua vinum fuisse factum docet fides, sive prodigium à Christo in nuptiis Canæ Gallilææ perpetratum. Verum ut res una sit altera, verbi causa: panis caro, aqua vinum, remanente utriusque substantia, sine ulla mutatione, per solam unius substantiæ cum altera unionem, hoc enimvero est, quod vel ipsi Divinæ potentiæ factu ajo esse impossibile : secus, si hoc evenire posse contenditis, quid prohibet? ne perinde verum fieri posse dicatis : hircus est cervus, vulpes est anser, ac idcirco multos dari posse vulpanseres, *multos* hircocervos *ultro concedatis, quos tamen barbara inter vocabula, ac mentis humanæ somniantis, vel certe delirantis figmenta vos ipsi hactenus reposuistis. Reflectite vos in vosmetipsos: an idcirco, quod in machina vestra duplicem, animæ nimirum, & corporis, substantiam, inter se unione colligatam, reperiatis, an, inquam, propterea anima facta sit caro? an ex vero quis dicere possit: anima est corpus, & corpus anima? Quemadmodum igitur de corpore, & anima, licet invicem unitis, nemo ullus cum veritate asseverare potest : anima est corpus : quoniam rei unius unio cum altera utramque sua in substantia immutatam relinquit ; ita profecto, ut è pane caro, ex aqua vinum fiat, haud satis est carnem pani, vinum aquæ univisse, sed oportet, ut panis desinat esse panis, aqua desinat esse aqua, ac tum demum substantiâ unâ in alteram commutatâ ex vero affirmari poterit : panis est caro,*

aqua

aqua vinum. Et hæc mutatio à Philosophis dicitur conversio, *à Christi vero Ecclesia in Altaris Sacramento peculiari nomine* transubstantiatio *compellatur, eapropter, quoniam hic nova quædam, & insolita, à cæteris substantiarum conversionibus toto prorsus cœlo differens, substantiæ mutatio contingit. Ibi destructa priore forma materia permanet; hic & forma, & materia simul destruuntur: ibi vetus materia novam formam induit, nullis prioris substantiæ vestigiis, id est: speciebus relictis; hic pereunte tota veteri substantia omnia ejus vestigia, id est: panis, & vini species remanent. Ibi ex veteri panis materia, novam formam induta, fit caro, id est: conversio; hic non ex panis materia, sed solum ex Christi corpore, in locum substantiæ panis divinitus suffecto, & virtute verborum, à sacerdote prolatorum, sub remanentes panis, & vini species adducto, fit* transubstantiatio, *sive, ut Tridentinum* (a) *loquitur, mirabilis illa, & singularis totius panis substantiæ in Christi corpus, & totius vini substantiæ in Christi sanguinem, remanentibus panis, & vini speciebus, nunquam satis explicanda conversio, ob quam postea vere dici potest: hoc non est panis; sed hoc est corpus Christi. Alia est Verbi carnem induti ratio. De illo vere affirmatur: Verbum caro factum est, DEUS est homo, & homo est DEUS; tametsi nulla substantiæ conversio; sed sola Divini Verbi humana cum natura unio intercedat. Hic enim veritas*

a) *Sess. 23. Can. 2.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

memoratarum propositionum non in unione duarum naturarum ; sed in personæ , quæ duabus eadem inest naturis , unitate fundatur , ut quemadmodum duæ naturæ unam personam efficiunt ; ita actiones , proprietates , cæteraque attributa , utrique naturæ propria , unius personæ evadant ; unde postea idiomatum [*ut Theologi vocant*] communio *ortum trahit. Fingite , si libet* , Adversarii : *persimilem dari unionem hypostaticam panis cum verbo , aut cum corpore , ut verbum cum pane , aut panis cum Christi corpore unum* [*ut Philosophi ajunt*] suppositum *efficiant , profecto perinde sine mendacio poterit usurpari : Verbum panis factum est , panis caro factus est : panis est Christi corpus , & corpus Christi est panis. At quoniam panem inter , & Christi carnem , nec vos ipsi hypostaticam huiusmodi unionem intervenire admittitis , quid superat ? quam ut Christi , cœnam instituentis , verba : hoc est corpus meum , allato priore sensu explicata , prorsus impossibilia esse dicatis. O quam miseret me vestri , Chari Adversarii , quod in re gravissima tantopere deludamini ! Certe cum hanc ipsam Orationem ad confutandum doctrinæ Vestræ errorem conscriberem , tanta subito me incessit vestri miseratio ; ut vix à lachrymis potuerim temperare. Dolebat enimvero animo , ac etiamnum dolet magnopere : vos ad clarissimam veritatis tam apertæ lucem cœcutire. O DEUS ! qui omnem illuminas hominem ad te venientem , illuminare his , qui in tenebris , & in umbra mortis sedent , ad dirigendos infelicium pedes in viam agnoscendæ veritatis !*

II.

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

II. Pars subdivisionis; verba institutionis sensu altero sunt præpostera. *At erunt fortasse, qui dicant: si in Altaris Sacramento panis in carnem, vinum in sanguinem virtute verborum Christi mirabili illa, quam nunc attulimus, conversione commutatur, eccur sacræ literæ Eucharistiæ manducationem panis (a) vocant fractionem? Eccur gentium (a) Apostolus corporis Domini participationem, simul panis fractionem, simul panis participationem; imo Domini corpus non alio, quam panis nomine compellat? Non compellaturus profecto nisi panis substantia corpori unita remaneret. Si nos eapropter, quod sacris in literis Divinissimus hic panis Christi corpus, & corpus vere cibus; sanguis autem calix sanguinis nominatur, uno ore, una sententia profitemur: Apostolis in ultima cœna sanguinem cum calice fuisse porrectum; panem autem vere corpus, & corpus vere cibum esse debere; an non perinde, quod Domini corpus panis nomine afficiatur, & corporis Domini participatio, panis fractio, panis participatio vocetur, an, non inquam, eapropter perinde adstruendum sit: ab Apostolis, ac fidelibus cum corpore Domini una panis substantiam fuisse participatam? ac idcirco Christi, cœnam adornantis, verba, si non priorem, hunc saltem sensum, complecti debere:* in hoc pane est corpus meum, *qui certe nihil incredibile, nihil impossibile continet, rem æqua mente dispicienti. Hic ergo est, O boni*

a) *Lucæ 24. ℣. 35. Item Actorum 2. ℣. 42.*
b) *1. ad Cor. 10. ℣. 16.*

CAPUT III. ARTIC. II §. II

Viri clavus ille, qui vos tantopere affixos sustinet in errore? Hoc illud momentum, quod avocat à veritate? Ego quidem grandius quidpiam existimabam esse debere, quod viros tam perspicaces valeat retinere. Cæterum ut vestri infirmitatem argumenti perspiciatis, ajo: si hunc, quem adfertis, sensum Christi verbis attribuitis, una profecto Christum præpostere, ac secus, quam res sit, verba institutionis protulisse affirmetis, oportet. Non diffiteor sensum ante memoratum possibilem equidem fuisse, ac etiammum esse: quid enim est, quod Divinam Christi probibeat potentiam, ne in pane, vel cum pane Christi corpus unitum, vel etiam unione destitutum, existat? Ac proinde sine ulla rei unius in alteram conversione vere corpus in pane valeat contineri? At hic Rhodus, hic saltus: an id, quod fieri posse creditur, re ipsa factum censeri debeat? Vos nihil quicquam fide Divina credendum existimatis, nisi sacris literis expressum habeatur: ubi porro scriptum est: Christum sola in pane, vel cum pane existentia, *aut unione, non vero cum* transubstantiatione *in Eucharistiæ Sacramento præsentem fieri voluisse? An forsan in verbis institutionis? Ita sane: Nam quid Christus voluerit, quidve, aut quomodo egerit, hoc non aliunde, quam ex institutione, ejus voluntatem, ac res gestas complectente, definiri, ac depromi debet. Verba porro institutionis quid? solamne in pane, vel cum pane existentiam, aut unionem significant? Absit! quid ergo? Certe unicuique hæc Christi verba: hoc est corpus meum, in cœnæ institu-*

ſtitutione prolata, ſi paulum curatius expendantur, indicant converſionem, nec ad exiſtentiam, vel unionem, niſi tropi genere prorſus præpoſtero, poſſunt detorqueri. Aut ſi recte uſurpari poſſe contenditis, contendite per me licet, ac etiam de corpore, cum animæ unitum ſit, dicite: hoc eſt anima, & de anima: hoc eſt corpus. Aut dum Spiritus Diviniſſimus Apoſtolorum corda inſedit, impune quis de Apoſtolis profari potuiſſet: hoc eſt Spiritus Sanctus. Quemadmodum igitur nemo mentis compos dictos de rebus nunc memoratis tropos audet uſurpare, quin præpoſtere loqui arguatur; ita profecto Diviniſſimus quoque Servator verba, de ſe converſionem ſignificantia, perperam uſurpaſſet ad exprimendam corporis ſui in pane, vel cum pane exiſtentiam, vel unionem, præſertim, cum tropi iſtius nullum in communi hominum, belle, ac rite loquentium, ſermone, ac uſu veſtigium, minus ſacris in literis monumentum nobis relictum habeamus. Contra porro: verba affatim ſuppetunt propria, quibus ſine tropi hujus uſurpatione, vere, ac proprie ſui corporis exiſtentiam in pane, aut panis unionem cum corpore poterat Chriſtus dicendo expreſſiſſe: hic eſt corpus meum, in hoc eſt corpus meum, vel: cum hoc eſt corpus meum. O quam ergo debili, quam tenui, dogma veſtrum allato ſuperius nititur fundamento Chari Adverſarii! Licet Sacræ literæ Domini corpus panem compellent; hæc tamen obſcuriora ſcripturæ loca explicanda ſunt per clariora inſtitutionis verba, quæ niſi perperam, ac præpoſtere ſumantur,

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

nunquam allato sensu vestro de remanente panis substantia intelligi queunt. Panem compellant; verum non idcirco, quasi cum corpore panis substantia remaneret; sed compellant, quoniam sensu exteriore panis apparet: destructa enim substantia species remanent, quibus remanentibus non eo etiam retinetur; non ut panis illic esse, sed tantum apparere significaretur. Vel certe panis dicitur: non quod re ipsa nunc panis sit; sed quod paulum ante fuerit, sensu [*quod Philosophi ajunt*] ampliativo, *sacris etiam literis usitato, quo cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt. Cæci vident, non ea propter, quasi cæcitas cum visu, mors cum vita componeretur; verum, qui paulum ante cæcus erat, jam videre; qui mortuus, jam resurgere intelligatur.*

EPILOGUS.

Enumeratio. *Utinam, utinam Chari Adversarii! id etiam de vobis ex vero posset adhiberi: cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt.* Cæci vident, *id est, qui ante in errorum tenebris cæcorum instar deerrabant; nunc cœlesti lumine collustrati vident veritatem.* Vident *Christum in Eucharistia vere præsentem esse; at non in solo ejus usu, sed adesse* vident *jam ante usum. Nec enim Christum Divinam sapientiam falsitatis arguere volunt, quem apertissimis jam ante usum verbis dixisse* vident: *hoc est, non item erit, corpus meum: ubi si figuram admitterent, quid probibet, ne Calvini tropum admittant? ac tum nec in ipso Sacramenti usu Chri-*

Christum vere præsentem esse credant? Vident; *at sine panis substantia; norunt enim Christum verba institutionis neutiquam ita protulisse: hic panis est corpus meum, vel: in hoc pane est corpus meum; sed: hoc est corpus meum. Quod certe primo sensu impossibile, altero autem præposterum futurum fuisse nemo non* videt. *Impossibile: nam remanente substantia, sine ulla conversione, solius, quam admittunt, unionis adjumento luculente* vident, *nunquam ex vero dici posse: hic panis est corpus meum.* Vident *præposterum: quoniam de pane, tametsi in eo Christi caro existeret, vel corpus cum pane unitum foret, non nisi perperam dici valeat: hoc est corpus meum.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

Motus affectum fidei excitans. *Hæc porro cum* vident, *utinam boni Adversarii ita* viderent, *ut una saperent, id est: veritatem, quam agnoscunt, crederent, palamve profiterentur. At sunt permulti, qui tametsi* videant, *id est: dogmatis sui falsitatem, Catholici autem veritatem compertam habeant; nihilominus nescio, quibus humani respectus, pudoris, ac metus, vel etiam vitæ mollioris licentiæ vinculis adstricti haud* ambulant *in via veritatis; sed* claudorum *instar à recto tramite desciscunt. Sed erit tempus, erit,* dum mortui resurgent, *id est: in extremo mundi die, cum Divinus advenerit Judex cum potestate magna, & majestate; tum enimvero veritatem, quam nunc* vident, *abjecto omni pudore, contempto hominum respectu, dissolutis omnibus, quibus nunc attinentur, vinculis, amplecti vellent; sed tempus non erit ampli-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

plius. Quare dilectissimi Adversarii per salutem vestram, per Christi sanguinem, pro vobis in Cruce fusum, vos oro, & obtestor: nolite comperendinare, sed quod tunc, licet sero nimis, actum velletis; nunc, nunc, dum tempus habetis, operemini bonum. Surgite, *& cum Sampsone, funibus circumplexo, vos etiam humanorum funes respectuum, qui vos circumplectunt, ausu generoso diffringite.* Surgite, *& cum Evangelico, qui ab ortu cæcus erat, homine, visu recepto libere Christum confitente, vos etiam abjecto Synagogæ vestræ metu, ac deposito vanissimo pudore, agnitam pridem veritatem audacter confitemini. Christi* (a) *dictum est*: qui confitebitur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo. *Contra* (b) qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet. *Absit O Christe! ut erubescas, & nostri causa pubore suffundaris. En nos prius suffundimur, ac prostrati te in hoc Sanctissimo, quod cernui adoramus, Sacramento, non in solo tantum ejus usu, sed jam ante usum; imo etiam post usum; nec cum ipsa panis substantia, sed solis sub speciebus vere præsentem esse confitemur.*

Dixi.

ARTI-

a) *Matth. 10. ℣. 32.* b) *Lucæ 9. ℣. 26.*

ARTICULUS III.

CAPUT III. ARTIC. III. §. 1.

DE TERTIO CONCIONIS POLEMICÆ MODO.

§. I.

Præcepta hujus modi.

TErtius Polemicæ concionis modus est propugnans, seu confutans, refellens, defendens: cum doctrina Catholica hæreticorum telis, & objectis impugnata, vel saltem impugnanda, confutatis eorum argumentis, vel, si priùs error hæreticus impugnatus erat, dissolutis responsis propugnatur, ac defenditur (a). Unde hic modus nec in asserenda directe Catholica veritate, nec in impugnando directe errore hæretico, sed in diluendis Adversariorum objectis, vel refellendis responsis, ac idcirco in defensione dogmatis Catholici, loco principe, occupatur.

I. *De inventione hujus modi.* Tota modi istius inventio posita est in eo, ut adversa-

a) *Hæc Oratio dici etiam potest Apologetica ab ἀπολογία, quæ* Hermanno Goldhagen *sermonem defensorium, defensionem verbo, vel scripto, aut excusationem significat. Hujusmodi Apologias pro Religione Christiana scripserunt Veteres Christiani Philosophi, ut* Justinus, Athenagoras *&c. Pro concione autem Apologias tractavit* Schererus, *quem his temporibus imitantur Sacri, de Societate nostra, Oratores Augustani, quos inter eminet* Franciscus Neumayrus, *qui diligenter sunt volvendi. Sed nec prætereundus* Bandelius, *Vir doctissimus, in suo Muto Advocato, solidissima conficiendæ Apologiæ momenta præbiturus.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. I.

fariorum objecta (*a*), vel argumenta, saltem principalia, quibus doctrinæ Catholicæ veritas vel fuit impugnata, vel impugnari posset, aut responsa ad Catholicam impugnationem reddita, vel reddenda, in certa generalia, vel specialia capita, totidem futuræ partitionis membra, rediguntur; vel, si jam ante ab Adversariis redacta fuere, eodem postea ordine confutanda sumantur. Res exemplis illustrior evadet. Cum autem argumenta objici possint *ex locis Eloquentiæ Sacræ propriis*, aut *generalibus*; sint primum exempla ex *locis propriis conjunctim*. Verbi causa: Papæ, ex cathedra loquentis in rebus fidei, & morum fallibilitatem, nec probant Patres, qui eam asseruisse adferuntur: nec Concilia, quæ definiisse dicuntur: nec ipsi Pontifices, qui erasse adstruuntur. Sed hæc libri fortasse unius moles, & materia. Unde sit *ex singulis seorsim* locis, & quidem *Scripturæ specialibus*. Verbi causa: Usum Eucharistiæ sub una tantum specie ab Adversariis impetitum velles propugnare: vide, quibus hoc Adversarii Scripturæ argumentis conten-

a) *Ita* Athenagoras *Philosophus Christianus suam pro Religione Christiana apologiam in tria, ex objectis sumpta, capita divisit*: Trium flagitiorum rumor infamis de nobis spargitur: impietatis, Thyestæarum epularum, concubitus incesti; quæ si vera sunt, postulat ut Christianorum genus penitus exscindatur: si falsa; apud Imperatores veritati locus & innocentiæ perfugium &c.

tenderint; reperies fortaſſe ea ſumi: 1. Ex præcepto Capharnaitis impoſito ante inſtitutionem; niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 2. Ex præcepto Apoſtolis dato in inſtitutione: bibite ex eo omnes. 3. Ex Præcepto per Paulum Apoſtolum promulgato poſt inſtitutionem: A Domino accepi, quod & tradidi vobis, &c. En partitio: 1. ſumptionem Euchariſtiæ ſub una ſpecie, nec infirmat præceptum ante inſtitutionem Capharnaitis impoſitum. 2. Nec præceptum in inſtitutione Apoſtolis latum. 3. Nec præceptum à Paulo Apoſtolo poſt inſtitutionem promulgatum. Sint exempla *ex locis generalibus*: 1. *Ex uno*: Chriſtum in Euchariſtia vere, ac re ipſa eſſe præſentem non eſt impoſſibile; ſive ſpectetur *tranſubſtantiatio*, ſive ejuſdem corporis in pluribus locis *multiplicatio*; ſive proprietatum corpori convenientium *ſpoliatio*. 2. *Ex pluribus ſimul conjunctis*: Chriſtum in Euchariſtia vere, ac re ipſa contineri: 1. Non eſt impoſſibile. 2. Non eſt indecens. 3. Nec ſcripturæ repugnans. Sumuntur etiam partitiones ab iis rationibus, ex locis potiſſimum generalibus depromptis, quibus adverſariorum argumenta refelluntur. Ita *Neumayr* (a) Proteſtantum querelæ, adverſus Papatum jactæ,

CAPUT III. ARTIC. III. §. 1.

a) *Volumine primo Concione quinta: An Proteſtantum querelæ adverſus Papatum, Virum prudentem à Romana Catholica Religione recte revocare poſſint?*

CAPUT III. ARTIC. III. §. 1.

jactæ, neminem sanæ mentis Virum ab Religionis Catholicæ amplexu abstrahere possunt: quoniam plurimæ sunt sine fundamento: paucæ sinceræ: nulla prorsus momentosa.

II. *De dispositione hujus modi.* Præter ea, quæ de primis duobus ante modis dicta sunt, hæc adhuc veniunt observanda. 1. *Exordium* ducitur: vel ab expositione Sacræ Sententiæ, vel à Narratione historiæ Evangelicæ, vel à ratione, ob quam defensionem suscepimus, aut à circumstantiis; in quibus doctrina Catholica ab Adversariis fuerat impugnata, nunc vero sumitur propugnanda; vel denique ab aliis exordiorum fontibus Tomulo priore recitatis. 2. *In confirmatione:* vel adversarii ordo servetur, singillatim, quæ attulit, de membro ad membrum refellendo, idque dupliciter: 1. Cum adversariorum sensus solummodo, nostris sententiis comprehensus, adfertur. 2. Cum ipsamet eorum verba commemorantur, discutiuntur, per partes confutantur. Qui purgationis, ac defensionis modus commodior est, quod & argumentis, & copiæ, & stylo liberius possit indulgere: vel si Oratori consultius videtur, præcipua deligantur, & debiliora adversarii argumenta primo, & postremo; validiora in medio enerventur; interdum validissimum initio statim frangendum sumitur, ut tota adversarii spes reliqua exarme-

metur; creberrime tamen rei, & materiæ ordo ſervatur. In principio cujuslibet partis confirmationis proponitur telum Adverſarii, quo Catholica veritas fuit impugnata, vel reſponſio, quæ ad impugnationem fuit reddita ſervatis Adverſarii verbis, vel ſenſu, ut Oratori commodius fuerit. Hanc ſequitur reprehenſio, ſive confutatio, per ſubdiviſionem, aut ſine illa, tractata. Subdiviſionem autem (a) præbet: vel ipſa confutatio objecta Adverſarii diſtinguens; vel duplici argumento, aut reſponſo, ea diſſolvens; vel ipſa Adverſariorum objectio jam in ſe partes plures continens: vel denique alii diviſionum, ac ſubdiviſionum fontes Tomulo priore relati. Modi autem confutandi adverſariorum objecta complures ſunt. 1. Negando: objectum ſcripturæ locum reipſa in Scriptura; vel ſi Patrum ſit, aut Conciliorum, in adductis Patribus, aut Conciliis reperiri. 2. Oſtendendo locum eſſe corruptum, & quidem detractis pro libidine, vel additis, aut commutatis ſententiæ verbis; vel etiam mutatis, aut omiſſis pro arbitrio legitimis interpunctionum notis eſſe depravatum. 3. Si ſententia in ſtatu ambiguo poſita ſit, declaretur: non hoc, ſed alio ſenſu eſſe intelligendam, idque authoritate alterius ſcripturæ, in eo-

CAPUT III. ARTIC. III. §. 1.

T dem,

a) *Hæc, de ſubdiviſione dicta, diligenter animadverte, dabunt magnum illius inveniendæ, in hoc Concionis Polemicæ modo, lumen.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. I.

dem, vel pari genere: item Patrum, Conciliorum, vel celebriorum Scripturæ interpretum testimonio. Aut explicando priora per posteriora, obscuriora per clariora. Vel etiam distinguendo rei objectæ verba, aut sensum. 4. Redarguendo: id esse fictum, falsum, dubium, absurdum, incredibile, repugnans rectæ rationi, loco, tempori, personæ, moribus, cæterisve adjunctis. 5. Vel à statu contrariorum demonstrando: rem objectam secum ipsa pugnare, alteri Scripturæ loco adversari, alibi contrarium reperiri: aliud adversariorum dogma, aut communem fidei Christianæ veritatem eo everti debere; vel ex subjecta sententiæ materia, aut ex communi Ecclesiæ usu, aut praxi contrarium intelligi oportere. 6. Retorquendo: ut objecta in eodem, vel pari argumenti genere ab Adversariis solvantur, quod eleganter instituitur per figuram concessionis. Aut si comparabile, vel simile adfertur, dissimilitudo ostendatur; vel certe rei, quæ objicitur, paria opponantur, ut quantum Adversarius urget; tantum vel etiam magis, urgeri videatur. 7. Per ratiocinationem: cum ex claro Scripturæ, Patrum, vel Conciliorum loco aliud per legitimam ratiocinationem eruitur. 8. Si denique objecta nequeunt penitus negari, ea saltem oportet excusare, vel elevare, aut imminuere, ostensa eorum infirmitate: non esse tam valida ac videntur:

sum-

sumpta esse dubia pro certis : esse æquivoca, nullo, vel exiguo fundamento nixa. Horum omnium, vel saltem plerorumque exempla reperies Tomulo priore (a). CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

§. II.

Paradigma hujus modi.

COncionis propugnantis, seu confutantis, idæam tam adversum Calvini, quam Lutheri sectatotes de usurpanda Eucharistiæ à Laicis utraque specie deprompsimus ex opere nostro M. S. (b) quam hic ad verbum adscribimus.

ORATIO.

Sententia Sacra : *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat eis.* Luc. 24. ℣. 30.

Thema dictionis : *Christus duplicem Eucharistiæ speciem populo non præcepit.*

Partitio Thematis : 1. *Non præcepit ante institutionem apud Joannem.* 2. *Non præcepit in institutione apud Matthæum.* 3. *Non præcepit post institutionem per Paulum.*

EXORDIUM.

Ingressus. *Sanctum Cœnæ Sacramentum bis memorant Evangelici Scriptores à Christo Servatore fuisse celebratum; Primum Hierosolymis : in ipsa Cœnæ hujus institutione paulum*

a) *Tom. I. lib 2. p. 2. Cap. 3. Artic. 1. §. 2.*
b) *Cui titulus : Doctrina Catholica de Domini Cœna, Dissertationibus Biblico-Theologico-Oratoriis adstructa adversum sectarios.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

ante mortem, & sacratæ passionis initium. Dein à morte, post institutionem, in Emaunte castello, ipso Domini resurgentis die. Ibi convivas duodecim habuit Apostolos; hic binos duntaxat Discipulos. Ibi panis, & vini; hic solius panis symbola proposuisse sacra eum perhibet historia. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat eis.

Descensus: *Si rem Hierosolymis actam perpendamus; non diffiteor etiam calicis usum populo ab Ecclesia, leges sanciendi, vel relaxandi authoritate instructa, indulgeri posse; haud tamen debere. Dixi:* posse. *Cum Apostolis dictum sit: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem; Apostoli utique poterunt, si voluerint, etiam calicem cum pane populo propinare; quemadmodum ipsis à Christo fuerat propinatus; haud tamen* debere. *Cur? quoniam ipsus cœnæ author Christus in Emaunte castello solum postea panem legitur Discipulis porrexisse. Quo certe exemplo satis superque comprobavit, nunquam sibi in animo Solymis fuisse, ut speciem utramque fidelibus usurpandam præciperet, sed integrum Ecclesiæ arbitrio reliquisse, ut pro sua, qua pollet, authoritate, ac temporum ratione, aut solymæum exemplum imitata, utramque fidelibus administret; aut Emauntinam secuta solam panis speciem largiatur. Hoc adeo clarum videtur, ut nisi soli videant Adversarii, nihil, quod adversum dicere possint, videamus. Sunt tamen, qui argumenti pondere pressi negant Christum*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

ſtum in hoc Emauntis caſtello pane illo carnem ſuam porrexiſſe. At hi quomodo Lucæ fidem grandi ſine piaculo rejicere valeant, haud perſpicio. Præterquam, quod eadem pene verborum forma hanc cœnam Emauntinam, qua Solymæam, deſcribat Lucas: Et factum eſt: dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis; *illud inſuper manifeſto eſt argumento: cœnam hanc panis fractionem nuncupari, quo nomine ſacris in literis Euchariſtiæ Sacramentum intelligi oportere, & Paulus, & Lucas docet. Lucas: qui perhibet fideles in Oratione, & fractione panis perſeveraſſe. Paulus vero hanc panis fractionem corporis Domini ait eſſe participationem:* Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt (a)? *Quid? quod ex hac panis fractione agnitus in cœna legatur fuiſſe Chriſtus; imo panis hic Divina ſua virtute, ut eum agnoſcerent, captos Diſcipulorum oculos dicitur aperuiſſe: non aperturus utique, nec Lucas cœnam iſtam iiſdem, quibus Solymæam, actionum verbis deſcripturus, ſi vulgaris tantum, non item peculiaris, Euchariſtiæ nimirum Sacramenti, cœna extitiſſet. Ad hæc non leve pondus accedit: ſi verba:* fregit, & porrigebat, *expendamus. Quis porrigebat? Chriſtus convena, ad cœnam invitatus. Quibus porrigebat? hoſpitibus, ad cœnam invitantibus. Quæ, obſecro, civilitas, ut is, quem invitantium officia præſtolari oportebat, ea, hoſpitibus invitantibus impenderet?*

a) *1. ad Cor. 10. ℣. 16.*

CAPUT III. ARTIC III. §. II.

An hos Discipulos tam agrestes fuisse creditis, ut potius à Viatore refici voluerint, quam ipsi Viatorem reficerent? & quidem ejusmodi Viatorem, quem antea, tam comiter invitatum, secum manere coegerunt: Et coegerunt illum dicentes: mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit. *Quid ergo est, quod Christus discipulis porrigebat, quam id, quod ipsi sibi ipsis porrigere haud poterant, Divinæ nimirum cœnæ manducationem.*

Propositio. *Atque his, aliisve argumentis, adductum fuisse credidero libri concordiæ authorem, & cum eo nuperum loci hujus Ministellum, festo cœnæ Domini die, Romanam in Ecclesiam acrius, quam verius debacchantem, ut publica pro concione profiteretur in Emauntis castello, & cœna illic habita, Sanctum quidem Altaris Sacramentum Discipulis à Christo fuisse porrectum; panis tamen appellatione una calicem significari. At quo fundamento, cum porrecto pane confestim ex eorum oculis dicitur evanuisse? Illo ajebat: quoniam non addecet, ut Christi legislatoris acta à præceptis abludant. Vel certe, dicebat, Christum cœnæ authorem latam ab se legem, hic sibi relaxasse, ut in una solum panis specie eam præberet, qua tamen potestate neutiquam instructos, inquiebat, fuisse Apostolos, ac eorum successores, cum apertissimis Christus verbis non uno Evangelii loco usum calicis gravissime præcipiat. At sistite parumper Adversarii, si clarissimis hodie argumentis confutavero: nullam sacris in literis latam à Christo legem reperiri ad*

sumen-

ſumendam à populo ſpecie ſub utraque Euchariſtiam, tum enimvero adverſus Miniſtellum, nuper invectum, conficiam: in cœna Emauntina panis nomine una calicem haud eſſe intelligendum: nec à Chriſto legem, quæ nunquam erat, eſſe relaxatam; verum Eccleſiæ liberum, ac integrum manere, Solymæum, & Emauntinum ſequi exemplum, id eſt: unum, aut utrumque ſignum populo decernere miniſtrandum.

Partitio. *Omnia autem rationum momenta, quibus Doctrinæ Catholicæ veritatem bonus nuper impugnabat Adverſarius, ad tria potiſſimum tempora, totidem Orationis capita, video eſſe revocata: quoniam Chriſtus calicis uſum præcepit ante inſtitutionem; præcepit in inſtitutione; præcepit poſt inſtitutionem.* Ante inſtitutionem apud Joannem: in inſtitutione apud Matthæum: poſt inſtitutionem per Paulum. *Hæc porro licet curſim intuentibus, fronte prima, ſpecioſa eſſe videantur; re tamen admodum ſunt infirma, ac debilia. Ordiamur.*

PARS I.

CHRISTUS CALICIS USUM NON PRÆCEPIT ANTE INSTITUTIONEM APUD JOANNEM.

Prima diviſionis pars probatur enthymemate ſubdiviſionem complectente: Licet Chriſtus his verbis ante inſtitutionem apud Joannem prolatis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis,

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

præcipiat sumendã Eucharistiam; haud tamen præcipit ejus modum; sed tantum substantiam. Ergo Christus calicis usum populo non præcepit ante institutionem apud Joannem.

Primus bostium aries, quo Doctrinæ Catholicæ, arcis illius inconcussæ, supra montem, ac petram ædificatæ, murum convellere nituntur Adversarii, promitur ex verbis Christi, ante institutionem apud Joannem (a) prolatis, qui cœnæ hujus instituendæ describit promissionem: Amen Amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Hoc Christi effatum [ajunt Adversarii] quoniam tam grandi, amittendæ nimirum salutis, commination ad Capharnaitas, & reliquam hominum turmam sit prolatum, & utrumque tam manducandæ, quam bibendæ Eucharistiæ modum, particula copulante expressum, contineat; nec sanguis vere, quam in ipso calicis usu bibi queat, quid? nisi severissimam Sacramenti, specie sub utraque usurpandi, legem complectitur. Quid hic Domini Papistæ [inquit Ministellus] si potestis, respondete? At quis es, O Bone Vir: noli victoriam canere ante pugnam: minus triumphum ante victoriam. Crede sis: affatim respondebimus, modo attentas respondentibus aures præbere velis. Primum admiror vehementer: te hominem toto stomacho Calvini sectatorem argumento, hoc è loco deprompto, uti voluisse; qui cæteroquin sextum Joannis caput non ad Sanctum Al-*

a) *Joan. 6. v. 54.*

Altaris Sacramentum ; verum ad Christum , carnem indutum , fidei ore manducandum , id est : credendum detorquere deberes. At ne moremur , missum istud faciamus. Ajo : allatis Christi verbis sumendæ à fidelibus Eucharistiæ præceptum contineri quidem : Christus enim Sanctum Altaris Sacramentum condidit ad animæ in vita , seu Divina gratia , conservandæ nutrimentum , quo , ceu antidoto [ut sancta loquitur synodus Tridentina] homines à peccatis mortem inferentibus præservantur ; hoc tamen præcepto solam Sacramenti Eucharistiæ rem , & substantiam ; non item rei modum noveris esse præceptum.

I. Pars subdivisionis : Præcepta est substantia. *Dixi : rem , sive substantiam esse præceptam , id est : ut Divinissimum Christi corpus , & sanguis , quæ sacramenti hujus res sunt , & substantia , à populo sumerentur. Hoc porro perinde evenit , seu in una , seu in altera , seu in utraque specie ministretur. Quid enim est , quod cum signo panis porrigitur ? An exangue , & emortuum Christi corpus ? at huic adversatur luculentissima Christi sententia :* Ego sum panis vivus , qui de cœlo descendi : Ego sum panis vitæ. *Nec Christus ex vero dicere potuisset :* qui manducat me , vivet propter me : *neque illud recte usurpare :* accipite , & comedite : hoc est corpus meum : *nam corpus à sanguine sejunctum haud est Christus , nec proprie corpus ; sed cadaver ; nos porro Divinissimus Servator non cadavere ; at semet ipso , ac sancto suo corpore , voluit pastos , voluit nutritos :* qui

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

manducat me, vivet propter me. *Si vero vivum corpus sumitur? Sanæ profecto adversatur rationi, ut vita præditum sine sanguine corpus manducetur: cum vita hominis corporea in sanguinis, solidas inter corporis partes à spiritibus animalibus impulsi, motu reponatur. Atque hoc credidero esse, cur Gentium Magister Paulus unumquemque nefandi criminis sacrilegii, non tantum in Christi corpus; sed etiam in sanguinem admissi, reum agat, qui Divinum hunc panem indigno ore manducaturus, vel sanguinem indigno ore bibiturus, accesserit:* quicunque [*ait* (a) *Paulus*] manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. *Quasi diceret: quicunque manducaverit panem hunc, id est: solam panis speciem, indigne* [*hunc enim particula* vel *disjungens, Pauli verbis attributa, sensum efficit*] *perinde reus erit corporis una, & sanguinis Domini; ac quicunque solum biberit calicem, id est: vini speciem indigne, reus erit corporis, simul & sanguinis Domini. Eccur istud? quoniam solum manducando panem, utrumque: corpus, simul & sanguis sub panis specie manducantur; & solum bibendo calicem, utrumque: corpus, simul & sanguis, in calice posita, bibuntur. Quid apertius?*

II. Pars subdivisionis: non item præceptus est modus. *At dicetis: verum equidem esse: totam Sacramenti substantiam sub una non secus, ac sub utraque specie contineri; at Chri-*

a) *1. ad Cor. 11. ℣. 27.*

Christus duplicem sumendæ hujus Substantiæ modum in allata Joannis Sententia: nisi manducaveritis, & biberitis, *clarissimis verbis, actum manducandi, & bibendi significantibus, expressit; præterea, sanguinem suum potum compellavit. Quis autem non videt: in solo panis esu, licet cum corpore, sumatur sanguis; re non bibitur; sed manducatur? ad explendam ergo Christi, nos manducare, simul & bibere jubentis, voluntatem necesse est, ut ad panem calicis quoque usus adjungatur. Quid? quod Sacratissimam hanc cœnam convivii instar Christus voluerit apparatam. Humani porro convivii ratio deposcit, ut in eo non esca solum; sed etiam potus convivantibus præbeatur; secus haud magnæ ejus hospitalitati agendæ forent gratiæ, qui cibis laute largiterque pastos, pene siti confectos, dimitteret. Credite: nec bruta ita prandent, aut cœnant! Fateor isthoc argumentum haud leve pondus haberet* Adversarii; *nisi ejusmodi cernerem nixum fundamento, quod uno confestim ictu penitus collabitur. Quid agetis? si in allata Christi sententia phrasi Hebræis, & sacris literis usitata, particulæ, &, cæteroquin conjunctionem significanti, hoc in loco, non conjunctionis, sed divisionis sensum adstruxero ita cum Bellarmino Christi verba interpretatus: nisi manducaveritis carnem filii hominis, vel biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: nunquid tota tunc argumenti vestri moles penitus succumbet? Ita porro explicari posse si dubitatis? adite Scripturarum monumenta, ac dispicite: quem illic Levi-*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

vitici (a) *verbis*, qui Patri, Matrique maledixit, sit sanguis ejus super eum, *sensum attribuetis? an non hunc disjunctionis? qui Patri, vel Matri maledixit, sanguis ejus sit super eum; secus qui soli Patri, aut soli Matri male precatus foret, ejus sanguinem neutiquam deposceret DEUS. Nunquid etiam Christi* (b) *verba*: si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, *hunc sensum complectuntur: si non venissem, vel locutus fuissem, peccatum non haberent. Quid jam interest, ne laudata Christi quoque sententia, eodem disjunctionis sensu, exponatur, præsertim, cum ejus ita explicandæ clarissimam Gentium Apostolus viam præbeat. Audite* (c) *Paulum*: Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis, & Sanguinis Domini, *ubi, quod Joannes particula conjungente, hoc Paulus exprimit disjungente. Utri autem amplius fidei adhibendum censetis: Paulone, an Joanni? Nunquid utrique Divino acti spiritu scripsere? Mihi igitur communis illa criticorum, & Sacrorum interpretum regula est hic consectanda: priora explicanda esse per posteriora, maxime, si posterioris firmamentum in eodem genere sacris literis innitatur; quemadmodum hæc Pauli verba, serius prolata, inniti comprobavimus. Quod ipse Christus etiam confirmare videtur: qui vitam æternam quemadmodum utrique; ita uni, panis nempe, speciei ad-*

a) *Levit. 20. ℣. 9.* b) *Joannis 15. ℣. 22.* c) *1. ad Cor. 11. ℣. 27.*

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

adpromittit. Cur? quoniam nihil interesse sentit; panem, vel calicem Ecclesia populo decernat usurpandum: cum Christus rem solum, non item modum sumendæ præceperit Eucharistiæ. Sed convivii ratio potum deposcit? Ergo putatis eum, qui solo rite vescitur pane Eucharistico fraudari potu? Hic enimvero aures arrigite: quid Christus potûs, & calicis nomine intellectum velit: vinumne, an sanguinem? Christi dictum est: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Advertite! en carnem, non vero panem, cibum vocat; sanguinem, non item vinum, potum appellat; imo calicem nunquam vini, at semper sanguinis calicem compellat. Consulto: ut cibi, aut potus vocabula non ad species; sed ad rem, hoc est: ad corpus, & sanguinem referantur; atque inde, qui vel solo vesceretur pane, utrumque: in corpore cibum, in sanguine potum una sumere intelligatur. Nec officit: quod Christus hunc potum, hunc calicem, hunc sanguinem bibendum esse dicat; bibendi autem actus, & verbum, ad vini, & calicis species est referendus: nam Christi sanguis, sub panis speciebus sumptus, proprie non bibitur, sed manducatur; quemadmodum nec caro, sub vini specie sumpta, manducatur, sed bibitur. Si igitur ad corporei rationem convivii una potus, sed bibendus requiritur; hoc idem Spiritualis hujus convivii ratio exiget. Ita est, non inficior Adversarii: Christus suum hic sanguinem, potus nomine compellatum, bibendum esse inquit, verum ex arbitrio Ecclesiæ, hoc indulgentis, vel probibentis. Indulgentis: ut si convivium, in ca-

lice

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

lice sub vini speciebus celebrandum, indulserit; tum Christi sanguis sub panis speciebus non manducetur solum; sed una sub vini speciebus in potum sumatur; si vero prohibuerit; tum sanguis non equidem bibatur; attamen sub panis speciebus manducando sumatur. Id porro Ecclesiæ potestati relictum esse docent Christi verba, è mente Pauli disjunctim intelligenda: Quicunque manducaverit panem hunc, vel calicem biberit indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini, *ait Paulus. Quod porro humano in convivio, ad sedandam corporis famem, ac sitim, ordinato, una potus bibendus præbeatur; ne miremini: nam cibus diversam hic à potu substantiam, plerumque ad explendam sulummodo famem, non vero sitim; potus autem ad levandam tantummodo sitim, non vero famem, comparatam complectitur. Non ita in convivio Eucharistico: ubi tam potus, quam cibus, unus idemque Christus est, qui spiritus famem, ac sitim, perinde in una, ac in utraque specie, affatim explere potest.*

Complexio I. partis. *Frustra ergo, frustra agitis Adversarii: Divinus Servator calicis usum non præcepit ante institutionem. Nam licet Christi, apud Joannem loquentis, verba*: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, *gravi comminatione prolata, sumendæ præceptum Eucharistiæ contineant; solius tamen rei; non item modi. Si ergo cœlesti hoc in convivio solo cum pane sanguinem sumitis, qui spi-*

ſpiritualem animæ veſtræ ſitim perinde hic explere queat, ac calix, quid opus eſt tantopere calicem appetere? niſi forſitan [parcite candidius loquenti] non ſanguinis, ſed calicis ſiti æſtuetis.

PARS II.

CHRISTUS CALICIS USUM LAICIS NON PRÆCEPIT IN INSTITUTIONE APUD MATTHÆUM.

Altera diviſionis pars probatur iterum enthymemate ſubdiviſionem complectente: Chriſtus calicem à Laicis uſurpandum nec facto, nec verbis, in Inſtitutione apud Matthæum deſcriptis, præcepit. Ergo Chriſtus calicis uſum populo non præcepit in inſtitutione apud Matthæum.

Antecedens. *Alterum, ad evertendam de calicis uſu doctrinæ Catholicæ veritatem, emiſſum ab Adverſariis telum eſt ex Cœnæ inſtitutione, à Matthæo deſcripta; ubi Chriſtus [inquiunt illi] &* facto, *&* verbo *probat duplicem populo ſpeciem eſſe miniſtrandam. Primum* facto, *concedamus* (ajunt) *in triclinium Solymæum, celebrem à cœnæ hujus inſtitutione locum: quid illic Chriſtus agat? videamus.* Veſpere autem facto [*refert* (a) *Matthæus*] diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis. *Cum duodecim ait, ut futura Eccleſiæ ſpecies in Principe ſenatu referretur. Diſcumbebat, ut quid, quóve modo, hac in cœna Eccleſiæ poſtea agendum foret, ex ipſius Chriſti diſcumbentis facto, & exemplo diſce-*

a) *Matth. 26. ℣. 20.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

sceretur. Cænantibus autem eis, *id est: ex veteri Judæorum instituto Paschatis agnum supremum manducantibus*, accepit JESUS, *quid?* panem: *en panem, primum sumendæ Eucharistiæ symbolum!* benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, *advertite! deditque Discipulis suis:* & ait, accipite, & comedite, hoc est corpus meum. *Videte primum manducandæ ab Ecclesia Eucharistiæ ex Christi, cœnam adornantis, facto, & exemplo præceptum, ac modum. Postea* [*prosequitur Matthæus*] accipiens calicem, *ecce calicem!* gratias egit, & dedit illis, *cernite! dedit; at quomodo dedit?* dicens: bibite ex hoc omnes. *En alterum, & quidem clarissimum usurpandæ ab Ecclesia Eucharistiæ sub vini specie, ex Christi, cœnam porrigentis, facto, & exemplo modum, ac imperium! Quid igitur est* [*ajunt Adversarii*] *quod ad cœnam hanc ritè celebrandam, unam ejus speciem satis esse contendimus, quando Christus utraque usus fuit? Si Divinus Servator hac in Cœna panis loco ficum, vini loco oleum adhibuisset, illam corpus, istud sanguinem esse jubens: Quid? an ulli mortalium integrum foret, mutata Sacramenti materia, panem ficui, vinum oleo sufficere? Absit! Eccur ita? quoniam in his non tam rem; quam Authoris, rem ita instituentis, voluntatem pro ratione ducere debemus. Atqui non minus de modo, sumendæ sub utroque symbolo Eucharistiæ, quam de ipsa ejus materia, test tam clare habemus Christi voluntatem? Quid ergo agemus? an sine scelere hanc Cœnam specie altera diminuere*

fas

fas putabimus? an apertam adeo Servatoris voluntatem, non facto solum, sed etiam verbis luculente declaratam, convellere religioni non ducemus? Verba in eo, qui expers est mendacii, sunt certissima voluntatis indicia. Quid Christus de calice? Bibite [*inquit*] ex hoc omnes. *Non isthoc præceptum? Non lex? Non imperium? Si nudum Christi factum, nullis proditum verbis foret, neminem profecto tam amentem reperiri posse arbitror, qui ea secus, quam sint adhibita, auderet adhibere. Quid dicam accedente ad factum, & exemplum, tanta verborum præcipientium luce? Egregie, & prorsus eloquenter Viri disertissimi! Videmini de calice plusculum affudisse, unde postea tam prolixe, ac diserte excurrerit Oratio. At confestim consistet alveus, si Christus in hac Cœnæ institutione nec facto, nec verbis de calicis usu, à Laicis adhibendo, quidquam præcepisse demonstretur.*

I. Pars subdivisionis: Christus Laicis usum calicis in sua institutione non præcepit facto. *Ipso clarius est meridie: non omne Christi factum, institutum, exemplum vim continuo legis obtinere; aut si obtinet, non ad omnes semper omnino hominum ordines, & gradus attinere. Vultis rem exemplis illustrari? Christus huic ipsi cœnæ agnum paschalem præmisit: an vos eum idcirco præmittendum censetis? Christus solis eam viris præbuit; an vos eapropter mulieres excludendas putatis? Christus ante, quam discubuisset, discipulorum pedes abluit, non sine, quod videtur, mandato, ut ad ejus exemplum conformati,*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

mati, alter alterius pedes lavaremus; an vos eam ob rem ad lavandos ante pedes obstringi judicatis? Quis nescit conjugium, à Christo subinde roboratum, primum à DEO, nec sine adjectis, quæ legis vim habere videntur, verbis institutum? aude, amabo, propugnare in legem peccaturum, qui eo voluit abstinere? Sacerdotium pariter à Christo est ordinatum, at quis sanus dixerit: omnes hominum Sacerdotio initiari oportere? Cæterum: si vos ex Christi facto, in ultima cœna, speciem utramque usurpandam urgetis, an nos ex ejusdem Christi, in Emauntis castello speciem unam porrigentis, exemplo unam pariter porrigi posse non recte contendemus? maxime: cum unius usui perinde vitam æternam, ac utrique, semel, ac iterum à Christo fuisse promissam legamus. Videte! ex solo Christi facto, exemplo, instituto haud obtineri præcepti rationem, vel certe non ad omne omnino hominum genus, ut mox fusius prosequemur, attinentem. Quæ porro de ficu, atque oleo fingitis, non solum oleum in eo, & operam perditis; verum vestrisnet armis sententiam vestram jugulatis. Tametsi Christus pro pane in ficu corpus suum, ac pro vino in oleo sanguinem suum constituisset; si tamen aliquando ficus, & olei loco, panem, & vinum adhibuisset, quis non videt panem, aut ficum: vinum, aut oleum adhibendi libertatem Ecclesiæ fuisse relictam? Hoc ipsum de manducandæ Eucharistiæ modo sentiatis oportet, Adversarii: *utramque in cœna speciem Apostolis esse quidem porrectam; at quoniam compertum habemus unam quoque à Christo Discipulis*

esse

esse datam, frustra è Christi facto, instituto, exemplo, utriusque sumendæ præceptum eruere laboratis.

II. Pars subdivisionis: Nec præcepit verbo. *At hoc Christi factum lege insuper, clarissimis verbis ab eo lata, dicitis confirmari:* bibite ex hoc omnes, *inquit Christus apud Matthæum. Cur omnes? nisi ut hoc calicis beneficium, quod omnium saluti, commodo, utilitati est apparatum, ad omnes omnino pertinere significaret. Ita est Chari* Adversarii: bibite ex eo omnes, *præcepit Christus; at quæro à vobis: quos Divinissimus Servator* omnes, *hoc suo mandato voluit esse comprehensos? An totum universe humanum genus? at tum etiam ad Judæos, ad Turcas, cæterosve gentiles, nondum sacro baptismatis lavacro ablutos, sumendi calicis præceptum attineret? cum tamen Christus vetet sanctum dari canibus, & projicere margaritas ante porcos. An ad solos Christi fideles? sed tum amentes etiam, ac infantes, hac Christi voluntate obstringerentur; cum tamen Paulus Gentium Magister ad solos rationis usu præditos, qui se probare queunt, pertinere dicat:* probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quid igitur? Adultos fortasse fideles, jam mentis compotes, hoc Christi præcepto aitis esse devinctos? at, O Viri abstemii! qui naturæ inclementia à vini usu abhorretis, magnopere miseret me vestri, quod hoc difficili admodum bibendi calicis mandato urgeamini; cum tamen ipse* Brentius, *devotus cæteroquin Ma-*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

gistro *Luthero ad insaniam prope Theologus, imo ipse author naturæ DEUS, vos ab ejus usu absolvere videatur. Cæterum, si his Christi verbis:* bibite ex eo omnes, *omnes omnino adultos comprehendi existimatis, quid prohibet, ne ex Marci verbis:* biberunt ex eo omnes, *omnes omnino fideles, tunc Jerosolymis positos, bibisse contendatis; cum tamen Matthæi testimonio in ultima cœna solos duodecim Apostolos cum Christo novimus discubuisse, ac idcirco solos quoque duodecim de calice bibisse. Iis enim Christus dixit:* bibite omnes, *qui postea* biberunt; *ii porro biberunt, qui, Marco attestante, cum Christo discubuerunt; qui porro discubuerunt, quam duodecim? quibus ergo, nisi duodecim, præcepit Christus:* bibite omnes? *Tametsi autem soli duodecim bibêre; omnes tamen bibite, ait. Eccur ita? Prius, quam id expediam, sinite, ut è vobis quæram: quamobrem Lucas ad exprimendum Christi, calicem porrigentis, factum alia utitur verborum forma, quam Matthæus? Matthæus ait,* bibite ex eo omnes; *Lucas vero:* accipite, & dividite inter vos. *Cur* inter vos? *Ad pernoscendam penitus rei istius rationem, illud advertite: Christum, Divinissimum Magistrum, porrecto discipulis pane haud dixisse: accipite, & comedite ex eo omnes, quemadmodum dictum est de calice; sed tantum: accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Quam ob causam? Nunquid Christus panem porrexit omnibus manducandum? nunquid de porrecto pane omnes manducârunt, non secus ac de porrecto calice omnes biberunt?*

Ita

Ita est: omnes manducarunt; haud tamen Christus ait: accipite, & comedite omnes: nam Cœlestis Magister Christus panem, jam ante ab se in frusta divisum, singulis porrexit comedendum; non erat, cur diceret: accipite, & comedite ex eo omnes. Contra: Calicem haud ipse divisit; sed discipulis dedit dividendum, ne quis ergo totum exhauriat, sicque nihil cæteris obtingat; idcirco monet: accipite, & ex eo bibite omnes; quod perinde est, ac si dixisset: accipite, & dividite inter vos; sive, quod idem est: chari discipuli! accipite istum calicem, ast ex eo, æqua ratione inter vos diviso, ita bibite; ut inde omnibus, id est: singulis vestrum obtingat: bibite omnes. *En Adversarii! quod apud Lucam* inter vos, *hoc apud Matthæum significat* omnes. *An non vero particula* vos *solos denotat Christi Discipulos tum mensæ adsidentes? Et quid? vox,* omnes, *aliud denotabit?*

Complexio II. Partis. *Absit, O Christe, ut isthoc mihi persuadeam, ac credam! Dixisti equidem omnes; verum ita dixisti, ut non omnes omnino, sed solos tuos discipulos, eorumve successores, hoc tuo mandato volueris comprehensos. Incassum igitur declamasti* Bone Adversarie, *cum nupera Oratione tua è Christi facto, & verbis, in cœnæ institutione apud Matthæum prolatis, calicis præceptum pene ad ravim contendisti. Præcepit quidem calicem Christus; verum haud populo, sed Apostolis, sacrificium peracturis, quod Divinissimus Servator, effuso sanguine, per calicem significato, in Cruce voluit consummatum. Quam grandi ergo nos injuria*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

afficitis chari Adversarii, *cum repetundarum, injuriarumve, fidelibus illatarum, iniquissime postulatis, quasi vero negato populis calice injuriam miseris inferremus: amplius nobis Sacerdotibus; minus plebi, de rebus ad animæ vitam necessariis, tribueremus. Ita est: ajo: minus tribuimus; verum qua re? Una solummodo vini specie, nec ad vitam, nec ad salutem necessaria. Tantum namque rei [quod salutem attinet] populo præbetur una specie, quantum Sacerdotibus utraque: cum una perinde, ac utraque, toto vescamur Christo, qui non minus in una, quam in altera, imo quam in utraque, animæ nostræ tam famem, quam sitim explere potest. Expie, O Christe, tandem, exple; imo Divinissimo gratiæ tuæ, mentem illorum colustrantis, fonte præposteram Adversariorum sitim penitus tolle, ac extingue; ut una tandem panis specie contenti, nil porro contra, quam in Canæ institutione præceperis, audeant anhelare.*

PARS III.

CHRISTUS CALICIS USUM NON PRÆCEPIT POST INSTITUTIONEM PER PAULUM.

Tertia divisionis pars probatur rursum Enthymemate: Christus per Paulum duplicis speciei usum populo nec his præcepit verbis: hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem; nec istis: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; nec his denique: quotiescunque manducabitis,

&

& calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Ergo Christus calicis usum non præcepit post institutionem per Paulum. Subdivisio promitur ex tribus sententiis, à Paulo recitatis; hic vero explicatis. CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

Tertius hostium aries, quo Catholicam de calicis usu doctrinam, cum nupero, sed aerem verberante, Ministello, impetunt Adversarii, sumitur ex verbis post cœnæ institutionem à Paulo prolatis, quæ sapientissimus gentium Magister se à Domino perbibet accepisse, ac, ut accepit, Corinthiis tradidisse. Ego [*inquit* (a) *Paulus*] accepi à Domino, quod & tradidi vobis. *A Domino ait, ut cognoscatis Christum hic per Paulum ea, quæ memorat, præcepisse. Quid porro præcepit?* quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. *En primum, à Paulo promulgatum, sumendæ à populo panis speciei præceptum!* Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *Ecce alterum, à Paulo promulgatum, usurpandi calicis mandatum! dein utriusque simul:* Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quis bibat? homo Corin-*

a) *1. ad Cor., 11. ℣. 23.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

thius certe, non Sacerdos modo; sed profanus etiam; cum ad totam Paulus scripserit Corinthiorum Ecclesiam, quam jubet non solum de pane edere; sed una de calice bibere, & quidem ad commemorandam Christi, DEI ter Optimi Maximi mortis memoriam: quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *An porro soli Sacerdotes, an non etiam fideles mortis Christi debeant meminisse? Belle igitur sanctissimus* [*si superis placet*] *Magister scripsit* (a) Lutherus, *Pauli testimonium prosecutus*: ultimo stat invictus Paulus omnium obstruens ora. *Obstruit enimvero, & quidem ita obstruit, ut vos Domini* Papistæ, *ne biscere quidem ad hæc rite audeatis. Modeste chari Adversarii! quantum memet experior, nihil adhuc fœni, nihil capistri ori meo imposuistis; spem firmam habeo in DEO ter Optimo, Maximo, nec imponetis. Loquar igitur pro veritate libere, una tamen modeste, singula ex ordine, ut attuliſtis, prosecutus.*

I. Pars subdivisionis. *Admiror vehementer, vos Pauli testimonium tam audacter partem in vestram flectere audere. Non ergo advertitis, quid Paulus dicat? Dicit*: hoc facite in meam commemorationem; *at quomodo dicit? an perinde, ac, dum de pane loquitur? De pane locutus quid agit? an addit*: *hoc facite quotiescunque manducabitis? Neutiquam. Quid ergo?* simpliciter [*ut ajunt*] *& absolute, sine ulla*

a) *In libro de captiv. Babylon. Cap. de Euch.*

la lege, & conditione inquit, hoc facite in meam commemorationem. *Contra ad calicem transgressus, non utcunque ait*: hoc facite; *verum cum addita lege, verborum sensum restringente*, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. *Eccur ita? Nisi quia Paulus gentium Magister perbibet calicem populo haud esse ex præcepto bibendum; si tamen Ecclesiæ indulgentis arbitrio biberetur; ita bibatur, ut ad Christi mortis fiat commemorationem. Quare Paulus non calicem; sed si calix usurpetur, tum Christi mortis præcipit memoriam: quemadmodum si unus aliquis admoneretur: bibe merum, quotiescunque biberis, temperate; non utique ad merum bibendum; sed ad ponendum in mero bibendo modum stringeretur.*

II. Pars subdivisionis. *Non etiam diffiteor Paulum dixisse*: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Per hominem autem intelligi debere, non Sacerdotem modo Corinthium; sed hominem etiam profanum, ultro lubens admitto. At quid inde præcepti eruetis? quam ut homo [quisquis ille demum] Cœlestem hanc mensam aditurus, ita de pane edat, vel de calice bibat, ut tanto se cibo, vel potu, dignum probet. Ecce probandi, non vero bibendi præceptum! Dixi autem consulto*: vel calicem bibat, *ut intelligatis particulam copulantem &, disjungentis* vel *sensum obtinere: quasi Paulus diceret: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, vel de calice bibat. Ita porro accipi oportere, luculente*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

prodidit Paulus: Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. *En! quod prius copulante, hic particula expressum est disjungente. Quid superat? quam è Pauli mente, nullum sumendi calicis præceptum extare; si tamen Ecclesiæ indulgentis, vel præcipientis, voluntate biberetur; tum ita unumquemque animo comparatum esse debere, ut tanto dignus convivio hospes accedat.*

III. Pars subdivisionis. *At mortis Christi memoriam sumpto etiam calice recolere debemus. Debemus, non inficior: scriptum est enim*: hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem: quotiescunque enim manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. *Verum quando, qua lege debemus? nunquid tum solummodo, ac toties; quoties calicem bibituri sumus. Quasi diceret: calicem quidem Ecclesiæ arbitrio bibere potestis; haud tamen debetis; at si biberitis, tum, non manducando solum, sed una etiam bibendo, mortem Domini commemoretis. Commemoratis autem solo etiam panis esu. Nam licet absolutissima Dominicæ passionis, ac mortis memoria in Eucharistia, ut in sacrificio, sine utriusque speciei usu neutiquam habeatur, è Christi, ita rem instituentis, voluntate, qui Divina hac in cœna, ut in sacrificio, perfectam mortis suæ, & passionis imaginem in utriusque speciei usu voluit relucere; si tamen spectetur, ut Sacramentum, sat belle* [*tametsi non*

per-

perfecte, quod necesse non est] *hæc memoria à fidelibus, vel ex eo, recolitur; quod una species, sine alterius consortio usurpata, significet corpus à sanguine fuisse separatum. En! quam verissime* Lutheri, *sapientissimi enimvero Magistri, allatum paulum ante expletur effatum: Invictus ultimo stat Paulus, qui omnium, non equidem nostrum, sed vestrum,* Boni Adversarii, *obstruit ora.*

EPILOGUS.

Enumeratio motui, affectum fugæ hæretici erroris continenti, permixta, juxta Tomulum (*a*) priorem. *Desinite jam ergo O boni Adversarii, desinite hanc sanctam, atque integerrimam de duplicis speciei usu, Laicis neutiquam præcepto, fidei Catholicæ doctrinam impugnare. Desinite Sanctissimum Ecclesiæ prohibentis morem accusare, quasi negato calice, Divino Christi mandato injuriam irrogaret. Quod enim est vel minimum sacris in literis momentum, unde calicis, cum pane à populo usurpandi, præceptum eruere valeatis? An fortasse illud Joannis ante institutionem: nisi manducaveritis carnem filii hominis; & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis? at hic à Christo rem solummodo, & substantiam; non item modum esse præceptum luculentissimis argumentis comprobatum habetis. An fortasse ex Christi institutione apud Matthæum? ast ibi Divinissimus Servator nec facto, nec verbo* [*ut audistis*] *ad usum*

a) *Tom. I. l. 2. p. 2. Cap. 3. Art. 4. §. 3. p. 544.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

usum calicis fideles voluit esse obstrictos. An fortasse ex Paulo post institutionem? ast erratis, O boni Adversarii, si Paulum dogmati vestro favere existimatis; è verbis certe illius in examen, ac trutinam revocatis, oppositum eruere debetis. Quid ergo? Non aliud profecto, quam ut Ecclesiæ, arcis illius inconcussæ, columnæ, ac firmamenti veritatis, arbitrio vosmet subjiciatis. Nolite porro [ut hactenus] ob unum calicem tot secessiones, tot bella, tot cruentas ciere cædes. Æstimate, quæso, vos multo consultius facturos, si ita in animo vobiscum reputetis: ego unius speciei usu totum Christum [cujus unice fame teneor, siti ardeo] æque consequor, ac usu utriusque. Quid est quod amplius calicis speciem concupiscam? Si Christus in solo pane in Emauntis castello duobus semet Discipulis præbuit manducandum: si solo vescenti pane vitam pollicetur sempiternam; ecquid porro pro vini signo tot tantasque turbas cieam? Sto firmus, & constans Ecclesiæ judicio, quam scio divinitus firmius esse communitam, quam ut tanto errore labefactata concidere queat. Credo igitur, & quidem firmissime credo Christo inquienti: qui manducat hunc panem [*tametsi solum sine calice*] vivet in æternum. *Dixi.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE QUARTO, SEU MIXTO, CONCIONIS POLEMICÆ MODO.

QUartus Concionis Polemicæ modus est mixtus, è tribus quos ante memoravi, & explicui, modis exortus. Hæc autem mixtio potissimum consistit in partitionis, aut suppartionis, vel etiam confirmationis, & argumentorum dispositione. Quinque autem hoc modis fieri potest: singulos refero.

§ I.

Modi Concionis Polemicæ mixti.

I. MOdus est: *adserendo*, & *impugnando*: cum Orationis partitio, & structura ita disponitur, ut prima illius parte dogma Catholicum asseratur, altera dogma Hæreticum impugnetur; aut vicissim prius Hæreticum impugnetur, postea Catholicum asseratur. Sit exemplum utriusque. Primi: Catholica peccatorum confessio est utilis, ac necessaria; Hæretica nec est utilis, nec necessaria. Alterius: Corpus Christi in Eucharistia non manducatur sola fide; sed manducatur simul ore.

II. Modus: *asserendo*, & *propugnando*, sive confutando: cum prima dictionis parte doctrina Catholica è suis rationibus adstruitur; altera Hæreticorum objecta, vel responsa refutantur. Verbi causa: festo SS. Petri, & Pauli, in illud: *Tu es Petrus, & super*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. 1.

per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. 1. Petri primatus, est veritas Petræ innixa. 2. Nullis inferorum telis hactenus expugnata. Vel pars prima objecta, aut responsa confutat; altera Catholicum dogma adstruit. Sit exemplum: Eucharistiam sub utraque specie à Laicis sumendam nullibi Christus præcepit; Ecclesia porro gravissimis de causis prohibere potuit.

III. Modus: *Impugnando*, & *propugnando*: cum pars una dogma Hæreticum impugnat, altera Catholicum propugnat, aut vicissim. Vel una pars Hæreticorum errores impetit, altera responsiones, quibus errorem tuentur, refellit. Hoc modo constructam habuimus aliquando concionem festo Theophoriæ: Si Calvinus de Domini Cæna vera docet, Christus fallitur; si porro non fallitur, ut re ipsa non eum falli contendunt Adversarii, Calvinus errat: secunda pars continebat responsionum, quibus Christum à falsitatis nota, salva Calvini doctrina, absolvere nituntur Adversarii, confutationem.

IV. Modus: *afferendo*, *impugnando*, *refutando*. Cum partitio, vel Orationis artificium, ita disponitur, ut parte prima veritas Catholica adstruatur; altera error hæreticus impugnetur, aut vicissim; tertia responsiones, aut objecta Adversariorum diluantur. Verbi causa. Ecclesia Romana est

arx

arx 1. Solidissimæ petræ innixa. 2. Huic adversæ sunt domus super arenam ædificatæ. 3. Nullis illa hactenus inferorum armis expugnata. CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

V. Modus. Miscetur adhuc Oratio Polemica, cum in ea unumquodvis membrum divisum ita disponitur, ut una subdivisionis parte sit asserens, alterâ impugnans, aut vicissim; vel in una impugnans, in altera propugnans, seu confutans; vel asserens in una, in altera propugnans. Aut si Oratio subdivisione careat, ita argumenta disponuntur, ut in quovis membro divisionis alia sint asserentia, alia impugnantia, aut vicissim: Vel impugnantia, & confutantia: Vel prius asserat, postea confutet, ut nempe Oratori visum fuerit, vel materiæ ratio exegerit. Habet hujusmodi arte constructam Polemicam Concionem Cæsar Calini (a). Denique misceri potest: Si pars una Orationis sit Polemica, altera Moralis (b).

§. II.

Paradigma hujus mixti modi.

SIngulorum, quos nunc attuli, modorum exempla dare, longum sane, & operosum foret; adfero tamen unius, tertii nimirum,

a) *Predica della Fede, estratta dal Quaresimale del P. Cesare Calino della Compagnia di Gesu distribuita negli Esercizi Spirituali del 1747. Vienna*

b) *Cujus idæam præbet Segneri in Quadrag. Serm. 20. quo Christum probat esse Deum.*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

rum, olim à me dicti, modi idæam, ex qua facilis reliquorum haberi potest. Hujus exordium Tomulo priore jam est relatum; siquis reliquum etiam à me corpus deposceret, en totam, ex Ungarico latine redditam, hic subjicio.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Joan. 6. ℣. 56.

Partitio Orationis: 1. *Si Calvinus de Domini Cœna vera docet, Christus fallitur.* 2. *Si porro Christus falli nequit, Calvinus errat.*

EXORDIUM.

Ingressus à sententia in modum similitudinis. *Divus Bernardus à mellita, qua præditus erat, facundia dictus mellifluus, præposteram fallacis mundi judicia confutaturus, hoc quondam argumento usus erat* (a): Aut iste, *Christus nempe*, fallitur, aut mundus errat; sed Divinam falli impossibile est sapientiam, merito proinde & carnalis prudentia (mors siquidem est *ipsa*) inimica est DEO, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. *Quasi diceret: Vel Christus fallitur, vel mundus errat, sed Christus falli non potest, ergo mundus errat.*

Descensus cum Apodosi. *Liceat etiam mihi Auditores hodierno sermone meo ad miseros, & infelices (quorum ingens me certe miseratio tenet) Calvini sectatores, veram Christi in Eucharistia præsentiam inficiantes, pari quidem forma,*

a) *Serm. 3. de Nativ. Domini.*

ma, sed dispari complexione, hoc idem argumenti genus adhibere: vel Christus fallitur, vel Calvinus errat; sed Novatorum opinione Calvinus non errat; igitur Christus fallitur. Credo mirari vos Auditores: quod ego, qui Sanctum JESU nomen fero, interposita voti religione eidem authoratus, tam grandem, & atrocem, ad quam ambæ tinniant aures, blasphemiam ausim evomere, ut Christum æterni Patris Filium, Divinam sapientiam, ac veritatem falli, ac fallere nesciam, erroris, ac falsitatis accusare non perhorrescam. Fateor: si id de meo prognatum foret cerebro, dignus essem enimvero, ut, crinibus arreptus, confestim in judicium vocarer, atque hoc in eodem foro, publica Senatus, populique sententia, ut olim Servetus (a), ob jactam in Christum blasphemiam, Calvini, cæterorumque in Helvetia Ministrorum, authoritate Genevæ rogo addictus erat; ego etiam temeritatem meam pari igne expiarem. At quoniam non mea, sed Adversariorum [parcite dilectissimi candide loquenti] è mente, ac sententia loquor; cujus dicendi opportunitatem eorum mihi doctrina, & opinio dedit; ignoscite, si iterum, atque iterum repetam: vel Christus fallitur, vel Calvinus errat; sed Calvinus haud errat; igitur Christus fallitur. At quæretis ex me Auditores: Ubi fallatur? Ne longe discedamus, ajo: si Calvinus vera docet, hodierno fallitur in Evangelio, dum in pane Eucharistico, quem Calvinus puram, putamque Christi corporis ait esse figuram, ac proinde

a) *Beza in vita Calvini.*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

inde non verum, ac [*ut dicere solemus*] realem, *sed* metaphoricum, *ac spiritualem tantummodo tradit esse cibum; Christus contra carnem suam affirmat vere cibum, & sanguinem suum vere potum:* Caro mea [*inquit*] vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *En! si Calvinus non errat; hic, hic, Christus fallitur; aut certe cum Divinam impossibile sit falli sapientiam, Calvinus errat.*

Partitio conjuncta propositioni. Ecce duo gladii! *Videte Auditores, quam oportune, ac commodum allatam dictionis principio Lucæ sententiam usurparim: duos hic esse gladios, in ipsa Novatorum fabrica procusos, atque è publicis eorum armamentariis depromptos, mihique traditos, ut in eorum capita distringerem, ad animos salutariter quidem feriendos; haud tamen cruentandos. Triennium est, quod, hoc eodem superiore de loco, ad vos verba fecerim, simili prope argumenti genere usus: si Christus DEUS est æternus, re ipsa præsentem adesse oportet in Eucharistia. Si porro nequit esse præsens; nec æternus potest esse DEUS. Habuit suum (quod DEI præpotentis beneficium erat) pondus Oratio. Nunc etiam in eadem Numinis Optimi, & Maximi, benignitate confisus, spe teneor firmissima, suo haud mihi defuturum auxilio. Verum ut ex ordine procedat Oratio, ita dicere constitui: si Calvinus non errat, Christus fallitur, quod primum. Si vero Christus falli nequit, ut Divinam impossibile est falli sapientiam, Calvinus errat; hoc alterum erit dictionis caput.*

De-

CAPUT III. ART. IV. §. II.

Deprecatio, & invocatio. *Da veniam Christe JESU! si fortasse asperioribus, quam par esset, ac tuam addeceret Majestatem, verbis utar. Nosti mentem, & animum Oratoris, haud tuam ab eo hac re intendi ignominiam, sed gloriam; non dedecus, sed honorem; non calumniam, sed laudem, si fieri posset, toto orbe propagandam, atque ipso, si tulerit occasio, sanguine contestandam. Vos etiam Dilectissimi Auditores, filioli mei, quos ego (ut Gentium Apostoli verbis utar) iterum parturio, donec formetur in vobis Christus, ac tenerrimo, quam possum maxime, amoris, ac pietatis sensu complector; nolite existimare, si quidpiam vestris forsan auribus gratum minus dixero; id vestri, aut doctrinæ vestræ, vel Magistri vestri criminandi, & probris afficiendi causa dicere; sed unius veritatis declarandæ studio, ac salutis vestræ procurandæ desiderio, quam ardentissime percupio, à me proferri, persuasum habeatis. Adsis dicenti DEUS, ut mea in animis Auditorum valeat Oratio!*

PARS I.

SI CALVINUS SUA IN DOCTRINA NON ERRAT, CHRISTUS FALLITUR.

Prima Divisionis pars probatur syllogismo quadripartito (a) sine subdivisione: Calvini doctrina hæc est: Christi corpus in

a) *Consulto in hac Oratione confirmationem, sine subdivisionis artificio, adornavi, ut tirones ita dispositæ Orationis Polemicæ habeant ideam.*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

pane Eucharistiæ non manducatur vere, ac re ipsa, sua in substantia; sed solum tropice, ut in figura, per fidem; sed si hæc doctrina est vera, Christus fallitur; cujus ratio est: quia Christus huic doctrinæ adversatur, dum ait: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: vere enim idem est: ac re ipsa, sua in substantia est cibus, & potus. Ergo, si Calvinus sua in doctrina non errat, Christus fallitur.

Major, sive propositio. *Prius, quam Christus falsitatis arguatur, complures vestrum, existimo, ex me cognoscere velle: in quo positus sit Calvini, Clarissimi enimvero Magistri, cæterorumque ejus sectatorum, in hoc saltem Hungariæ Regno, de Domini cœna error potius, quam doctrina? Faciam hoc eo lubentius, quo illud habeo mihi compertius. At interea parumper consideamus: dum rem penitus ad assem exponam, ac declarem. Ajunt Calvinicolæ unamini consensione: sanctum Christi corpus in Domini Cœna vere, ac re ipsa, sua in substantia haud contineri; sed solum tropice, ut in figura, ut in signo, ut in imagine, per virtutem tantummodo, ac energiam; non secus ac Principis, vel alterius Heri cujuspiam, voluntas, ac imperium adest in edicto, manu ejus signato, & subscripto. Vel certe si pro curia, aut regni palatio, Principis Augustæ, Mariæ Theresiæ, Reginæ Apostolicæ, ac potentissimæ, statua, vel imago in throno locata, proponeretur; tametsi Princeps ipsa coram haud adesset, adesse tamen censeretur tropice; in ima-*

imagine, ceu in signo exteriore. Quando igitur Divinissimus Servator Christus, sacros apud Evangelii Scriptores, panem sui corporis, calicem vero sui sanguinis nomine compellat; non aliud è mente intelligit adversariorum; quam panem sui corporis, calicem vero sui sanguinis, purum esse, putumque signum, typum, & figuram; quemadmodum regium edictum, vel imago est putum regiæ personæ, aut voluntatis signum. Ac idcirco, dum Christus præcipit, ut sua edatur caro, sanguis vero bibatur; haud præcipit ut re ipsa, sua in substantia, ore corporeo illa edatur, & iste bibatur; sed solum tropice fidei nimirum, ac spiritus ore: non secus, ac dum Cæsaris imaginem in throno collocatam illatâ quis contumelia è solio deturbaret, vel curvato poplite honoraret, non equidem ipsum Augustum, sua (ut ajunt) in persona afficeret; attamen tropice, in figura, in imagine, haud levi injuria lacesseret, vel honore decoraret. Hanc porro tropicam, spiritus, ac fidei ore factam, Christi corporis manducationem, in eo positam esse docent: illo ipso, quo panis Eucharisticus in Christi, pro salute nostra corpore passi, tempore memoriam manducatur; calix vero in ejusdem Christi, Sanguinem, ac vitam profundentis, memoriam bibitur; una ajunt: se fide interna hanc ipsam Christi Servatoris passionem, ac mortem credere; & hujus fidei interioris, quam illi spiritus, item: fidei vocant manducationem; exterius signum est ore corporeo peracta panis manducatio, & calicis sumptio. Præterea: quemadmodum panis, modo corporeo sumptus, humanum corpus naturæ

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

virtute alit, vegetat, roborat, ac sustentat; ita Christi corpus illo ipso, quo panis Eucharisticus in ejus memoriam sumitur, tempore, Divina virtute hominis animam nutrit, ac confortat; & hujus interioris animæ, ac spiritus nutrimenti signum est exterior illa, panis virtute facta, corporis nutritio. Et hæc est Calvini, ejusque sectatorum, hoc saltem in regno, communis, & pervagata, errorum tamen plenissima, opinio verius (ut dixi) quam doctrina.

Minor. *Nunc ad vos convertor Auditores: quid est? creditisne hanc, belle certe explicatam, Calvini sententiam esse veram? si non? Deo Optimo sint gratiæ immortales! quod præstitutum ante tempus, nihil quidquam opinatus, spem ultra meam, nullo pene labore, propositum orationis scopum contigerim:* Calvinus errat. *At quoniam neminem vestrum recantati erroris signum sustiliisse video; existimo vos omnes priori adhuc in opinione persistere, una mente, una voce, eadem, ac prius, sentire:* Calvinus non errat. *Si ita? Eheu! miseret me tui O Christe! quod adversarii, qui te hactenus verum, ac æternum fuisse Deum; veram, ac æternam fuisse sapientiam; veram, ac æternam fuisse veritatem, falli, ac fallere nesciam, semper credebant; nunc, mutato repente consilio, non jam sapientiæ, sed grandis insipientiæ; non jam veritatis, sed summæ falsitatis; non æterni DEI, sed hominis (O ingentem blasphemiam!) mendacissimi, fœdissimis titulis, ac nominibus debeant compellare.*

Ratio

Ratio minoris (a). *Date veniam* (Major.) *Chari Adversarii, me asperioribus, quam par sit, in Christum verbis uti: huc me vester vel invitum impellit error. Habent quippe errores id sibi proprium, ut, catenæ instar, colligati, unus alterum consequantur. Vos ipsi ponderate (si libet) Adversarii: quid, oro, de homine illo statueretis, qui se cæteroquin sapientem, doctum, prudentem, perspicacem, veritatis studiosum, nulli errori obnoxium, arbitraretur? interea luculentæ veritati, sibi belle perspectæ, studiose adversaretur? oppositum consulto doceret? contrarium spargeret? Nunquid una mente, una consensione, hominem istiusmodi mendacissimum diceretis esse impostorem, vel certe dementissimum sycophantam?* Minor. *En chari Adversarii! si Calvinus vera docet (parcite viro bonoris vestri, & salutis studiosissimo, quod veritatem non convitiandi, sed erroris vos dedocendi causa candide proferat) si inquam Calvinus vera docet, Christum homini, paulum ante descripto, persimilem statuatis, oportet.* Complexio. *Christus enim cœlesti præditus sapientia, omnem omnino veritatem perspiciente, perbelle nosset Calviniana*

a) *Syllogismo rursum quadripartito probata, juxta modum Tomulo priore memoratum l. 2. p. 2. Cap. 2. §. 1. Num. 2. pag. 449. Ille fallitur, qui veritati, sibi compertæ, studiose adversatur, & contrarium docet; sed Christus veritati, si Calvinus non errat, adversatur. Ratio est: nam Calvinus Christi corpus ait esse tantum tropice cibum; Christus autem vere cibum; vere autem nequit esse cibus; nisi reipsa, sua in substantia, non fide solum, sed ore simul, sit manducandus. Ergo si Calvinus non errat, Christus fallitur.*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

næ (*si vera foret*) *doctrinæ æquitatem; si ergo ei consulto adversaretur, si rem prorsus oppositam doceret* (*quemadmodum re ipsa docet*) *quid? quam Christum gravissime falli, vosque fallere velle, concludatis, oportet.* Ratio minoris (*a*). *Conferte, si placet, Christi, ac Calvini doctrinam, quantum sibi refragari advertetis? Calvinus Domini cœnam purum, putumque Christi corporis, & sanguinis signum affirmat. Christus contra non signum modo, sed una vere suum corpus, suum sanguinem compellat. Calvinus Christi carnem, & sanguinem solum tropice, fidei nimirum, ac spiritus ore sumendum, cibum, & potum esse docet. Christus contra non fide solum, sed ore etiam corporeo, vere, ac re ipsa manducandum esse dixit. Et quidem eo dixit tempore, quo Capharnaitæ, non secus ac hodierni Calvinicolæ, de hoc argumento acriter inter se litigabant: quo amantissimus cæteroquin discipulorum Magister Christus, ad avertendam eorum offensam, & præpediendam discessionem, omnem ex animo dubitationem tollere, veritatem vero quam maxime declarare debuisset. Et reipsa poterat facillime, si, sua interpretatus verba, dixisset: carnem suam esse equidem cibum; at non verum; sed solummodo metaphoricum, spiritus ore manducandum. At Christus haud ita suam explicuit mentem; imo asseverantibus aliud verbis edixit hodierno in Evangelio, dum carnem suam ait esse cibum, at non qualemcunque, sed vere cibum; & sanguinem suum ait esse potum; at non qua-*

a) *Complexioni postposita, juxta modum Tomulo priore relatum, l. 2. p. 2. Cap. 2. Art. 2. § 1. pag. 450.*

qualemcunque, sed vere potum: Caro mea *(inquit Christus)* vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Advertite! quid dicat*: vere cibus, & vere potus. *Si vere cibus? igitur panis Eucharisticus est vere Christi corpus. Si vere Christi corpus? igitur hoc sanctum vere manducatur corpus. Eo enim modo hic panis est Christi corpus, & hoc sacratum ea ratione corpus manducatur, qua Christi caro est cibus, & sanguis est potus; at nunquid, divino ipsius Servatoris testimonio, caro non utcunque, sed vere est cibus; & sanguis non utcunque, sed vere est potus? quid superat? quam Eucharisticum panem non utcunque, sed vere Christi corpus esse debere, nec utcunque, sed vere manducari oportere. Quis autem panem vere Christi corpus affirmet? Quis hoc sanctissimum vere manducari corpus asserat? nisi panis re ipsa, sua in substantia, sit Christi corpus, & re ipsa, sua in substantia hoc manducetur corpus. Quod tropice, fide solum editur, aut bibitur; hoc utique non vere bibitur, nec vere manducatur? Perpendite! si Christus solum in speciem, & apparenter, (ut ajunt) quemadmodum spiritus Saulis, à mortuis surrexisset, an Discipuli ex vero dicere potuissent*: surrexit Dominus vere? *Aut si centurio Christum, visis in ejus morte miraculis, solum tropicum fuisse Deum cognovisset, an ex vero poterat exclamare*: vere filius Dei erat iste? *Et quid vos chari Adversarii? si Christi caro tropicus solum est cibus, an tam affirmate eum dicere potuisse credetis*: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus? &c.

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

Complexio I. partis. *Dispicite jam Auditores, ac ex his, in trutinam revocatis, judicate: an non Christi Servatoris verba luculente refragentur Calvini doctrinæ? Et cum hæc, è mente sectatorum, vera esse credatur, an non Christus veritati adversetur? si adversatur? quid clarius, quid apertius esse potest, ac quod Orationis principio dixeram: si Calvinus non errat, Christus fallitur? Si porro fallitur? quid mihi, & vobis, cum ejusmodi Christo, errori obnoxio? Ite, oro, ite, & sacratas (si res ita se habet) ejus honoribus aras evertite, destruite templa, exscindite simulacra: sacros Evangeliorum codices (si tamen sacri jam dici possunt) igni tradite, ac concremate: sanctum, quod hactenus erat (& re ipsa est) Christi nomen abjurate, ac è toto, si potestis, orbe, flamma, ferro exterminate. Hic est scopus, hic est fructus, hæc sunt consectaria doctrinæ vestræ cbari Adversarii: quod Christum DEI filium, æternam sapientiam, infinitam bonitatem, pro salute vestra vitam, sanguinem profundentem, falsitatis arguere; imo, quod gravissimum est, abjurare debeatis. Miseret me sane vestri magnopere cbari Adversarii, quod in tantum malorum discrimen præcipites vos conjiciatis. Vultis inde salvi emergere? lubens funem porrigam, viam præbebo; modo consilium non detrectetis. Cum Christum infinitam esse sapientiam, nec ulli errori, quo vel ipse falli, vel nos fallere queat, obnoxiam esse credatis; contra Calvinum, tametsi prudentia, doctrina, facundia, fide præditum fuisse virum affirmetis; nihilominus tamen errori, quo falli, vosque*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

que fallere, saltem poterat, subjectum ultro admittitis; quid restat? cum mens sana, & ratio dictet: amplius semper illi deferendum esse, qui ab omni remotus est errore, quam qui obnoxius est errori; si è duobus alteruter, Christus nempe, vel Calvinus, falsitatis est accusandus; Calvinum potius, quam Christum, accusetis oportet. Quare convertite telum cum Bernardo, ac dicite: vel Christus fallitur, vel Calvinus errat; sed Christum, divinam impossibile est falli sapientiam; igitur Calvinus errat. En consilium! En via! hanc inite: emergetis.

PARS II.

SI VERO CHRISTUS NON FALLITUR; CALVINUS ERRAT.

Altera divisionis pars probatur syllogismo quinquepartito: ideo Calvinus non erraret: quoniam Calvini doctrina conciliatur cum Christi verbis. Hujus ratio est; nam Christus non aliter se vere cibum compellat, ac se veram vitem dicit, nimirum: veritate figuræ, & similitudinis; non item substantiæ. Sed Calvini doctrina hoc modo cum Christi verbis conciliari non potest. Cujus ratio rursum redditur syllogismo quinque partito, quem infra referemus. Ergo si Christus non fallitur, Calvinus errat.

Major. *At tametsi non videam; mente tamen perspicio: quid animo cogitetis? Heus, (ait unus vestrum aliquis tacite apud animum) Vir clarissime! hoc consilium, quod præbuisti prorsus*

non

CAPUT III. ARTIC. IV. §. 11.

non est consultum. In speciem videtur sapiens, doctum, prudens; at in eo latet anguis in herba. Inconsultæ mentis indicium est, minimæ quavis auræ statim commoveri, vel colori cuivis credere: nec enim omne, quod splendet, aurum est. Christus, veritas ipsa dixit æterna: lupos peræpe rapaces ovium vestimentis tegi. Illud etiam perbelle novimus: non ad quemvis hostium receptum, semper, & illico canendam esse victoriam; crebro evenit, ut hostis stratagemate usus, à tergo revertatur, & militem, prius, quam oportuisset, castrorum prædas agentem, aggressus, ad internecionem profliget. Expectandum parumper erat, ut quo res desineret? videamus. Quid si dilematis tui, in quo vim omnem collocas, fundamentum subruamus? Quid si clarissimis momentis, nec Christum falli, nec Calvinum errare, comprobabimus? Quid tum ages? nunquid arcem solum in aere te construxisse sero damnabis? Non equidem nego divinissimum Servatorem dixisse: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus; *sed ad mentem, ac doctrinam Magistri Calvini hoc esse intelligendum. Est vere cibus, sed spiritualis tantummodo, qui animam hominis in pane Eucharistico, ut in vero suo typo, & figura, fide sumptus, vere nutrit, ac pascit modo spirituali; non secus ac panis vere corpus nutrit modo naturali.*

Ratio majoris (a). *Ita porro* (Antecedens) *Christi verba intelligi posse, imo debere, lucu-*

a) *Enthymemate à simili ducto proposita: Christus se veram veritate solum figuræ, non item substantiæ, vitem dicit. Ergo etiam corpus suum verum veritate si-*

lucu'entum Christus ipse præbet fundamentum. Quid agit: cum se veram vitem, veram lucem compellat? An idcirco quod veram *dicat, re ipsa ne veram, veritate substantiæ vitem intelligit, an tantum veram veritate tropi & figuræ? quod nempe veram veræ vitis spiritualem habeat imaginem, ac similitudinem.* Spiritus est (*inquit Christus*) qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt, *id est spiritualiter sunt intelligenda, ut ait Chrysostomus. Ac idcirco cum Christus se vere cibum nominat, non aliud, quam veram veri cibi spiritualis se habere rationem affirmat.* Consequens. *Hoc porro si verum est (ut re ipsa verum esse oportet) quid consequitur? quam Calvini doctrinam cum Christi verbis belle, & opprime conciliari, nec hunc falli, nec illum errare; verum falleris tu, O bone Vir, quam gravissime; cum tantum innocuæ Calvini doctrinæ odium consias, injuriam irrogas, calumniam, bonis omnibus detestandam, accersis.*

Minor. *Superi prohibete hoc à me scelus! Absit! ut vel minimam vobis injuriam conscisca chari Adversarii. Testem, quem hic coram adesse credo, Præpotentem voco DEUM: nihil me convitiandi, nihil calumniandi, sed solius veritatis declarandæ causa, ab omni liberum odio, vacuum invidia, disseruisse. Vos porro, quod attulistis, credite: haud tantum ponderis, ac momenti habet, ut Calvinum cum Christo conciliare, illum*

ab

guræ, non item substantiæ cibum compellat, ac proinde Christi verba conciliantur cum Calvini doctrina.

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

ab errore absolvere valeatis. Manet fixum, ratumque: vel Christus fallitur, vel Calvinus errat; at, vobis ultro consentientibus, Christum Divinam impossibile est falli sapientiam; igitur Calvinus errat. Quod certe apertissime conficiam, si in allata Christi sententia comprobavero, particulam asseverantem vere, *non eo, quo præposteræ cum Calvini doctrina conciliare contenditis, sensu, & modo à Christo esse intellectam: quasi Christus carnem suam vere cibum dixisset; at solummodo spiritualem, veritate tropi, & figuræ; non item rei, ac substantiæ. Aggrediamur.*

Ratio Minoris (a). *Nemo ullus* (Major) *ambigere potest, Christum Servatorem, memorata toties sententia, Capharnaitis de carnis suæ, quam promisit, manducatione inter se litigantibus responsum præbuisse. Revolvite, si libet, sextum Joannis caput, & confestim perspicietis.*

Liti-

a) *Rursum syllogismo quinquepartito deducta. Cum Christus memorata sententia:* Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, *Capharnaitis, de hoc inter se litigantibus, responsum præbeat; eo sensu respondet, quo illi inter se acceptarunt.* Hujus ratio est: *quia secus præposterum Christus responsum præbuisset.* Minor. *Sed Capharnaitæ inter se litigarunt de vero (ac ut ajunt) reali, & non metaphorico manducandi modo.* Cujus ratio est, *quia secus stulte de hoc litigassent, stulte eapropter offensi discessissent; Christus ipse hanc spiritualem, & metaphoricam manducationem, ad tollendam Discipulorum offensam, declarasset. Ergo Christus carnem suam vere, veritate substantiæ, non autem solius tropi, & figuræ, ait esse manducandam; ac proinde Calvini doctrina nequit cum Christi verbis conciliari.*

Litigabant ergo Judæi *(ait Joannes)* ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? *Quid Christus*? Dixit ergo JESUS: Amen, Amen dico vobis: nisi manducaveritis, carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis. - - - Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Quapropter eo Christus carnem suam vere cibum modo asseveravit, quo Capharnaitæ de illo disceptarunt.* Ratio majoris. *Secus præposterum, nec ad rem, de qua agebatur, appositum daturus erat responsum; quod de sapientissimo quis Magistro credat*? Minor. *Jam dispicite: an non hic Capharnaitæ de vera, ac, ut ajunt, reali, non fide tantum, sed ore simul peragenda, carnis Christi manducatione disceptarint*? Ratio minoris. *Nam si de tropico solum (ut ante explicuimus) manducandi modo hic egissent: quid opus erat de hac metaphorica, ac spirituali, mentis humanæ captum neutiquam excedente, carnis Christi manducatione tantopere, quasi de re incredibili, disceptare*? *Quid propterea, quod Christus carnem suam vere cibum, veritate solum figuræ, asseverarit, tam graviter Discipulos offendi, ut ab amato adeo magistro fecerint discessionem*? *Cur Christus iis, hac re haud parum offensis, ad scandalum, & secessionem removendam, hanc spiritualem, & metaphoricam, quam perfacile poterat, manducandi rationem, ad vitam, & salutem animæ obtinendam perquam necessariam, noluerit explicatam*? *quod tamen in alio, baptismi nimirum,*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

rum, argumento præstitit Nicodemo. Quis vestrum cum Socinianis ausit dicere: dum Judæi, de Christi divinitate disceptarent, eumque, quia se DEUM faceret, lapidare vellent, quod de tropica solum Divinitate litigassent, Christumque solum idcirco, quoniam se metaphoricum, potestate tantum, non item substantia, DEUM fecisset, lapidibus obrutum voluissent? An tantum est scelus munere, & officio DEUM se dicere, ut quis eapropter, grandis velut blasphemiæ reus, lapidibus mactari promereatur? Vel si è sententia vestra promeretur; ite, mactate etiam judices, mactate Principes, mactate Reges, mactate Monarchas; imo (si potestis) ipsos mactate Angelos, quos sacræ literæ ob acceptam à DEO potestatem, & authoritatem, Deos compellant, vosque Principum, tanquam Dei, imperio obtemperare jubent, ut docet Paulus. Complexio. En! quam compertum est: quemadmodum Divinæ Scripturæ veram, ac æternam, & DEO Patri (ut appellant) consubstantialem, Christo adstruunt Divinitatem: Hic est verus DEUS (a); ita Christum de hac eadem vera, ac reali, non vero tropica, manducatione tam asseveranter dixisse: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, credatis, oportet. Hoc si ita? quis jam Christi dicta cum Calvini doctrina conciliari posse affirmet?

Confutatio. (b). At erit, qui dicat: Christus se veram veritate solum figuræ, non autem

a) 1 Joan 5. v. 20. b) Est hæc duorum, quæ in ratione Majoris principalis syllogismi attulimus, objec-

tem ſubſtantiæ, vitem compellat? Quid tum poſtea? Ita eſt: compellat. At ſi tantum hoc apud vos pondus habet, dicite: etiam Chriſtus ſe verum non ſubſtantia, ſed ſolum figura, & poteſtate Deum nuncupat? Videte! quo vos error ducat? Compellat; verum, quo ſenſu ſacrarum literarum ſententiæ ſint intelligendæ, hoc utique (è mente, ac lege Auguſtini) à verborum, vel præeuntium vel comitantium, vel conſequentium, adjunctis: aut à toto (ut ajunt) contextu, vel ex ipſo, de quo agitur, materiæ argumento eruere; ac depromere debetis. His porro attentis, quis mente ſanus non videt, Chriſtum ſe non aliter, quam figura, veram vitem compellaſſe; quemadmodum nos vocavit palmites; cœleſtem vero Patrem agricolam nuncupavit. Revocate in memoriam Chriſti dicta: quid ait? Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt - - . Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite (*en ſimilitudinem! en figuram!*) Sic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis; vos palmites: qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. *Contra: quid eſt toto Joannis ſexto capite, unde erui queat: quod Chriſtus Servator ſe verum, tropicò ſolum, ac ſpirituali modo, cibum intelligendum aſſeverarit? An illud fortaſſe:* Verba, quæ ego locutus

Horum, ſub finem totius argumentationis, cum ad complexionem, & perorationem acceditur, propoſita confutatio ſecundum ea, quæ docuimus, Tomulo I. l. 2. p. 2. Cap. 3. Art. 1. §. 1. Num. 2. pag. 512.

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

sum, spiritus, & vita sunt, *id est (ut Chrysostomus explicat)* spiritualiter intelligenda sunt? *At ultro lubens admitto*: spiritualiter *intelligenda esse; verumtamen non solum (ut vos contenditis) sed una (ut nos aimus)* realiter, *sua nimirum in substantia, Christi carnem esse manducandam; haud tamen eo, quo Capharnaitæ putavere, modo crasso, & carneo, quasi Christi caro venum in macello proposita, & lebete cocta, aut veru assa, foret sumenda; sed intelligenda sunt* spiritualiter, *id est (ut Theologi loquuntur)* sacramentaliter, *modo arcano (sunt enim sacramenta arcanissima animæ, ac spiritus nostri mysteria) sub panis nimirum speciebus velatam, fide simul, & ore esse manducandam. An fortasse illud*: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam? *At ultro hoc etiam profiteor, solam Christi carnem sine* vivificante *(ut sacræ inquiunt literæ) ejus spiritu, modo corporeo, & crasso sumptam, haud prodesse; attamen spirituali, vel (ut ante dixi)* sacramentali *ratione, sub panis, ac vini speciebus, fide simul, & ore, manducatam, magnopere proficere ad salutem. Christi dictum est*: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

EPILOGUS.

Cum enumeratione, motui, per affectum commiserationis, Hæretici erroris fugam urgenti, permixta. *Optarem dilectissimi Adversarii, ut vos etiam hac æterna, quam vobis calentissimis votis ex animo percupio, vita æternum felices aliquando viveretis. At heu vos mortali-*

talium infeliciſſimos! in eo extremæ infelicitatis ſtatu poſitos video, cum adverſus luculentam Chriſti, nec falli, nec fallere potentis, doctrinam Calvini, errorum Magiſtri, ſententiæ adhæretis, magnopere vereor (graviſſimo eapropter affectus dolore) ne ab æterna hac vita æternum miſeri excidatis, damno nunquam reparando. Quid enim eſt, quod Chriſtus dicit: qui manducat hunc panem, vivet in æternum? Qui manducat, *ait; at quomodo manducat? cum Chriſtus carnem ſuam vere cibum, & ſanguinem ſuum vere potum affirmet; is certe hac beata, ac æterna felix vita perfruetur, qui hunc panem non quomodocunque, ſed vere, non ſolum veritate figuræ, ſed etiam rei, ac ſubſtantiæ manducarit. Vos porro cum ita vere manducare detrectetis; quid aliud metuere poſſum, quam ut graviſſima Chriſti comminantis ſententia in vobis expleatur:* Amen, Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Affectus apertus. *O magne, ac miſericors DEUS! qui pronior es ad parcendum, quam puniendum: ad miſerendum, quam plectendum: per tuam te miſericordiam oro & obteſtor: hanc ab iis averte calamitatem! ne ſinas miſeros æternum perire! nunquid hos etiam, ad imaginem & ſimilitudinem tuam factos, eapropter condidiſti, ut hac aliquando vita perfruantur? Nunquid hos etiam, pretioſo filii tui ſanguine redemptos eſſe, voluiſti, ut hunc reipſa finem conſequantur? Eja, noli committere, ut tantum ſanguinis pretium ſit fructu*

CAPUT III. ARTIC. IV. §. II.

vacuum; *verum*, *qui omnem illuminas hominem*, *ad te venientem*, illuminare, *obsecro*, his *etiam*, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. Illuminare, *quemadmodum binos in Emaus castello discipulos in ipsa panis fractione illuminasti*. Illuminare, *quemadmodum Petrum*, *te abjurantem*, *in ipso perjurii scelere*, *benignissimis misericordiæ tuæ oculis respicere*, *ac illustrare voluisti*. Illuminare, *quemadmodum Paulum in ipso*, *dum te persequeretur*, *itinere sancto gratiæ tuæ lumine perfudisti*. Illuminare, *inquam*, *ad dirigendos infelicium pedes in viam cognoscendæ veritatis*. *Ast scio dilectissimi Adversarii*: *Christum Servatorem esse quidem mundi lucem*, *quæ omnem illuminat hominem*, *verumtamen non alium*, *quam*, *ut ipse ait*, ad se venientem. *Quare si vos præpotens*, *ac misericors DEUS*, *sanctis gratiæ suæ radiis præventos*, *nunc illustrat*, *nunc movet*, *nunc adurget ad veritatem*, *quam firmissimis modo stabilitam proposui argumentis*, *amplectendam*; *nolite*, *obsecro*, *obdurare corda vestra*; *sed vocem audite monentis*, *ut postea pleno lumine*, *solis instar*, *ad vos veniat illuminandos*. *Nolite*, *inquam*, *obdurare*; *sed venite*, *ac scrutemini Scripturas*, *adite Moysen*, *audite Prophetas*, *inquirite*, *interrogate*; *haud tamen Calvinum*; *sed Christum*, *ejusque Ecclesiam*, *unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *& Apostolicam*, *à qua Calvinus*, *non secus ac olim Capharnaitæ à Christo*, *fecit secessionem*. *Hanc*, *hanc audite*: *hoc*, *hoc facite*, *& vivetis*. *Dixi*.

INSTI-



INSTITUTIONIS ELOQUENTIÆ SACRÆ SPECIATIM

LIBER II.

DE STRUCTURA ORATIONIS SACRÆ IN GENERE PANEGYRICO.

ALtius provehimur: à *Didactico* genere ad *Exornativum*, vel (ut Græci ajunt) *Panegyricum*, aut *Epidicticum* progredimur. Est autem hoc genus Orationis ejusmodi, quod in laudem alicujus personæ, vel rei adornatur. Dicitur *Panegy-*

negyricum : quoniam [teste (a) *Dominico de Colonia*] olim in *Panegyri*, sive publico, solennique Græcorum, ad ludos faciendos, vel ad sacra, nundinasque in aliquo emporio celebrandas, undique convolantium, cœtu, ac conventu habebatur. Panegyris enim *Hederico* (b) est publicus cœtus, seu conventus : publica celebritas : item pompa, spectaculum : publicum convivium : vel nundinæ, mercatus, commercium : deducta ex voce πανι, omnis, universalis, & ἀγυρις, sive cœtus, & congregatio. Posterioribus subinde temporibus non in *Panegyri* solum, sed in quovis, nobiliore tamen, consessu, ut in senatu, dictæ de Principum laudibus orationes, *Panegyres* nuncupabantur. Cujusmodi fuere *Plinii* Junioris de *Trajano*, *Eumenii* de *Constantino*, *Ausonii de Gratiano*, &c. Nunc omnis dictio, laudem complexa, *Panegyrico* huic generi adnumeratur. Dicitur etiam *Epidicticum*, sive *Demonstrativum* : quoniam, cum aliquid laudatur, aut vituperatur; quid honestum, quid turpe sit, quasi digitis demonstratur. Quamvis autem *Demonstrativum* genus [teste (c) *Cicerone*] non solum sit in laudem, sed etiam in vituperationem rei alicujus, vel personæ; nihilominus à meliore, ac crebriore, sui parte, nimirum à laudatione, *Exornativi* nomen obtinuit : idcirco, quia quæ *Panegyri* celebrantur, quot laudationes, tot exornationes sunt.

a) *Artis Rhetor. l. 4. Cap. 1. § 1.* b) *In Lexico Græco.* c) *Cicero de Partit. Orator.*

laudibus, totidem quasi ornamentis, ornantur: vel certe, quia hæc Orationis species pictum, florens, ornatumque dicendi genus depoſcit. Nullus jam nunc vituperationum eſt uſus, niſi quis fortaſſe Hæreſiarcham unum aliquem *Arium*, *Socinum*, *Mahometem*, cæteroſque ſumeret vituperandos; quod pariter in more poſitum non eſt. In Eloquentia Sacra his temporibus *Panegyrici* potiſſimum in celebrandis Sanctorum laudibus occupantur, vel ad proferendam latius in terris eorum gloriam, & cultum: vel ad excitandam hominum erga eos fiduciam: vel denique ad eorum virtutes à nobis imitandas. Præter has, ſunt etiam aliæ *Panegyrum* ſpecies, à diverſis temporum occaſionibus, quibus haberi ſolent, nomen ſortitæ: Ut ſunt *Genethliacæ*, *Euchariſticæ*, *Epiniciæ*, *Funebres* &c. De his hoc libro tribus capitibus agam. *Primum*, de *Panegyrica* Sanctorum Oratione tractabo generatim. *Poſtea*: Modos adornandi ſacras Sanctorum *Panegyres* exequar ſpeciatim. *Demum*: reliquas *Panegyrum* Sacrarum ſpecies complectar ſingillatim. LIBRI II. PROLEGOMENON.

CAPUT I.

DE PANEGYRICA SANCTORUM ORATIONE GENERATIM.

PLus Sanctorum laudes, in Eccleſia DEI, Oratione Sacra celebrandi mos, vetuſtis jam olim Patribus fuerat uſitatus. *Sanctus Baſilius* complures hujuſmodi *Panegyri-*

CAPUT I. ARTIC. I. §. I.

gyricas Divorum Martyrum habet Conciones: similiter Sanctus *Gregorius Nazianzenus*, & Sanctus *Coryſoſtomus*. His quoque temporibus creberrimæ Sanctorum ſolent eſſe laudationes: eaſque jam *pure*, jam *mixtim* [in his ſaltem regionibus] adhibendi modus, & uſus invaluit. Hoc capite agam de *Panegyrica* Sanctorum Oratione, ac illius artificio generatim. Tria autem eo pertinere videntur: *inventio*, *diſpoſitio*, *ac elocutio*. Sit;

ARTICULUS I.

DE INVENTIONE PANEGYRUM SACRARUM.

AD inventionem *Panegyricæ* Orationis de Sanctis habendæ tria pertinent. 1. *Sententia Sacra*. 2. *Orationis thema*. 3. *Partitio thematis*. Ordiamur.

§. I.

De inventione Sententiæ Sacræ Panegyricæ.

QUod *Sacram* attinet *Sententiam*: in *Academicis* Sanctorum laudationibus, quales in celebritatibus *Academiarum* [unde *Academicas* voco] perſæpe haberi conſueverunt, nulla ejuſmodi *Sententia* uſurpatur. Ut tamen *Panegyricæ* de Sanctis dictiones, cujuſmodi, in ſolennioribus Divorum feſtis, in Eccleſia, ac templis, adornantur, Sacræ, & Eccleſiaſticæ Orationis, ac Divini nomen verbi retineant, ſemper quædam è

Scri-

CAPUT I. ARTIC. I. §. I.

Scripturæ locis deprompta eis sententia, fundamenti instar, præmitti solet. Cujus inveniendæ sequentes præstituo leges.

I. *Sententia Sacra* è quocunque Bibliorum, seu veteris, seu novi testamenti loco sumi potest; ornatior tamen erit, si ex ipso potius Evangelio, quod eo, quo Sancti memoria agitur, die legi solet; quam aliunde, depromatur. Hæc interdum est una; duplex interdum: quod tum evenit, cum Sacri *Panegyrici* die duplex Evangelium, *festi* nimirum, ac *Dominicæ* legi usuvenit; ut Sacra utrique Panegyris conformetur; ex utroque sententia promitur ab Oratoribus. Ita *Antonius Vieira*, celebris ætate sua Orator Lusitanus, Panegyricum Sanctæ *Theresiæ* Virgini sermonem dicturus, *Ulyssippone* in Ecclesia *Incarnationis*, convenientibus in Dominicam XIX. post Pentecosten duabus celebritatibus: nimirum Sanctæ *Theresiæ*, ac Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti; in Templo memorato, eo die peculiari religione culti, triplicem sententiam sumpsit, ut dictionem triplici solennitati appositam faceret. Prima erat Dominicæ: *Simile factum est regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo: & misit servos suos vocare invitatos.* Matth. 22. Altera erat devotionis Sanctissimi Sacramenti: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Joan. 6. Tertia fuit festi S. Theresiæ: *Simile est regnum Cœlorum decem Virginibus, quæ accendentes lampa-*

CAPUT I. ARTIC. I. §. I.

des suas exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Matth. 25. Thema Orationis fuit: *Maximæ gratiæ, quas Christus Sanctæ contulit Theresiæ, eædem omnino sunt, quas Christus Sanctum Eucharistiæ Sacramentum digne sumentibus conferre solet.*

II. Rei tractandæ [quantum fieri potest] ita congruat, ut confestim Oratoris propositum, ac thema aperiat, vel saltem, quo tendat, aud entibus suspicandi occasionem præbeat. Verbi causa: si de Sancto *Joanne Francisco Regis* panegyrim strueres, sententia Sacra: *Pauperibus Evangelizare misit me*, confestim propositum indicat, te *Joanni Francisco* pauperum Apostoli elogium tribuere velle. Adhuc aptior erit, si Sancti *characterem* [de quo post paullum uberius dicturi sumus] propius contingat. Ut de Sancto *Camillo*, infirmis ministrantium Fundatore illud Matthæi 10. ℣. 8. *Infirmos curate.* Aut de S. *Ignatio Lojola*, magno gloriæ Divinæ propagatore, illud Apostoli: *Omnia ad gloriam DEI facite.* Multo adhuc opportunior erit, si, præter *characterem*, circumstantiis loci, temporis, Auditorum, in quibus laudatio instituitur, fuerit conformata. Ita Sacer ille de Societate nostra *Anonymus* egerat Orator, qui festo Parentis *Ignatii* die, quo primus Templi, recens erecti, solennior ingressus habebatur, Sanctum laudaturus *Ignatium*, ex ipso diei Evangelio sententiam prompsit: *In quamcumque domum intra-*

intraveritis, primum dicite: pax huic domui, ac postea hoc Divum themate collaudavit: *S. Ignatius, magnus Divinæ domus zelotes: qui* 1. *multa DEO templa ædificavit.* 2. *Multa diaboli destruxit.*

III. Longe his etiam elegantior est futura, si ipsi quoque partitioni, Sancti præsertim [ut dixi] *characterem* exprimenti, locum præstet. Ut illud *Actorum* 6. de Sancto *Stephano* primo Martyre: *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo*: Sanctus *Stephanus*: 1. Plenus gratia ad annunciandum Christi Evangelium. 2. Plenus fortitudine ad illud morte sua contestandum.

§. II.

De inventione thematis Sacri panegyrici.

NOn secus ac in aliis; ita in *Panegyricis* Orationibus, initium faciendum est; à delectu argumenti, sive *thematis*, ac *propositionis*: unde postea, velut à fundamento, tota Orationis *Panegyricæ* structura depen. det. Quatuor autem maxime dotibus *Panegyricum* Orationis *thema* sit instructum.

I. *Sit unum*: Sancti enim alicujus solenniorem [de quo agimus] *Panegyricum* ex arte construere, non est simplicem, [ut *Vincentius* (a) *Houdri* notat] vitæ illius narrationem texere, vel ejus præcipuas actiones

a) *Prolegom. 2. Biblioth. Concion. in festa Sanctorum.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

nes more historico perstringere; sed has oportet ad quædam capita redigere, quorsum postea referantur omnia, quæ sunt scitu digniora. Hæc porro synopsis habeat suam, ut rite instituatur, *Thematis unitatem*, in omnibus Eloquentiæ sermonibus necessariam, quæ sit certa propositio, veritas, aut virtus aliqua, suas post in partes, quadam proportionis ratione conjunctas, dividenda. Ita Sanctum *Joannem Baptistam* argumento *thematis unitate* prædito collaudares, si *magnum* fuisse *coram Domino*, quo illum elogio sacer ornat Historicus, ostenderes: cujus postea partes, ac membra divisionis, sumi possunt, à ministerii, quod gessit, magnitudine: quia 1. *fuit magnus à Messiæ Præcursoris, quod gerebat, munere.* 2. *Quia fuit magnus à pœnitentiæ, quam prædicabat, rigore.* 3. *Quia fuit magnus à testimonii, quod, Herodis incestum coarguens, veritati perhibuerat, fortitudine.* Ecce propositionem *thematis*, ut dixi, *unitate* instructam, & in partes, huic argumento maxime propriàs, divisam. Unde *Vincentio* (a) *Houdri* neutiquam satis probantur Panegyres illæ, quæ duas, vel tres virtutes amplexæ, nullam rationem, & nexum habent cum *propositione*, sive *themate* latius patente, pro orationis argumento semper [ut ait] assumendo. Ita, qui repræsentaret Sancti *Antonii Abbatis* tentationes, solitudinem, jejunium, non haberet

a) *Loco citato.*

ret [ut laudatus Author inquit, & nos etiam priore Tomulo (a) docuimus] regulis appositam satis orationem, nisi tria hæc, tametsi totam Sancti vitam continentia, sub unum, quod Orationis *thema* sit, titulum colligeret, verbi causa: *Magni*, vel *perfecti Eremitæ*, quibus propria sunt: solitudo, tentatio, jejunium. *Solitudo, quam profitentur; tentatio, qua creberrime in solitudine exagitantur: jejunium, cujus remedio tentationes superantur.* Colliguntur autem variis à fontibus: primo à *statu*, in quo Sanctus quispiam vixit, vel à *munere*, ac *ministerio*, quod exercuit. Verbi gratia: si *Episcopus*, si *Apostolus*, si *Martyr*, vel *Doctor* erat, &c. ostendi potest: laudandum à nobis Sanctum omnes *status*, ac *muneris* sui partes expleviſſe. Sæpe tamen fit, ut quemadmodum alia, ita *Panegyrica* Oratio, sine tali prævio generali *themate* suam habeat *partitionem*; imo ipsa interdum *partitio thematis* vicem obit; quod tum fit, cum partes Orationis inter se differentes, in assumpta Sacra Sententia, velut in quodam semine, aperte, vel occulte continentur, vel alioquin inter se sunt unitæ, ac connexæ; ut, si ad invicem referantur, vel sibi sint oppositæ, contrariæ, repugnantes, &c. Vel denique ipsum *thema* jam in se divisionem complectatur.

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

II.

a) *Tom. I. lib. 1. Cap. 2. Art. 3. §. 1. Num. 3. pag. 42. Item: Tomul. I. lib. 2. Cap. 1: Art. 2. §. 1. Num. 3. pag. 117.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

II. Sit *simplex*, *ac naturale*. Verbi causa: S. *Ignatius est gloriæ Divinæ propagator*. S. *Josephus est Mariæ sponsus*. S. *Catharina mulier fortis*, &c. Non igitur thema sit *ementitum*, aut nimium *paradoxum*, vel admodum *nitens*, vel perperam *translatum*, au ab *allegoriis* ex rebus *naturalibus*, nullo Evangelii, aut Scripturæ fundamento nixis, vel ex *fabellis Poëticis*, aut ex *historia profana*, desumptis petitum. Item ab *anagrammatis*, vel *nominum notatione*, aut à *conjugatis*, putide accersitum, cujus exempla dedimus *Tomulo* (a) *priore*. Nec denique omnibus probantur themata *parallella*, cum aliis Sanctis comparationem habentia. At ego licet *allegorias* modo nominatas, vel *comparationes* nullo [ut dixi] fundamento nixas haud approbem; nec tamen omnes omnino excluſas habere volo, aut poſſum; præſertim, ſi ex *Evangelio*, aut ex alio *Scripturæ loco*, vel *Eccleſiæ*, aut *Pontificum*, vel *Sanctorum Patrum* dictis repetitæ, Sancti *Panegyrica* laudatione celebrandi, *characterem* contineant, apteque, ac prudenter ſint tractatæ, ut infra (b) uberius dicemus. Illa tamen probare *themata* haud poſſum, quæ Sanctis ſtatuas, coloſſos, pyramides, arcus triumphales, ſymbolis, lemmatis, picturis, acta vitæ referentibus, inſignes erigunt. Cujuſmodi erat illud *Anonymi*

a) *Tomul. I. lib. 1. Cap. 2. Art. 3. §. 1. Num. 1. pag. 39.* b) *Tomul. Poſteriore lib. 2. Cap. 2. Art. 8. §. 1. & 2.*

nymi Oratoris, qui Societatem noſtram illuſtre Divinæ gloriæ templum probaturus, pro aris, ad templi latera poſitis, ſtatuerat imagines, hominum de Societate in Sanctos relatorum; vel Divo *Joanni Baptiſtæ* panegyrim facturus ſymbola pro templi Academici *Tyrnavienſis* fornice propoſita, in laudationis argumentum ſumpſit explicanda. Hæc enim apud Oratores, ſaniore Eloquentiæ guſtu præditos, pridem jam abſoleverunt.

III. *Sit proprium*, id eſt: non vulgare, non commune, ac veluti deſultorium; verum ſit peculiare, ac *illius*, de quo agitur, Sancti *characterem* continens. Et hæc *Panegyrici thematis* dos quædam eſt à Tironibus quam maxime accuranda. Eſt autem *character*: nota, ſeu diſcrimen, quo Sanctus unus aliquis indicatur, & à quovis alio ſecernitur, vel ſaltem ita innoteſcit, ut nequaquam communibus aliorum veſtigiis inſtitiſſe videatur. Verbi cauſa: *S. Aloyſius Homo Angelicus*, vel *Juvenis Angelicus*, *S. Dominicus Evangelii prædicator*. *S. Franciſcus de Paula ſibi minimus; Deo maximus*. *S. Auguſtinus columna templi DEI, quæ illud ornavit, ac ſuſtentavit*. &c. Quæ jam communius, jam ornatius, ut Oratori allibuerit, poterunt proferri. Per *characterem* autem haud intelligo, ut nemini omnino ulli *thema* attribui poſſit: quis enim laudationum, ad eoſdem præſertim *Auditores* ſæpius dicendarum, hujuſmodi

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

modi semper argumenta reperiet? Satis erit, si assumptum Orationis *thema* Sancto, quem laudamus, re ipsa conveniat; aliis vero paucis, vel certe non quibuslibet promiscue. Aut si pluribus conveniat, per partitionem, vel suppartitionem peculiare evadat. Verbi causa in illud: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: S. Joannes Nepomucenus Christi Confessor*, thema est commune, quod proprium redditur per partitionem: *quia* 1. *Christum confessus est loquendo.* 2. *Quia confessus est silendo.* Vel tametsi partitio, aut suppartitio communia fuerint, modo argumentis, singularia acta, ad *characterem* pertinentia, continentibus peculiaria evadant. Fit porro, ut Sancti pluribus sæpe rebus, ac virtutibus inclarescant; unde plures quandoque unius Sancti *characteres* esse solent: ac tum perinde est, ab hoc, vel ab illo *Panegyris* sumere argumentum. Exempli causa Divi *Joannis Nepomuceni characteres* sunt: *silentium tribunalis Pœnitentiæ ipso martyrio sancte custoditum: lingua tot sæculis incorrupta: Patrocinium bonæ famæ* &c. Vel si *character*, quo Sanctus enitet, sit unus equidem generatim acceptus; verum plures in se species, & partes complectens; poterit thema jam ab hac, jam ab illa parte depromi; imo interdum debet ad Orationis varietatem, præsertim, si uni sæpius Sancto dicendæ occurrant laudationes. Exempli gratia: summus S. *Ignatii de Lojo-*

Lojola character est: *majoris DEI gloriæ propagatio*; at quoniam hoc genus plura in se continet, nimirum: *quod tricennis studia literarum aggressus sit, quod Hæresibus peculiariter bellum indixerit, quod ad Missiones orbe toto obeundas Ecclesiæ capiti quarto semet, totamque Societatem suam, voto obstrinxerit, quod publicas Juventuti scholas aperuerit, quod suo exercitiorum libello Christianam virtutem plurimum provexerit, quod doctrinam Christianam, & Sacramentorum crebriorem usum promotum iverit*, &c. hæc utique ampliſſimam plures *Ignatio* Parenti panegyres construendi materiam sufficient. Licitum etiam est uni tantum determinatæ virtuti, aut actioni immorari; quemadmodum summo alicui viro fas est elogium construere ob relatam singularem victoriam, vel ob rem aliquam grandiorem, insigni prudentia ad optatum finem perductam. Id vero tum maxime locum habet: cum reliquas Sancti virtutes, aut actiones, ad hanc unam, præcipuamque referre haud est operosum: velut *Andreæ Apostoli* acta ferme omnia ad Crucis amorem, & desiderium referuntur. At quæres: unde hic Sanctorum *character* erui potest? Ajo: magnum rei hujus adjumentum Tironibus præbet libellus *Durandi* Gallicus *de charactere Sanctorum*: item *Bibliotheca Concionatoria in festa Sanctorum*, opus præstantissimum *Vincentii Houdri* de Societate nostra Sacerdotis Galli, in quo, ad texendas Sanctis Panegyricas Orationes, omnes

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

aperiuntur characteres, ampliſſima cum materia ad eos concione deducendos. Cæterum, ſi particulares quis fontes ſcire volet: eruuntur *characteres*: 1. *Ex Sanctorum vita*, attente perlecta: quorſum enim ſingularia Sancti acta referuntur, illud eſt *character*, themati ſerviturus. Sic in vita Sancti *Franciſci Aſſiſinatis* ferme omnia ejus geſta ad tria revocantur, nimirum: ad *paupertatem*, *humilitatem*, & *Crucis amorem*: hæ tres igitur virtutes erunt Franciſci *characteres*. 2. Ex *Breviarii Romani lectionibus*, ſummam Sancti vitæ continentibus. 3. Ex *Orationibus Eccleſiæ*, plerumque Sancti *characterem* complectentibus. Sint exempla: de Sancto *Ignatio* orat Eccleſia: *Deus, qui ad majorem Nominis tui gloriam propagandam* &c. En Sancti character! *S. Ignatius Lojola majoris DEI Nominis gloriæ propagator.* De S. *Franciſco Borgia* habetur: *Domine JESU Chriſte, veræ humilitatis, & exemplar, & præmium, quæſumus, ut ſicut beatum Franciſcum in terreni honoris contemptu imitatorem tui glorioſum effeciſti*; &c. En character! S. *Franciſcus Borgias veræ humilitatis exemplar.* Item: *terreni honoris glorioſus contemptor.* De S. *Aloyſio* legitur: *Cœleſtium donorum diſtributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloyſio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia ſociaſti.* En character! *S. Aloyſius Juvenis Angelicus mirus vitæ innocentia, mirus vitæ pœnitentia.* Sic de cæteris. 4. Ex *Martyrologio Romano*, ſua Sanctis propria elogia attri-

attribuente. 5. Ex *dictis Pontificum*, aut *Sanctorum Virorum*. Ita S. *Aloysium Magdalena de Pazzis* dixit: *Martyrem incognitum; Benedictus* vero XIII. *Juventutis Patronum*. Ita S. *Antonium Patavinum*, cum Pontifex concionantem audisset, *arcam testamenti* appellavit. 6. Etiam *imagines* admonent characteris. Sic imago Divi *Joannis Nepomuceni* manu ori appositâ, silentium indicente, admonet *silentii in tribunali pœnitentiæ Sancte custoditi*. Imago S. *Joannis Francisci Regis*, rudes Catechizantis, admonet *doctrinæ Christianæ, inter rudes, singulariter ab eo promotæ*. 7. Sumitur *character ex statu, & conditione*, in qua quis aliquando positus erat. Verbi causa: si fuit *Rex*, si *Episcopus*, si *Judex*, si *Miles*, si *Doctor*, proponitur in ideam *Regis, Episcopi, Militis, Judicis, Doctoris*. Potest etiam sumi *character*, ex titulo, nomine, insignibus, ac inscriptionibus. Exempla reperies *Tomulo priore* &c. Unde, Panegyricam facturus Orationem, in eo primum elabora, ut Sancti *characterem* cognoscas, ac inde laudationis *thema* constituas.

IV. *Sit elegans*, de quo egimus *Tomulo* (a) *priore*. Erit 1. si *characterem* [ut sæpius dixi] continuerit. 2. Si assumptæ sacræ sententiæ, præsertim ex Evangelio depromptæ, congruerit. Sic festo *Xaverii* in illud ex Evangelio diei: *super ægros manus imponent, & bene habebunt*: Prodigiosum Xaverii brachium,

a) *Tomul. I. lib. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 3. pag. 160.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

ægris impositum, *profuit ægris corpore, ægris animo.* 3. Si circumstantiis celebritatis, verbi gratia: *loci, temporis, auditorum,* in qua *Panegyris* adornatur, fuerit accommodatum. 4. *Si paradoxum*, vel *antithesim* sapiat, aut *figura aliqua* vestiatur; at de his omnibus jam egimus, & quidem diffusius Tomulo (a) priore.

§. III.

De inventione partitionis sacræ Panegyricæ.

CIrca *partitionem* Panegyrici sacri duo sunt aperienda: primum *fontes*, postea *elegantiæ*. Fontes sunt vel *proprii* Eloquentiæ Sacræ, vel *communes* utrique.

I. *Fontes proprii*, & quidem 1. Ex *assumpta sacra sententia* partitionem aperte, vel occulte continente. Qui fons est maxime proprius, pulcherrimus, & sacris ab Oratoribus, quantum esse potest, singulariter consectandus. Sint exempla. 1. Ex *Segneri* in illud 1. Reg. 2. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum: S. Ignatius glorificavit Deum, & Deus glorificavit Ignatium.* 2. Ex *Vincentio Houdri* in illud *Isaiæ* 43. *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum: DEI manus Sanctum Ignatium creavit, formavit, fecit. Creavit: ex nihilo peccati, per pœnitentiam perfectam, educendo. Formavit: per varias cruces, labores, passiones exercendo. Fecit: per Apostolicum zelum perficiendo.* 3. De S. Francisco Sera-

a) *loco paulum ante citato.*

Seraphico in illud 1. Joan. 2. *Quidquid est in mundo, concupiscentia est oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ: S. Franciscus mundo Crucifixus, & quidem Crucifixus concupiscentiæ oculorum per paupertatem: Crucifixus concupiscentiæ carnis per mortificationem: Crucifixus superbiæ vitæ per humilitatem.* De S. Floriano (a): *Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & torques illius in stolam gloriæ.* Eccli. 6. ℣. 30. *S. Florianus à Divina providentia datus est Austriæ Patronus ad specialem ejus honorem, & gloriam:* In stolam gloriæ. *Datus est Austriæ Patronus ad specialem ejus protectionem:* In protectionem fortitudinis. 2. Ex *dictis Sanctorum Patrum:* Festo S. *Andreæ* ex illo Bernardi: *Non modo patienter, sed & libenter, verum & ardenter, ad tormenta, sicut ad ornamenta: ad pœnas, sicut ad delicias ibat. S. Andreas tulit Crucem 1. patienter. 2. libenter. 3. ardenter.* Festo S. *Ladislai* Regis Hungariæ ex illo S. Augustini: *Aliter servit DEO, quia homo est; aliter, quia Rex est. Quia homo est, servit DEO vivendo fideliter; sed quia Rex est, per leges iusta præcipiens. S. Ladislaus serviit DEO, ut homo fideliter vivendo: ut Rex legibus justa præcipiendo.* 3. Sumitur partitio *ex Orationibus Ecclesiæ.* Festo S. *Stephani* Regis Hungariæ ex eo: *Concede quæsumus Ecclesiæ tuæ, Omnipotens Deus, ut Beatum Stephanum, quem regnantem in terris propa-*

a) *Ita* Antonius Steininger *celebris Austriæ Ecclesiastes in* Panegyrico *peculiari de* S. Floriano.

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

gatorem habuit, propugnatorem habere mereatur glorioſum in Cœlis. S. Stephanus Eccleſiæ DEI in Hungaria fuit propagator in terris: S. Stephanus eſt Eccleſiæ DEI in Hungaria propugnator in Cœlis (a). Vel ex Oratione pro feſto S. Franciſci Borgiæ ſuperius allata. S. Franciſcus Borgias in terreni honoris contemptu veræ humilitatis fuit exemplum; & ob eundem terreni honoris contemptum veræ humilitatis accepit præmium. 4. Sumitur ex lectionibus Breviarii Romani. Sint exempla. A Sancto Ignatio tria incrementum accepere: templorum nitor, Catechiſmi traditio, Sacramentorum frequentia. Item S. Dominicus Fratribus ſui Ordinis tria, quoddam quaſi patrimonium, teſtamento reliquit: charitatem, paupertatem, humilitatem. 5. Sumitur ex verbis Martyrologii Romani. S. Franciſcus Borgias veræ humilitatis fuit exemplum. 1. Ob ſæculi dignitates abdicatas. 2. Ob Eccleſiæ dignitates recuſatas.

II. *Fontes communes.* De his prolixe egimus Tomulo (b) priore; ſint tamen aliquorum exempla. 1. *A variis definitionibus:* Sanctus *Petrus* Apoſtolus fuit *caput Eccleſiæ*, *Judex Eccleſiæ*, *Paſtor Eccleſiæ*. 2. *Ab enumeratione partium:* cum Orationis thema, totum aliquod complectens, ſuas in partes diſtribuitur. Ut feſto S. *Wenceslai* Bohemiæ Patroni ſuper illud: *Poſuiſti in capite ejus coronam*

a) *Ita in quadam Oratione noſtra in Sacro Monte Pannoniæ dicta.* b) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 2. §. 3. pag. 134.*

nam de lapide pretioso. S. *Wenceslaus* triplici corona redimitus. 1. *Corona Herois.* 2. *Corona Regis.* 3. *Corona Martyris.* Hæc autem enumeratio variis modis institui potest: 1. *Per distributionem ætatis* in suas species. Sanctus *Ignatius* christianam pietatem promovit apud omnem hominum ætatem: 1. *Apud pueritiam per doctrinam Christianam.* 2. *Apud Juventutem per scholarum institutionem.* 3. *Apud adultiorem ætatem per Apostolicas functiones.* 2. *Per distributionem virtutis* in suos actus, vel occasiones, in quibus exercetur. Verbi causa: Evangelica *Seraphici Francisci* paupertas enituit: 1. *cum se amore Christi vestibus exuit, ut alterius nuditatem operiret.* 2. *cum oblatas à Soldano Babyloniæ Principe pecunias respuit.* 3. *cum nudus è vita excedere voluit.* Item de *Francisco Borgia* superius allata ex Martyrologio. 3. *Per distributionem status, & officii* in sua munia. In illud: *Ego sum pastor bonus:* Sanctus *Carolus Borromæus* fuit vera Pastoris imago, *qui suas diligenter oves pavit, qui errantes solicite reduxit, qui animam generose pro iis obtulit.* Sumitur etiam partitio *ab adjunctis personarum*, ut à diversis statibus, quos quis gessit, ac in iis enituit. Ita *Segneri* (a) *Joannem Evangelistam* in illud Eccl. 15. v. 4. *Exaltabit illum apud proximos suos*, laudat fuisse unum in omnibus Dei donis præcellentiorem: *præcellentiorem Virginem in puritate, præcellentiorem Apostolum in zelo A-*

a) *In Panegyrico XVIII. dicto Florentiæ.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

postolico præcellentiorem Doctorem in sapientia, præcellentiorem Evangelistam in acumine : præcellentiorem Prophetam in cognitione Divinorum arcanorum : præcellentiorem Martyrem, quia vivam charitatis victimam. Ita tu cum *Vincentio Houdri* Divum *Martinum* à tribus vitæ statibus, qui ejus character sunt, commendares in illud Eccl. 44. *In diebus suis placuit DEO*: S. Martinus placuit DEO *in diebus vitæ militaris*: placuit DEO *in diebus vitæ Monasticæ*: placuit DEO *in diebus sui Episcopatus*. Vel aliter in illud Pauli 2. ad Timoth. 2. *Labora, sicut bonus miles Christi JESU*: S. *Martinus* fuit bonus Christi miles *in militia sæculi* : fuit bonus Christi miles *in militia religiosa*: fuit bonus Christi miles *in dignitate Episcopi*, tanquam caput militiæ sacræ. Ducitur etiam *partitio* à *circumstantiis facti*, in laudationem assumpti. Ita *Vieira* commendat Sanctæ *Catharinæ* victoriam de Philosophis relatam : 1. *à numero*: quia una devicit multos, 2. *à sexu* : quia mulier devicit viros. 3. *à qualitate* : quia sapiens devicit sapientes. 4. *à quantitate rei* : quia traduxit à gentilitate ad Christi fidem, fuso sanguine, ab iis contestatam. Hic partiendi modus usurpatur plerumque, cum factum quoddam Sancti particulare in Panegyricam laudationem assumitur; quod postea à circumstantiis *comitantibus* eleganter exaggeratur : ut factum Ignatii inter pueros Grammaticæ studentis : 1. *quia studuit jam vir, & quidem genere illustris.* 2.

Gram-

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

Grammaticæ: arti omnium infimæ. 3. *publice inter puros* Potest etiam promi partitio in hujusmodi facto historico ab *antecedentibus*, *comitantibus*, & *consequentibus*, sive *initio*, *medio*, & *fine* facti, ac ejus Narrationis. Verbi causa: si miram *Pauli* gentium Apostoli ad Christum conversionem *Panegyrica* Narratione celebrandam sumeres, dabunt antecedentia, comitantia, & consequentia hanc partitionem: 1. *Paulus Christum persequitur.* 2. *Paulus in ipsa persecutione ad Christum convertitur.* 3. *Apud quos persecutus erat, statim à conversione Christum prædicat.* Similiter partitiones duci possunt ex aliis Eloquentiæ locis Tomulo (*a*) priore allatis.

III. *Fontes elegantiarum.* Hos diffuse explicuimus Tomulo (*b*) priore. Ut tamen in exemplis propositos videant Tirones; præcipuorum, à quibus sacræ Panegyrum partitiones redduntur illustriores, dabimus exempla. Memorantur autem inter præcipuos elegantiarum locos, primum omnes de thematis elegantia adducti: dein fontes proprii paullum ante memorati. Ex communibus autem Eloquentiæ locis sunt hi cæteris potiores. 1. *Antitheta*, qui modus crebrior esse solet. Verbi causa: de Sancto *Augustino* apud *Amadæum* in illud: *Gratia DEI sum id, quod sum:* Gratia DEI in Sancto *Augustino ex magno peccatore fecit magnum*

a) *loco paulum ante citato.* b) *Tom. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 3. pag. 160.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. III.

pœnitentem: ex perverso amatore fecit Amatorem sanctum: ex pernicioſiſſimo Hæretico utiliſſimum Eccleſiæ Doctorem. Sunt autem plures Antithetûm modi, de quibus actum eſt Tomulo (a) priore. 2. *Relata*: ut de S. *Joſepho* (b) S. *Joſephus* eſt caput familiæ ſacræ: *quia eſt caput Mariæ tanquam Sponſus Sponſæ: eſt caput Chriſti tanquam Pater nutritius ſui filii.* 3. *Paradoxum*: Sanctus *Aloyſius* eſt *Angelus in carne, & homo ſine carne.* 4. *Incrementum*: cum per quoſdam veluti gradus increſcit oratio, qui modus pariter inter pulcherrima partiendi ornamenta refertur. Dupliciter fieri poteſt: 1. *tacite* apud Bordoni, in illud: *Omnia ad gloriam DEI facite: Sanctus Ignatius* 1. *in omnibus quæſivit gloriam DEI.* 2. *Nil aliud quæſivit quam gloriam DEI.* 3. *In omnibus ſemper quæſivit majorem gloriam DEI.* 2. *Aperte.* Ut Anonymi de S. *Ladislao* Hungariæ Rege: *Magnum eſt regem naſci: majus eſt ſua virtute Regem fieri: maximum eſt: ut qui Rex natus eſt, ſua ſimul virtute factus eſſe videatur.* 5. *Ab affirmatione unius cum negatione alterius* (c). S. *Aloyſius* eſt *magnus pœnitens; at ſine delictis: magnus Martyr; at ſine tormentis: magnus Sanctus; at ſine miraculis*: intellige, in vita patratis. 6. *Si figura ali-*

a) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 3. Num. 12. pag. 163.* b) *In quadam Panegyri noſtra Agriæ apud Fratres Miſericordiæ dicta.* c) *Apud Joannem Pellegrinum Turri Italum. Tom. I. Serm. X.* d) *Tomul. I. lib. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 3. pag. 160.*

aliqua veſtiatur, de quo egimus Tomulo *(d)* priore. Cujuſmodi eſt illud *Pii Manzador*, diſertiſſimi Oratoris, & dum hæc ſcribimus, Clericorum *Regularium* Sancti *Pauli* Præpoſiti Generalis, de Sancto *Xaverio* per figuram commutationis, quod una paradoxum ſapit: *communia Xaverii acta mera grandia fuere miracula*; & *grandia aliorum Sanctorum miracula communia fuere Xaverii acta.* Sunt etiam alii elegantiarum fontes, qui facile themati Panegyrico ex Tomulo (*a*) priore poterunt accommodari; cæterum non oberit, ſi vulgarius etiam fuerint propoſitæ, quemadmodum propoſuit *Spiritus Fleſchier*, Epiſcopus *Nemauſienſis*, celebris Orator Panegyricus in ſua de Sancto *Ignatio* panegyri (*b*), coram Auguſta Galliarum Regina, in illud: *Fuit magnus ſecundum nomen ſuum: maximus in ſalutem electorum DEI, expugnare inſurgentes boſtes: Quis fuit Ignatii fervor in pœnitentia? quis zelus pro ſalute proximi? quæ fortitudo, ut Eccleſiæ boſtibus adverſaretur?* At tunc elocutione propoſitæ vulgarius partitiones ſunt attollendæ. Utiliſſimum autem fuerit, partitionem ita ſtruere, ut totius Sancti vitæ, vel ſaltem præcipuis ejus actis [pro charactere tamen] enarrandis, locum præſtet.

ARTI-

a) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 2. §. 3. & loco paulum ante citato.* b) *Hanc latinam fecit Mathias Geiger Societatis noſtræ Sacerdos.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONE PANEGYRUM SACRARUM.

QUemadmodum ad dispositionem cujuscunque alterius Orationis, ita Sacræ Panegyris, rite faciendam tria pertinent: *Exordium*, *Confirmatio*, *Epilogus*.

§. I.

De dispositione Exordii Panegyrici.

I. *Exordii ingressus* repetitur ab ipsis causæ visceribus, per modum ex fontibus priore (a) Tomulo recitatis unum aliquem. Cæteris ornatiores sunt: 1. *Ab assumptæ Sacræ sententiæ* [maxime Sancti *characterem* continentis] explicatione, vel applicatione: cujus exemplum habetur in Panegyri de Sancto *Francisco Assisinate*. 2. Ab ipsa *partitione generatim*, ut docuimus Tomulo (b) priore, qui modus reliquis est elegantior: paradigma habetur *ibidem*. 3. *A circumstantiis* loci, temporis, personarum &c. 4. *A duplici Evangelio*: idæam reperies Tomulo (c) priore. 5. In modum *propositæ difficultatis*, controversiæ, quæstionis: paradigma dabit Tomulus (d) prior. 6. Fieri etiam potest: à *genere*, à *contrario*, ab *enumeratione partium*,

a) *Tomul. I. l. 2. p. 2. Cap. 1. Art. 2. §. 1. & §. 2. per totum.* b) *loco paulum ante citato Num 5. pag. 395.* c) *Tom. I. lib. 2. p. 2. Cap. 1. Art. 2. §. 2. Num. 8. pag. 429.* d) *loco paulum ante citato. pag. 425.*

tium, à *simili*, ab *illustri* quapiam *sententia* &c. quæ longum esset explicare, & exemplis declarare. Sunt, qui in exordio Sancti vitam summatim referunt; postea præcipuas deligunt virtutes, vel acta, Orationis decursu pertractanda. Sequere, si arridet; maxime in *Panegyricis* ad rudiores habendis. Quomodo autem exordium Panegyricum per syllogismum; vel aliam argumentationem disponi queat, dicemus infra.

II. *Introductio* ad partitionem, quamvis crebrius omittatur; sæpe tamen, tunc maxime, adhibetur; cum partitio à themate distinguitur: fontes illius aperuimus (*a*) Tomulo priore. Ipsam vero partitionem in *Panegyricis* Galli Oratores mira arte solent exornare per figuram *expolitionis* Tomulo (*b*) priore explicatam, aliis atque aliis verborum formis, quasi per incrementum expositis; dum tandem brevissime proferatur: paradigma habetur duplici loco (*c*) Tomulo priore. Additur etiam *invocatio* Sancti opem implorans, tacita, vel expressa, quæ tamen, si libuerit, prætermitti potest.

§. II.

De dispositione Confirmationis Panegyricæ.

CONfirmationem Concionis *Panegyricæ Vincentius* (d) *Houdri* ex Philosopho *narrationem* compellat, idcirco, quod rebus à San-

a) *Tomul. I. l. 2. p. 2. Cap. 1. Art. 1. §. 2. Num. 4. pag. 378.* b) *Tom. I. l. 2. p. 3. Cap. 2. Art. 3.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

Sancto gestis, oratorie enarratis. *Panegyricæ* plerumque probari soleant Orationes. Veterum mos in hac pertractanda multum differt à modo Recentiorum: Illi res vitæ gestas sine ulla *partitione*, ordine historico, oratorie tamen deducto, complectebantur. Ita *Plinius*, cujus exemplum secuti sunt cæteri, in arguto illo *Trajani Panegyrico*, servato temporis ordine, totam ferme vitam, ab adoptione, ad tertium usque, quo dicta est Oratio, consulatum perductam, complectitur. Similiter ferme *Gregorius Nazianzenus* Divi *Basilii* funebrem *Panegyricum* est executus. At hic mos deducendæ *Confirmationis Panegyricæ*, ad doctiorem saltem Auditorem, his temporibus jam exolevit; omnia vitæ acta ad certum Orationis *thema* [quod Sancti *character* sit] revocantur, hoc postea in partes dispescitur, ut ante diximus, argumentis, ex fontibus Panegyricis depromendis, comprobandum. Quibus autem modis singularum partium confirmatio instituí queat, dicam capite insequenti; nunc argumentorum, unde laudes peti solent, fontes, ac leges, in Sacris Panegyribus servandas, aperiam.

Fontes argumentorum Panegyricorum.

Hi plerumq; sunt adjuncta personarum, de quibus Tomulo actum est (*a*) priore. Hæc autem

§. 2. Num. 5. pag. 649. c) *ocis paulum ante citatis.* d) *Bibliot. Conc. in festa Sanctorum proleg. 2.*

autem melioris ordinis gratia ad tria possunt capita revocari: 1. ad adjuncta *ortus*, 2. ad adjuncta *vitæ*, 3. ad adjuncta *mortis*, sive, ut alii exprimunt: ad res *initio* vitæ, in *progressu* vitæ, in *fine* vitæ actas. Sint

I. *Adjuncta ortus.* Huc referuntur: *Natio*, *patria*, *genus*, *nativitas*, *sexus*, *nomen*, *indoles*, *educatio.* Singula explicabimus. *Natio:* ad quam pertinet: an clara sit ingenio, præclaris factis, virtutibus, scientiis, artibus, viris, & an his gentilitiis laudibus vir *Panegyri* celebrandus quidpiam adjecerit? *Patria:* ad quam refertur natale solum, in quo attenditur situs, fertilitas, salubritas cœli, reipublicæ forma, ædificia, templa, fora, portus, academiæ, arma, propugnacula, antiquitas, conditores, viri doctrina, ac scientia illustres &c. *Genus:* quo spectant majores, parentes, fratres, cognati, affines, conjux, liberi &c. Dein nobilitas familiæ, ejus antiquitas, splendor fortunarum, dignitas, illustria facta pro DEO, patria, Principe: bello, pace, bonis artibus, religione &c. *Nativitas:* qua quis hora, die, mense, anno, quibus temporum circumstantiis sit natus, quæ ejus ortum antecessere, quæ consecuta fuere. *Nomen:* quod in fonte lustrico accepit? à quo accepit? cur accepit? quid significet? quo modo nomini respondet? *Sexus*: utrum mas sit, an fœmina? ubi pro-

a) *Tomul. I. l. 1. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1. Num. 3. pag. 244.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

propriæ maris, aut fœminæ dotes examinantur. *Indoles*: an bona, an ad virtutes, quasve propensa? quali ingenio ad artes, ad scientias instructa? *Educatio*: quo modo instituta? an honeste, pie? ad quas artes, virtutes? quibus præceptoribus, sociis? &c. Hæc ad ortum pertinent, è quibus deligenda sunt proposito aptiora.

II. *Adjuncta progressus vitæ.* Hæc spectant ad diversa hominis *bona*; quorum alia sunt externa, alia interna. *Externa* dispescuntur in bona corporis, & fortunarum. *Ex bonis corporis* alia pertinent ad illius *habitum*, & *constitutionem*: cujusmodi sunt: formæ dignitas, externa sensuum, ac morum disciplina, valetudo, vires ad res magnas pro DEO, & patria gerendas, denique exercitationes, quibus corpus distinetur. Alia sunt *ætatis*; ætas autem quadruplex est: puerorum, adolescentum, virorum, ac Senum. *In pueris* laudatur pietas in DEUM, reverentia erga parentes, ac seniores: morum modestia levitatis expers. *Adolescentis* dotes sunt: abstinere à vitiis, colere pietatem, esse comem, prudentem, temperatum, exercere studia statui electo, vel eligendo propria. *Vir* commendatur à prudentia, fortitudine, rerum peritia, gravitate, rei tam privatæ, quam publicæ administratione &c. *Senum* encomia sunt: non esse avaros, morosos, suspicaces: esse vegetos, fortes, faciles, usu rerum præditos, pru-

den-

dentes, cautos &c. Alia spectant *ad sexum*, virilem, aut fœmineum. In fœminis triplex status consideratur: cœlibis, conjugis, viduæ. *In cœlibe* laudem merentur: pietas, solitudo, pudicitia, labor, & si ætate tenera sit, docilitas, modestia &c. *In Conjuge*: amor, & fides conjugalis, prolium educatio, rei domesticæ cura. *In Vidua*: castitas, pietas, solitudo &c. *Infortunæ bonis*, cujusmodi sunt: fama, honor, divitiæ, attendendum, qualis fortuna fuerit; an prospera, vel adversa? an constans, vel inconstans? an tarda, vel cita? an industria, meritis, labore parta? Postea attendendus usus, ut si inimica fuerit: an æquo, & patienti animo sit tolerata? Si amica: an superbe, vel modeste, ad gloriam DEI, proximi utilitatem, propriam salutem usurpata? *Interna bona* alia sunt intellectus, alia voluntatis. *Intellectus* rursum alia sunt naturæ, alia industriæ. *Naturæ* sunt: mens vivida, & excelsa, ad res magnas nata. Ingenii præstantia, memoriæ facilitas, ac ejus tenacitas. Singularis prudentia: in consilio capiendo provida, in exequendo industria, in accipiendo docilis, quæ futura provideat, præteritorum recordetur, præsentia rite agat. *Industriæ* sunt: linguarum cognitio, artes, scientiæ. *Ex scientiis* aliæ sunt humanæ, aliæ Divinæ, à quarum partibus laudes sunt depromendæ: Huc spectant sapientum etiam de hoc testimonia, libri editi, præclara in-

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

venta &c. *Voluntatis* sunt: virtutes, præcipua, & propria sacrarum panegyrum argumenta. Hæ vero aliæ sunt Theologicæ, aliæ Morales. Inter *Theologicas* numeratur: fides, spes, charitas. *Fides* in se, in aliis. *In se*: corde, ore, opere, vita, & morte probata. *In aliis*: per conciones, per catecheses, per operationes Apostolicas, vel susceptas, vel adjutas: consilio, ære, opere promota. *Spes*: firma, læta, maxime in adversis. *Charitas*: in DEUM, in proximum: amicum, inimicum: ardens, constans. *Morales* virtutes sunt: justitia, fortitudo, temperantia &c. *Justitia*: erga DEUM, erga proximum: ut filiorum in parentes, civium in patriam, subditorum erga Præpositos, Heros, Principes, Magistratus, Sacerdotes, Præceptores &c. ac vicissim. *Fortitudo*: in adversis, & arduis, aggrediendis, exequendis, cum fiducia, magnanimitate, patientia, constantia, conjuncta. *Temperantia*: ad quam refertur jejunium, frugalitas, castitas, mansuetudo, clementia, misericordia &c. Sunt etiam aliæ virtutes, quas hic, earumque officia percensere longum foret. Repetuntur etiam laudum argumenta à diversis *statibus*, & *muneribus*, quæ quis gessit in vita. Ut sunt in Republica sacra: *Summi Pontificis*, *Apostoli*, *Evangelistæ*, *Doctoris*, *Martyris*, *Episcopi*, *Prælati*; *Clerici*, *Sacerdotis*, *Religiosi* &c. Item in Republica profana: *Regis*, *Principis*, *Judicis*, *Senatoris*, *Civis*, *Militis*.

litis &c. Quorum munia, & partes diffusius explicatas reperies apud *Amadæum*; nobis ita dilertis esse non licet. CAPUT I. ART. C. II §. II.

III. *Adjuncta mortis:* cujusmodi sunt: 1. *Causa* mortis, an ab aliis violente conscita, & quamobrem? An ex morbo secuta? & quæ morbi tolerantia? 2. *Modus:* qua fronte exceperit? quomodo ad eam se comparaverit? Quæ fuerint suprema morientis dicta? Quis bonorum luctus? Quod sui desiderium? Quæ funeris pompa? Quod monumentum? Ubi conditus? &c.

Leges argumentorum Panegyricorum.

Etsi omnes memorati argumentorum fontes ad *profanas* illustrium virorum, vel etiam ad *Academicas* Sanctorum, *Panegyres* multum conferre possint; in sacris tamen eorum laudationibus, in quibus nihil esse debet non sanctum, haud perinde valent omnia laudis argumenta. Unde

I. A natione, patria, genere, à parentibus, majoribus, eorumque gestis, pace, bello: familiæ antiquitate, nobilitate: vel à divitiis, honoribus, cæterisque fortunæ, vel naturæ bonis petita, cum vanam humanæ gloriæ sapiant ostentationem, parce, sobrie, nec nisi, cum ad religionem, vel ad peculiarem sancti gloriam quidpiam conferunt, sunt adhibenda. Sancti quidem Ecclesiæ Patres [ut videre est in elogiis à Sancto *Ambrosio*, & *Gregorio Nazianzeno* con-

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

fectis] hæc naturæ bona protulere ; at consulto ea de causa, ut ostenderent viros Sanctos, qui mundo his de capitibus in pretio fuere; multo pluris feciſſe christianas virtutes, & omnem gloriæ suæ partem in harum contemptu laudum posuiſſe. Quare

II. Argumenta *epidictica* in Ecclesiasticis Sanctorum *Panegyribus* desumenda sunt ex eorum virtutibus, & actibus particularibus, quæ illos Sanctos effecere, ac quibus postea promeruere, ut publica ipsorum elogia in DEI Ecclesia haberentur, ad excitandam in nobis vel admirationem, vel imitationem. Idcirco diligenter singularia eorum acta, in vitis descripta, sunt evolvenda. Ex his tamen ipsis ea sunt proferenda, quæ magis propósito serviunt, quæ Sanctum amplius commendant, quæ majorem in animis auditorum æstimationem conciliant, verbo: quæ sunt illi propria, ad ejusque characterem pertinentia.

III. Aliter sentiendum est de animi bonis: cujusmodi sunt : *ingenium*, *scientia*, *indoles*, *prudentia*, aliaque *naturæ dona*, quæ licet præclara, in se ipsis spectata, neminem coram DEO sanctiorem efficiunt ; optimus tamen eorum usus, à Sanctis adhibitus, non parum confert ad declarandam eorum sanctitatem. Et quoniam gratia, plerumque naturam secuta, variis hominum sese aptat ingeniis, dubium esse non potest, quo minus

nus bona hæc efficere possint partem elogii, Sancto cuivis adornandi.

IV. Similiter referri possunt in Sanctorum *Panegyricis* miracula; sed probata. Nam etsi ea sint causæ superioris effecta; faciunt tamen plurimum ad conciliandam in populo Sanctorum venerationem, & fiduciam, ad implorandum eorum patrocinium, excitandam; haud tamen sunt temere [ut dixi] referenda: nec sermo iis farciendus. A Sanctis Patribus, vel synchronis authoribus relata, aut Ecclesiæ authoritate confirmata, fidem cæteris potiorem promerentur.

V. Quamvis sacrorum mens sit Oratorum ea de causa Sanctorum *Panegyres* texere, ut in virtutis ideam, & exemplum proponantur; *vitia* tamen, & *noxæ*, quibus obnoxii fuere, antequam se DEO devoverent; haud propterea sunt dissimulanda: licebit iis longius etiam immorari, ad ostendendam, quæ in Sanctorum conversione elucet, DEI Præpotentis misericordiam; quemadmodum eluxit in conversionibus S. *Pauli*, S. *Magdalenæ*, S. *Augustini*, S. *Margaretæ de Cortona* &c; imo hæc delictorum commemoratio ad non levem Sancti faciet gloriam, & auditoris utilitatem. *Ad Sancti gloriam*: quoniam fideliter cœlesti gratiæ respondit. *Ad auditoris utilitatem*: nam inde concludet: se posse Sanctum insignem evadere, cuicunque tandem vitio deditus sit; modo seria pœnitentia ad Deum revertatur.

CAPUT I. ART. II. §. III.

§. III.

De dispositione Epilogi Panegyrici.

EPilogus in *Panegyricis* iisdem ferme præceptis, & partibus, constat: quibus cæterarum quarumcunque Orationum. Nam

I. *Constat repetitione*, præsertim, si *Panegyrica* longius processerit Oratio, fueritque artificiose magis, quam secus deducta; sæpe tamen hæc anacephaleosis à præstantissimis etiam Oratoribus prætermittitur. Observavi à celebrioribus etiam Oratoribus epilogum accommodari ultimæ tantum Orationis parti. Ut habet *Bourdaloue*, *Cheminais*, *Bordoni* &c.

II. *Constat motu*, *& affectu.* Varii autem in *Panegyricis* exciri solent. 1. Excitur *admirationis* ob miram, qua Sanctus præditus fuisse ostensus est, vitæ Sanctitatem, vel in cœlis habet gloriam. Verbi causa de S. *Francisco* Seraphico: *Quis jam non admiretur, quis non obstupescat hanc Francisci, digniorem corruentis Angeli sedem occupantis, gloriam, quo summus eum bonorum munerator provexit DEUS* &c. *Hic enimvero illud Davidis expletur: mirabilis DEUS in Sanctis suis! Franciscus in mundo pauper, ac despectus erat: & ecce quanta nunc in Cœlis gloria refulget! Ego certe, cum ejus hoc in Angelico throno sedentis fulgorem contemplor, velut mente attonitus hæreo; non secus, ac qui splendentem pleno meridie solem intuitus defixis caligat oculis; ita* &c. 2. Excitur *gratulationis* ob gloriam à Sancto in Cœlis obten-

obtentam. Habetur hujus idea hoc Tomulo (*a*) posteriore de Beata Virgine immaculate concepta. 3. Excitur *lætitiæ*, in auditoribus excitandæ, ob aliquod beneficium à Sancto obtentum, vel ob insignes ejus reliquias in urbe depositas &c. Ita *Segneri* in *Panegyri* de Sancta Syndone *Taurini* dicta (*b*): *Ego profecto negare haud possum, quin vestram vobis sortem non parum invideam: cum opportunitatem pulcherrimam considero, qua gaudetis sincerum Christo in hac ejus imagine identidem amorem contestandi. Vos aquilarum instar circumvolitare potestis* &c. *Pergite pro-in, pergite gloriari tanto bono: gaudete, jubilate, & ante omnia agite gratias, quam potestis, maximas, quod tanti vos custodes voluerit depositi, quo illustrius ejus penicillus nunquam pinxit* &c. 4. Excitur *gratiarum actionis* DEO, vel Sancto, ob singularia ei, vel per illum nobis collata beneficia. Formula: *Immortales tibi præpotens DEUS agimus gratias, qui ad tantum, tamque excelsum gloriæ solium Divinissimam Matrem tuam hodie evexisti, ut omnes Angelorum, ac Cœlitum thronos transcenderet. Debebatur id Cœli Reginæ, hodie assumptæ, ac in Cœlis coronatæ* &c. 5. Excitur *amoris*, ac *venerationis* ad Sanctum singulari semper amore, ac cultu prosequendum. Ita *Segneri* in *Panegyri* de Venerabili Sacramento (*c*). O

a) *Tomulo Posteriore l. 1. Cap. 2. Art. 5. §. 2. pag. 201.* b) *Panegyrico undecimo.* c) *In Panegyrico 23.*

CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

amorem incomparabilem ! amorem limites omnes excedentem ! quis illum mente unquam comprehendet ? Quid facimus igitur ? an non saltem conamur junctis studiis vicem reddere, quæ tali debentur amori ? An minoris faciemus beneficium, quod in Sanctissimo hoc Sacramento præstat DEUS ; *quia nulla exornatus pompa, ac splendore sub oculos cadit ? Prob quam sine sensu sumus ! Imo hoc ipso nomine pluris ejusmodi gratiam facere nos oportet : quoniam ex hoc ipso titulo innotescit, vere esse divinum : vere tu es* DEUS *absconditus* &c. Idem de Sancto *Stephano* primo Martyre (*a*). *Quis proinde est, qui non magnopere se impelli sentiat ad Sanctum Stephanum, cultu singulari prosequendum ? cum jam non ambigat, non solum, quo Sanctus hic apud* DEUM *sit loco, sed etiam, quam sit promptus ad opem, suis cultoribus impertiendam. Quanta dignatio, quanta benignitas in obscurum carceris antrum descendere, prehendere manu captivum, secum abducere, ac tuto loco collocare. Sed quid his opus est argumentis ? An me latet, quam ille benigno vel in hostes fuerit animo ? Et hoc est, quod mihi abunde sufficit, ut concludam : quam addictus suis sit clientibus futurus, qui tam se propitium præstitit hostibus* &c. 6. *Spei*, & *fiduciæ* ob potens, quo apud DEUM pollet, patrocinium. Habetur hujus idea Tomulo (*b*) priore de S. *Catharina* Bononiensi ex *Cæsare Calini*. Item apud (*c*) *Segneri* in

a) *In Panegyrico 17.* b) *Tomul. I. l. 2. p. 2. Cap. 3. Art. 4. §. 3. pag. 546.* c) *In Panegyrico tertio,*

in Panegyri de Sancto Martyre *Petro Parentino*; non vacat fusius exemplum, tametsi elegans, exscribere. 7. *Æmulationis*: ad imitanda Sancti vitæ acta, & virtutum exempla. Hujusmodi epilogo hortatur *Segneri* (a) Patres *Philippi Nerei*, ut Parentis sui exemplo amabilem hominibus reddant vitæ sanctimoniam: quod ingeniose cum insigni eorum laude pertractat. 8. Denique fit epilogus, vel complexio Panegyrica, per digressionem moralem ad Auditores, de qua plura (b) inferius dicturi sumus. Exstat hujus paradigma apud *Segneri* in Panegyri de Sancto *Joanne Evangelista*. Item in Panegyrico de S. *Francisco Assisinate*, post paullum adferendo, ac reliquis.

III. Claudi solet epilogus *apostrophe* ad Sanctum, Panegyrica laudatione celebratum, vel *obsecrationis* veniæ ob Panegyrim, Sancti meritis inferiorem, ut facit *Segneri* in Panegyrico de *Sancto Anselmo* Episcopo *Lucensi*. Vel *gratiæ* cujuspiam *particularis*, aut etiam *universalis*, *petitionis*, ut suos nempe clientes de Cœlo Sanctus foveat, protegat, suis DEUM precibus pro nobis interpellet &c. Quod eleganter fit sacræ sententiæ in Panegyris argumentum assumptæ repetitione. Paradigma dat *Segneri* in Panegyri de Sancto *Francisco Xaverio*: *Quis igitur prohibebit Auditores, quin magno animi sensu me vertam*

a) *In Panegyri quinta de S. Philippo Nerio.*
b) *Tomul. II. l. 2. Cap. 2. Art. IX. §. 1.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. 1.

ad Franciſcum, & hic ſub finem illa ingeminem verba, quibus orationem hanc ſum auſpicatus. Age Franciſce! quid te moratur? Alleva manum tuam ſuper gentes alienas, ut videant potentiam tuam: innova ſigna, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum. Nullone igitur fructu noſtras in regiones tua dextra renavigarit? Alleva obſecro, alleva, illam ſuper gentes, alienas quidem fateor natalibus, ſed animis conjunctiſſimas. Innova, innova, hic quoque ſigna, quæ tam multos barbaros ſtupore attonitos reddiderunt &c. Imo non claudi tantum, ſed totus epilogus hujuſmodi apoſtrophe conſtare poteſt: ut in hoc *Xaverii Panegyrico.* Quanquam hæc clauſula præſtantium Oratorum exemplo omitti poſſit.

ARTICULUS III.

DE ELOCUTIONE SACRARUM PANEGYRUM.

CIrca elocutionem ſacrarum *Panegyrum* duo ſunt exequenda. Primum: quod in ea ſtyli genus ſit conſectandum? dein: quæ amplificatio adhibenda? cujus primum vitia, dein modos percenſebimus.

§. I.

De ſtylo in Panegyri Sacra.

PAnegyris univerſe ſtylum depoſcit temperatum, ſive mediocrem, qui humilem inter, ac ſublimem medius, multum habeat ornatus, minus vehementiæ. Quomodo

por-

porro in Ecclesiasticis Sanctorum *Panegyribus* adhibendus sit, facilius ferme condiscet ex lectione Authorum, *Panegyricos* scribentium, quam ex præceptis. Ratione tamen Auditorum, ad quos *Panegyris* instituitur, in eodem mediocris styli genere, triplex ejus forma esse potest. 1. *Remissior*, sive *humilior*, ad rudiores, qui habeat ornamenta, sed pauciora. 2. *Ornatior*, ad mediocres, qui stylo, argutiis, vividis cogitationibus, cæterisque *Panegyrum* ornatibus, mediocriter adhibitis, sit *temperatior*, ut in Panegyri de S. *Ignatio*. 3. *Ornatissimus*, in *Panegyrico solenniore*, ad cultiores, & doctiores. De quibus sequentia accipe. CAPUT I. ARTIC. III. §. 1.

I. Multum interest inter Panegyrim Academicam, & Ecclesiasticam. Illa ad splendorem Academicæ cujuspiam celebritatis de Sanctorum laudibus instituitur. Ista in Divorum solemnitatibus, ad conciliandam Sanctis æstimationem, cultum, venerationem, eorumque præclare factorum imitationem, publice in Ecclesia ad populum adornatur. Quare etsi Panegyris Sacra majore styli cura expoliri possit, ac debeat; semper tamen sacrum aliquid, ac sanctum spiret, oportet. Spirabit, si Divinæ Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, sententias, locos, sensus, atque deductas inde amplificationes, gestorum narrationibus apposite inspergendas, complectatur.

II.

CAPUT I. ARTIC. III. §. I.

II. Quamvis in *Panegyri* sacra solenni ori nihil humile, ac repens, inveniri debeat; non tamen eapropter omnia, seu illa sint parva, seu magna, splendido, & magnifico styli genere sunt excolenda. Habeat suas interdum sacra *Panegyris* umbras, imaginis instar, id est: loca quædam minus elaborata, ut quæ laborata sunt, magis eniteant: alioquin, tanquam nimia lux, perstringent potius mentis oculos, quam advertent.

III. Stylus sit fluens, non vero concisus: qualem multi his temporibus consectantur. Nam etsi hoc in *profanis*, vel *Academicis* laudationibus, in quibus præter delectationem, omnibus *Panegyricis* communem, nihil porro intenditur, dissimulari fortasse queat; haud tamen in *Ecclesiasticis*, quarum finis princeps est Sanctorum veneratio, ac imitatio, neutiquam hac styli ratione obtinenda, quæ ad aures solum mulcendas est comparata.

IV. Sunt, qui meris acuminibus, antithesibus, argutiis, sententiis, sacras *Panegyres* farcire volunt, ut quot verba, totidem oracula fudisse videantur. Verum licet ista [ut Tomulo dixeram priore] condimenti instar adhiberi queant, ut vividam, florentemque faciant orationem; intemperanter tamen usurpata vim omnem adimunt sacræ concioni: neque enim auditor, tot acuminum copia obrutus, omnia assequi, ac retinere poterit; confusa solum

in

in mente rerum imago remanebit, quæ efficiet, ut majori laude, & admiratione excipiatur Orator, quam Sanctus, cujus tamen elogium celebratur. Nec suum sacra *Panegyris* finem sortietur, qui est Sanctorum æmulatio: cum virtutes per caliginem proponat conspiciendas, qui nimiis obruit ornatibus.

V. Argutiæ potissimum sumantur ex sacris fontibus: nimirum ex locis Scripturæ, vel Sanctorum Patrum sententiis, propositio apte, ac ingeniose accommodatis. Ex tropis præ cæteris deservient: *metaphora*, *allegoria*, ac etiam *auxesis*, sive *hyperbole*, ad res Sanctorum magis attollendas. Ex figuris usurpentur delectantes, cujusmodi sunt: *repetitio*, *traductio*, *commutatio*, *antithesis*, *apostrophe*, *hypothiposis*, *æthopœia*, *Prosopopœia*, *Exclamatio*, *epiphonema*, & reliquæ, ad narrationem pertinentes. Sententiæ esse possunt tam apertæ, quam occultæ. Transitiones sint potissimum occultæ, & ingeniosæ. Sed de his omnibus suis locis diffusius egimus Tomulo priore.

§. II.

De vitiis amplificationis in Panegyri Sacra.

PRiusquam modos amplificationis in *Panegyri* sacra percensem; adferam ante ejus vitia ex *Vincentio Houdri* Rhetore, ac Oratore disertissimo deprompta (*a*).

I.

a) *Bibl. Concionat. in festa SS. Tom. 1. Proleg. 2.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

I. Etsi *Panegyris* sacra, ne sit narratio mere *historica*, ab ortu usque ad obitum, uno veluti spiritu, effundenda, breviter intercidi possit, ac debeat aliquo exemplo, vel Scripturarum applicatione, vel morali quapiam animadversione, aut aliqua veritate, & religionis nostræ instituto, quo probetur, vel confirmetur, quod dictum fuerat, & vulgo amplificatio compellatur; sunt tamen, qui hanc suam *Panegyricam* narrationem prolixioribus quibusdam, non solum in singulas Sanctorum, quæ narrantur, virtutes, ethicis animadversionibus, sed etiam arreptis inde in hominum mores, ac temporum vitia, digressionibus moralibus adeo secant, ut prælongis hujusmodi amplificationibus Philippica verius, quam laudatio evadat; contra quam *Panegyris* natura ferat, cujus est res à Sanctis gestas enarrare. Quod vitium admodum vulgare, nescio quomodo non incidat in eorum oculos, qui aliquo eloquentiæ gustu sunt præditi. Exempli causa: dicitur Sanctus felicem à puero sortitus fuisse institutionem, mox arripitur occasio differendi de educatione. Inde fit gradus ad aliam vitæ Sancti partem, & si statum professus est *Eremiticum*, confestim diffusior instituitur amplificatio de laudibus eremi, fit adhortatio ad amplectendam solitudinem, denique insurgitur in mentis evagationes, hoc in mundo reperiri solitas. Si demum Sanctus graves exercuit

cuit auſteritates, ſumitur opportunitas improbandæ vitæ mollioris, quam plerique ducunt Chriſtiani, ſuis cupiditatibus, ac deliciis immerſi. Atque ſic tota Sancti vita percurritur, cujus ſingulæ actiones aliis, & aliis morum digreſſionibus viam præbent. Verum, ſi hæc *Panegyrum*, præſertim ſolenniorum, ratio eſt probanda, injuria profecto *Panegyricus* fuit habitus opus eloquentiæ difficillimum: cum nihil facilius ſit, quam hoc pacto *Panegyricos* paucos intra dies elaborare; imo una, hoc modo elucubrata, triginta aliis, diverſi argumenti, *Panegyribus* poterit deſervire. CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

II. Sunt, qui in alterum, ab hoc minime diverſum, vitium incidunt. 1. Magnum, in formam theſis, confirmationi præponunt ingreſſum, longe lateque probatum, & exornatum. Poſtea pauciſſimis verbis, unius nempe, vel alterius actionis brevicula narratione, hypotheſim, ſive Sancti geſta, complectuntur. Demum alia Ethicæ lectione concludunt, qua ſuos ad virtutum imitationem Auditores adhortantur. At nec iſta methodus priori eſt tolerabilior, in argumento præſertim peramplo, ubi rerum geſtarum copia depoſceret potius, ut abſciſſis hujuſmodi prolegomenis theſis contrahatur, & hypotheſi, ſeu actis, & virtutibus Sancti particularibus, pro dignitate enarrandis, æqua amplificatio impendatur. Nec illud tamen eſt neceſſarium, imo inutile

CAPUT I. ARTIC. III. §. II.

utile foret, admodum curare, ut nihil ex rebus, à Sancto gestis, prætermittatur: nam hæ particulatim, ac diffusius enarratæ fastidium crearent. Deligantur igitur ea solum, quæ magis nitent; cætera vero, momenti minoris, leviter perstringantur; imo sunt conglobanda, ut eorum numero eadem obtineatur vis, quam minor haberet, si facta essent illustriora.

III. Cæterum fas putat *Vincentius Houdri*, imo *Blasius Gisbertus* necessarium (*a*) existimat in *Panegyricis*, etiam solennioribus, sub finem cujusque partis divisæ, vel etiam subdivisæ, *moralem* aliquam [ut infra (*b*) dicemus] adjicere *digressionem*, vel *illationem*, quæ suapte natura consequatur ex rebus, in Sancti laudem allatis, & quæ auditorem, in eodem vitæ statu, & occasione positum, ad earundem virtutum imitationem valeat excitare. Licebit pariter moralis disciplinæ supplementum adhibere ad orationem debite explendam, vel amplificandam, si ejusmodi Sanctis elogia obveniant concinnanda, quorum pauca facta nobis sunt explorata. Aut si Oratio, ex *inventionis*, ac *partitionis* natura, haud ita ad conciliandam Sancto laudem, & existimationem; quam ad mores instituendos, apud rudiores præsertim auditores, fuerit directa.

§. III.

a) *In Eloquentia Christiana Cap. XV.* b) *Tomul. II. l. 2. Cap. 2. Art. IX. §. 1.*

§. III.

De modis amplificandi Panegyrim Sacram.

NOn agimus hic de amplificatione verborum; sed rerum. De hac generatim plura diximus Tomulo (a) priore, quæ Orationi *Panegyricæ* perfacile speciatim queunt accommodari. At quoniam clarius res proponitur in exemplis, Tironibus præsertim, juvat aliquos eorum modos adducere. Quanquam hi facilius condiscentur ex lectione celebrium Oratorum, maxime *Italorum*, quibus quemadmodum cæterarum Orationum; ita sacrarum Panegyrum adornandarum gloria merito tribuitur.

Modus I. Eleganter amplificatur *Panegyris* Sacra, si quoddam Sancti factum allato persimili è Scriptura exemplo, vel sententia, facti sensum continente, illustratur, cum prothasi, & apodosi. Ita *Cæsar Calini* in *Panegyri* (b) de Sancto *Philippo Nerio*, cum à dilectione inimicorum, corporis afflictatione devictorum, eum laudaret, eleganter suam narrationem Panegyricam intercipit, & amplificat sententia Davidis, oratorie deducta è Psalmo 34. v. 13. *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam.* Lubet locum præstantissimi Oratoris adducere.

a) *l. 2. p. 3. Cap. 3. Art. 2. §. 1. & 2.* b) *Quæ habetur Tom. I. in Samuelem Serm. 85.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

EXEMPLUM.

Exercendæ equidem inimicorum dilectionis rarior Philippo occasio præbebatur; cum ab omnibus ferme amaretur; si tamen quempiam odio in se ferri adverterat, quid agit Sanctus? Davidem imitatur. Hic acerbis inimicorum suorum insectationibus lacessitus, non insectatione, non injuriis, non maledictis vicissim hostes lacessere; verum corporis sui afflictationibus, cilicio, jejunio volebat respondere: ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam. *Saul, herus ingratissimus, summas vitæ ejus insidias struebat: Semei jactis in eum maledictis horridum injuriarum, totidem veluti lapidum, imbrem in ejus caput jaciebat: Absolon, perduellis filius, armato parentem exercitu persequebatur. Quid David? induitur cilicio. O David! credidissem armandum potius à te fuisse latus gladio, pectus lorica, manus clypeo, caput galea. Quid enim est ad defensionem cilicium?* Induebar cilicio. *Certe hoc idem esse videtur, ac hostiliter insurgere in se ipsum, bellique societatem suis cum inimicis inire in majus sui tormentum. An fortasse cilicium hostilium gladiorum ictibus obsistere valet? An jejunium ad arma validius tractanda vires addere potest? Existimo, O boni Auditores, Davidem dicere voluisse: si hostium adversum me ictus hebetare nequeo; DEI ictus, hostibus infligendos, jejunio, cilicio, quod mihi sufficit, valeo avertere. Quapropter* cum mihi molesti essent, induebar cilicio: in jejunio humiliabam animam meam. *Persimili*

mili modo Philippi vindictæ fuere comparatæ. Siquis ejus famam in circulis lacerabat; Philippus coram imagine Christi, in crucem acti, procurabat salutem calumniantis inimici. Fuit, qui mortem Viro sanctissimo machinabatur; at Philippus ante sacram iconem prostratus, humeris nudatis, manu aspero flagello armata, miserandum in se modum desæviit: nec ante sævire destitit, quam vestes omnes, ac ipsam terram, copioso sanguine consperssset. Tot vicibus, quot ictibus: tot linguis, quot verberibus: tanta eloquentia, quanta sanguinis profusione, pro salute sceleratissimi sicarii tamdiu perorabat, donec ejus conversionem exoraret. Novus profecto advocatus, qui remissis ultro injuriis inimicos recipit in clientes, suoque dorso vulnera excipit, ne illi vulnerentur.

Modus II. Amplificatur *Panegyris* Sacra similitudinibus, narrationi opportune interspersis. Hæ autem nec viles sint, nec crebræ nimium, quod celeberrimo hac ætate Oratori *Panegyrico* haud parum vitio datur, qui suas ita similitudinibus orationes farcit, ut plus ferme similium, vel certe tantumdem, quantum rerum à Sanctis gestarum, contineant. Nec cibus nimio pipere conditus placet. Hæ autem jam brevius, jam fusius: jam una, jam plures, jam per congeriem agglomeratæ: cum notis, vel sine illis: cum appodosi, vel sine illa, eaque jam præposita, jam postposita, [ut Tomulo (a) diximus priore] adduci poterunt. Pulcher-

a) *Tom. I. l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 5. §. 1. p. 212.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

rimum fuerit, si ex Scripturæ verbis depromantur, vel ejus sententiis confirmentur. Exempla reperies in Orationibus de S. *Aloysio*, de S. *Francisco Regis*. Sit ex eadem *Cæsaris Calini panegyri* de S. *Philippo Nerio* (a).

EXEMPLUM.

Erat ipse etiam Philippus admodum pauper, suasque, pauperum more, sæpe manus extendebat ad accipiendas largiores eleemosynas, à splendida piorum liberalitate obvenientes. At bas rursum ad easdem porrigebat Philippus in pauperum sinum refundendas: magni cujuspiam instar fluminis, qui argentea suarum lympharum munera, à benignis montibus ex alto vertice demissa, libens quidem recipit; verum ut ea in sinum maris refundat. Ad mare videntur fluvii grandiores suarum murmure undarum clamare rivulis, & canalibus, sua tributa conferentibus, ad mare inquam, ad mare. Idem agit Philippus. Pretiosas ei offerunt vestes matronæ in urbe ditiores; at is ad mare, clamat, ad mare, id est: ad pauperes, ad pauperes, ut rigidioris à se aeris propulsent inclementiam. Copiosas Philippo pecunias amici largiuntur; at is ad mare, repetit, ad mare, id est: ad pauperes, ad pauperes, ut suas his familias valeant sustentare &c.

Modus III. Amplificatur comparationibus Biblicis, similitudinem, vel dissimilitudinem exprimentibus. Vel exemplis, & figuris Biblicis, aut aliis scripturæ locorum appli-

a) *loco jam citato.*

applicationibus, cum testimonio Sancti Patris, vel alterius Scripturæ interpretis, applicationem confirmantis. Complura hujus exempla reperies apud *Houdri* in Bibliotheca Concionatoria in festa Sanctorum. Item in Oratione de *Sancto Ignatio*, post paulum adferenda, ubi *Ignatius* cum Paulo comparatur. In oratione de S. *Catharina*, & de Sancto *Antonio*, ubi exemplis Biblicis amplificatio instituitur. Sit ex *Cæsare Calini*

EXEMPLUM I.

Verum omnes inter pauperes, quorum inopiæ sublevandæ tam solicitam se præbuit generosa Philippi charitas, peculiari quasi prærogativa peregrini fruebantur. In his ille, velut novus Abraham, totum suæ benevolentiæ sinum majori fortasse, quam Abraham, affectu effundebat. Abraham eo, quo vidit, tempore confestim ad se peregrinos accersivit, ut vidisse idem fuerit, ac hospitio excepisse. Philippus *vero, ut eos conquireret, totam solicitus Romam percurrabat. Abraham dives pecorum tenerrimos equidem pro hospitum nobilium mensa vitulos mactavit; at* Philippus Nerius, *Vir in se pauperrimus, cor illis suum immolabat. Et certe, si cibum hominis sanguinem compellare solemus, cum* Philippus *suis se cibis privaverit, ut peregrinos reficeret, jure dici potest proprio sanguine cibasse viatores.*

EXEMPLUM II.

Sæpe laboratum fuit, ut detegeretur mysterium, quod in ea visione continetur, qua Jacob

CAPUT I. ART. III. §. III.

scalam vidit altera sui parte cœlum; altera terram contingentem, cujus supremo gradui Dominus innitebatur. Hodie tamen intelligo (*ait* Rupertus Abbas) *mysterium hoc in Sancto* Joseph *explicari. Scala hæc mystica est JESU Christi genealogia. Gradus eam componentes sunt omnes generationes particulares, quæ in hac genealogia recensentur. Gradus novissimus, cui Dominus est innixus, est Sanctus* Joseph, *Mariæ sponsus, de qua natus est JESUS Christus. Ille summum caput est genealogiæ JESU Christi, ac idcirco gradus est, cui Divinissimus Servator toto vitæ mortalis tempore innitebatur. Quando autem Christus JESUS super* Josephum *innixus est? Tum enimvero, cum vir iste Sanctus inter ulnas eum abstulit, ut Herodis crudelitati subtraheret: cum sua eum protexit umbra, eaque præstitit officia, quæ tutores suis pupillis impendere consueverunt,* Huic Dominus innixus est, utique tanquam tutori pupillus, *ait memoratus Abbas.*

Modus IV. Instituitur amplificatio panegyris Sacræ per paraphrasim sacræ sententiæ, cujusmodi habetur in Oratione de S. *Ignatio* in hanc sententiam: *Si vis perfectus esse, vade, & vende &c.* Item per animadversiones paraphrasticas in verba Sacræ cujuspiam Sententiæ, proposita difficultate, vel sine illa, brevius, aut fusius. Exemplum fusioris habetur in Oratione de S. *Catharina*, in illud: *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Sit præterea aliud de Sancto *Ignatio* cum difficultate, sed brevius proposita.

EXEM-

EXEMPLUM.

Qui converti fecerit peccatorem, salvabit animam, *inquit Jacobus. Notate: quid Apostolus dicat? non ait, qui converterit; sed qui converti fecerit, salvabit animam. Eccur istud? Ergo ad salvandas proximorum animas perinde est converti facere, ac convertere? Ita enimvero: quæ enim per nos facere nequimus, si per alios fieri adlaboremus, nos feciſſe existimamur. Miles pugnat, Dux imperat; & tamen uterque victoriam reportat.* Ignatius de Lojola *multos equidem mortalium convertit in* Gallia, *in* Italia, *in* Hiſpania, *aliisque Provinciis, quas peragravit. Verum quot centena hominum millia convertit etiam in* Africa, *in* Aſia, *in* America, *in* India? *tametsi has nunquam viderit regiones. Fecit enim, ut per viros Apostolicos, illuc ab Ignatio miſſos, converterentur &c.* Qui converti fecerit, ſalvabit Animam.

Modus V. Fit amplificatio, cum narratio *Panegyrica* intercipitur per aliquam veritatem, *Theologicam*, *Aſceticam*, *Ethicam*, *Juridicam*, vel etiam *Philoſophicam* Sancti laudibus interpoſitam, à genere, vel à contrario. &c. Cujus exempla reperies complura in *Panegyri* de S. *Franciſco de Paula.* Sint utriuſque exempla: 1. *à genere.* 2. *à contrario.*

EXEMPLUM I.

A genere, per veritatem Theologicam. *Dignum noſtra opus eſt conſideratione: DEUS, qui nullo uti voluit inſtrumento in operibus natu-*

CAPUT 1. ARTIC. III. §. III.

ræ; attamen uti voluit in operibus gratiæ. Non eguit auxilio, ut astra, ac Cœli sydera crearentur; attamen auxilium admisit in productione Sanctorum, qui sunt pulcherrimum Regni cœlestis ornamentum. Nequaquam usus est Angelorum opera, ut visibilem, ac corporeum mundum crearet; verum ut invisibilem, ac spiritualem conderet, hominum usus est ministerio. Homines in ordine gratiæ sunt mundus novus, mundus Divinus, mundus supernaturalis, multo nobilior, & præcellentior mundo naturali. Et mundi productio, & peccatorum conversio vera est creatio: Creati in Christo JESU (*inquit Paulus*) ut simus initium aliquod creaturæ ejus. *Et in hac creatione non dedignatur DEUS hominum ministeria: unde patet muneris hujus amplitudo. Quanta igitur est Sancti* Dominici *præstantia, quandoquidem voluit DEUS illius opera uti in hoc creando gratiæ mundo, dum ad ejusmodi ordinem delectus est instituendum, qui per excellentiam* Prædicatorum *ordo compellatur: qui peculiari vocatione prædicandi munus exercet, qui omnia præstat, quæ in hoc munere, Ecclesiæ admodum utili, ac necessario, requiruntur*: DEI adjutores sumus, *inquit Paulus* (a).

EXEMPLUM II.

A contrario. *Hoc malum est à conjugio nunquam divellendum: licet mundum sit, ac sanctum; nihilominus partitur cor humanum. Nam ut vir necessitatibus familiæ consulat, molesta cogitur*

a) *Ita* Houdri *in Biblioth. Concion.*

gitur necessitate ad innocuas artes inquirendas, quibus uxori placeat, & recentia quotidie suæ dilectionis præbeat argumenta; atque ita misere se ipsum cœlum inter, terramque partiatur. Qui cum uxore est, *ait Apostolus*, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. *Verum Divus* Josephus, *omnium Virorum beatissimus, tametsi Divæ Virgini conjugio fuerit illigatus; haud tamen propterea à DEO est divisus, imo per Virginem conjugem suam arctius DEO est conjunctus. Nihil in ea cernebat, quod non summum pietatis sensum ejus animo injecisset. Verba attollebant ad DEUM, oculi cor sanctificabant, modestia actiones moderabatur. Ipsa oris species (quod magnum certe, ac rarum est) licet esset pulcherrima; sanctas tamen non nisi cogitationes in ejus mente efformabat; adeo, ut* Josephus *in DEUM se rapi sentiret, cum Virginem intueretur: charitate inflammari, cum loquentem audiret: ac plane in Angelum converti, dum cum Matre DEI, & Regina Angelorum versaretur.* Ita *Houdri* in Bibliot.

Modus VI. Fit amplificatio, dum narratio *Panegyrica*, per *moralem* ad Audicores *digressionem*, vel cum Sancti moribus *comparationem*, interpolatur. Hujus exempla reperies in Panegyri de S. *Francisco de Paula*, & de S. *Catharina*. Sit aliud ex *Houdri*.

EXEMPLUM.

Ac ut ardentem Divi Dominici *zelum cognoscatis, reflectite vos in vestrum, quo æstuatis,*

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

zelum. Superi! quam longe hic distat à zelo Sancti Dominici. *Non loquor autem de fidelibus generatim, qui nihil pro DEO pati volunt; tametsi plurima propter mundum patiantur. De illis loquor, qui Sacerdotio initiati, per status sui rationem Evangelium annunciare tenerentur. Hi volunt quidem JESU Christi paupertatem prædicare, sed una vitæ commodis, & rerum affluentia frui volunt. Sanctus vero* Dominicus, *quam prædicabat, re ipsa etiam experiebatur, paupertatem: tolerabat omnia vitæ incommoda, nec credebat verbum Divinum suum posse fructum obtinere; nisi, ut DEI filius, ab operibus cœpisset; antequam à verbis ordiretur. Plerique operarii Evangelici alicujus Ecclesiæ curam, sibi esse sustinendam, non ignorant; sed plerumque honores, & pingues reditus sunt merces, & objecta suscepti ministerii. Sanctus vero* Dominicus *se omnibus debitorem esse ratus, pro mercede ipsum habebat ministerium, quo de proximo bene mereretur &c.*

Modus VII. Fiunt amplificationes sacrarum *Panegyrum* per *locos Rhetoricos.* 1. Per *definitionem*, cujus exemplum habetur in *Panegyri* de S. *Philippo Nerio* apud *Cæsarem Calini*, mox adferendum. 2. Per *distributionem*, & *enumerationem partium*, ut in *Panegyri* de S. *Francisco Seraphico.* 3. Per *oppositа:* 1. cum prius ea adferuntur, quæ Sancto conveniunt; postea, quæ non conveniunt, in eodem genere. 2. Cum per oppositionem membrorum, aut periodorum, unus alteri in contrario genere comparatur, ut legere est

in

in *Panegyri* de S. *Ignatio*. 3. Per *comparationem majorum, minorum*, vel etiam *parium*. Ideam invenies in *Panegyri* de S. *Ignatio*, ubi cum Divo *Paulo* comparatur. 4. Per *adjuncta virtutis*, vel alicujus *affectionis* secundū internos animi, aut externos corporis sensus expensa. Meminimus hujus Tomulo (*a*) priore, ac etiam inferius hoc posteriore (*b*). Ideam leges in Panegyri de S. *Francisco Assisinate*, ubi ex adjunctis, hoc modo expensis, pauper fuisse ostenditur. 5. Fit amplificatio iterum per *adjuncta*, sed *exaggerata*, id est: cum ad extollendam aliquam Sancti virtutem, aut actionem, *circumstantiæ* rem illam *antecedentes*, vel *comitantes*, aut *consequentes* enumerantur, & exaggerantur, ut inde virtutis, aut actionis præstantia, magnitudo, aut difficultas pateſcat. *Verbi causa*: extollere velles magnanimitatem *Xaverii* in adeunda *Japonia*, enumerabis, & exaggerabis prius *circumstantias*, hoc iter *antecedentes*, aut *comitantes*, vel *consequentes*, ex actis vitæ, ut sunt pericula, difficultates, molestiæ, in hoc itinere à Xaverio pervincendæ, quibus tamen non officientibus *Xaverius Japoniam* est ingressus. Exemplum mox dabimus; at prius sit à definitione.

EXEMPLUM I.

Nempe cœlo chara nimis fuisti O Italia, *O* Roma! *prævaluere preces tuæ. Hic* Philippus

a) *Tom. I. l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1 p. 248.*
b) *Tom. II. l. 2. Cap. 2. Art. 7. §. 1.*

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

pus *remansit, & hic remanere debuit ad tot animas sua doctrina ad vitæ perfectæ sublimitatem perducendas: hic remanere debuit ad multiplicandum Spiritum suum in tot religiosissimis Sacerdotibus, qui se se professi sunt filios instituti ab eo erecti. Loquor de illustrissima ejus Congregatione, de qua merito asseverari potest: eam esse speculum terssimum, sine ulla scandali macula, quæ illam obfuscet. Esse terestrem paradisum; at sine serpente pessimi spiritus, qui eam contaminet. Esse, verum quid? An Congregationem Angelorum de Cœlo demissam in beneficium animarum? At Angeli haud sunt capaces illius pœnitentiæ rigoris, quibus ista Congregatio studet eluere culpas; at non suas. An Societatem Apostolorum, in procuranda proximorum salute indefessam? At dum ejus cultores à mundo abstrahere corda sua conspicio, eosdem solitarios esse video. Quid igitur? dicam, & verum dicam: dum integritati pœnitentiam, & zelo solitudinem conjungunt, esse Angelos, & Apostolos; sed Angelos pœnitentes, & Apostolos etiam hoc in mundo solitarios. Ferventes eorum adhortationes perssimiles esse video rori, super vellus Gedeonis quondam cadenti, qui erat quidem quietus; sed admodum penetrans; ita eorum sermones non equidem sunt elaborati ad falsas profanæ eloquentiæ regulas; attamen quantum esse potest, sunt exquisiti ad corda hominum emolliendo. &c.* Ita *Calini* sermone laudato.

EXEMPLUM II.

Atque ex hac fiducia, velut è fonte, profluxit ingens illa & invicta animi magnitudo in Xaverio,

verio, *qua omnibus, quæ illum excipiebant, malis occurrit, nihilque eorum, quæ humanitus accidere solent, extimuit. Certe (ut aliquos casus, quos ille forti animo insuper habuit, commemorem) quem non vel illa discrimina dejecissent, quæ suscipienda in Japoniam profectio ostendebat. Principio eundum erat itinere nondum satis noto, & explorato: navigandum oceano, non syrtibus magis, quam potentissimis ventis, infesto, quibus mare commotum iis sæpe fluctibus exultat, qui validissimas etiam naves laxatis compagibus labefactent, & ad ultimum interitum propellant: solvendum cum Navarcho, si non imperito, immani certe, & omnis humanitatis experte, qui eum vel profundo immergere, vel in loco solo destituere cogitabat: occurrendum pyratis, prædam, & cædem inbiantibus: incidendum in* Acenos, *maxima vindicta* Lusitanis *infestos, qui mare hoc omnino obsident, & navibus, quæ Japoniam sequuntur, exitium continenter, & perniciem moliuntur. Quantum non ab ipsis etiam Sinis metuendum erat, qui piraticis lembis infensi, mare hoc frequenter admodum percursant, & innocentes etiam, hostium in vicem, contrucidant. Quis tam infido, tam periculoso itineri caput committere non metueret? Quis in pessimam se se crucem secundis velis abiturum non putaret? Mirum certe quam vellem mihi dari unum aliquem, qui horum malorum conscius, institutum in animo in* Japoniam *abeundi consilium non abjecisset. At* Xaverius *alienum forti pectore putavit, bis casibus commoveri. Quippe belle admodum sciebat: qui magnas res gerere vellent, ma-*

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

CAPUT 1. ARTIC. III. §. III.

magno, & forti animo esse oportere. Sciebat tot malis hoc iter esse obnoxium: deterrebatur amicorum hortatibus, numquidnam extimuit? nunquid profectionem reliquit? Imo amicorum hortatibus, atque adeo tot malis intrepide rejectis, ducum eorum in morem, qui per medios ignes, per strata mortuorum cadavera, ad palmam connituntur, in Japoniam *contendendum putavit.*

Modus VIII. Per *figuras*, maxime delectantes, & Narrationi deservientes. Adferam earum aliquas. 1. Per figuram *suspensionis*, ac etiam *subjectionis*, præsertim in facti alicujus Narratione. Ideam reperies in Oratione de S. *Francisco Seraphico*. 2. Per *Ethopæiam*, qua mores, & affectus personarum describuntur, cum auxesi, vel sine illa. 3. Per *Hypothiposim*, quæ res gestas, vel gerendas depingit, pariter cum *auxesi*, vel sine illa. Exemplum habes in Panegyri de S. *Joanne Francisco Regis*. 4. Per *antitheta*, quæ mire ornant orationem, si prudenter, nec crebrius, quam oporteat, usurpentur. 5. Per *præteritionem*, qua eleganter alia etiam Sanctorum acta, tametsi ad propositum minus forsan pertinentia, poterunt commemorari. Exemplum præbet *Panegyris* de S. *Francisco Regis*. 6. Per figuram *repetitionis*, maxime *complexionis*, cum sacra præsertim sententia, vel præcipua ejus verba, repetuntur, ut est in *Panegyri* de S. *Francisco Regis*.

Modus IX. Eleganter adornatur amplificatio *Panegyrica* per *apostrophen*: cum in facti

cti alicujus, aut virtutis, quam Orator vult extollere, enarratione, sanctum [vel alium etiam] per *apostrophen* alloquitur, eumque allatis, vel ex actis vitæ, vel à rei circumstantiis *antecedentibus*, *comitantibus*, vel *consequentibus*, petitis argumentis adhortatur ad aliquid suscipiendum, agendum, deponendum, quod re ipsa Sanctus, vel alius, non suscepit; non egit, non deposuit, vel etiam cum suscepit, egit, deposuit. Vel dehortando à re jam suscepta, acta, deposita, vel etiam non suscepta, non acta, non deposita. Res clarius patescet exemplis: Verbi causa: constantiam *Aloysii* in exequendo vocationis proposito commendare velles: dehortaberis illum, ne societatem ingrediatur, sed cedat parentum votis, cognatorum precibus, reipublicæ desiderio, tacitis eum votis retinenti. Præterea: quia Societas est ordo novus, multorum odiis expositus, unde nullus ad Ecclesiæ dignitates, quæ familiæ essent splendori, aditus patet &c. Post subjungat: *Aloysium* his tamen rejectis omnibus Societatem fuisse ingressum ingenti sua gloria &c. Vel narras *Ignatium* ab urbibus fuisse excusum, eleganter per apostrophen alloqueris urbes, adferendo ad eum in urbes recipiendum varia ex actis vitæ argumenta: *Ignatium* futurum in urbibus, qui servi instar ægrorum lectulis adsideat, qui medici instar infirmos sanet, qui carcere detentos soletur, qui rudes fidei doctrina in-

CAPUT 1. ARTIC. III. §. III.

stru-

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

ſtruat, qui juventutem virtute, ac literis imbuat &c. Præterea inſtitui poteſt non tantum adhortando, vel dehortando; ſed etiam percenſendo eâdem apoſtrophes figurâ, quid cum Sancto futurum, vel agendum ſit? ut in *Panegyri* de S. *Aloyſio* in illud: *quid de me aget Societas*? Aut quid Sanctus agere debeat, praxim, & modum exhibendo, ex geſtis, ut dixi, vitæ rebus cum figura repetitionis, aut complexionis, enumeratis; quemadmodum habetur in Panegyri de S. *Ignatio* in illam *Pauli* ſententiam: *Domine quid me vis facere*? Et hos amplificandi modos, hic relatos, *Itali* maxime uſurpant Oratores. Juvat exemplis illuſtrare.

EXEMPLUM I.

Salmanticæ ad ſacrum Inquiſitionis *tribunal vocatus illico comparet* Ignatius, *atque de ſua interrogatus doctrina reſpondet, ut verbum omne oraculum eſſe videatur. Sacri Judices ſub vili centone tam uberem ſapientiam latere admirati, ſolliciti exquirunt: qua inſchola, quo Magiſtro, homo (ut apparebat) literarum imperitus, tam ſublimem rerum cœleſtium doctrinam hauſiſſet? Nunc age* Ignati, *quid reſpondes? (magnum hic aliquid promere debuiſſet, ſi veracibus animi cordiſque vocibus reponere voluiſſet) Age, inquam*, Ignati, *quid reſpondes? Quid reſpondet? oculos humi defigit, verecundo rubore ſuffunditur, & tacet. Sed abſit, O venerande* Patriarcha! *ut ego, te tacente, pariter taceam. Si ſiles? en ego prodibo, ac tui cauſa reſpondebo. Quæritis, O Judices, è qua*

Igna-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

Ignatius *schola hausit tantam rerum cœlestium doctrinam? Ajo: hausit è schola Orationis. Vix æterna degustare munera ceperat; duas integras confestim noctes flexis genibus coram icone magnæ Deiparæ* Arazanzurri *pervigilavit. Inde multis post annis septem quotidie horas orationi (ut ajunt) mentali impendebat. Vidimus eum centies, ac centies, dicent limpidæ vobis undæ* Cardeneri, *nostras obambulantem ripas, ut illic, ad beatæ veluti Sionis littora digressus, Divinas magnificentias contemplaretur. Vidimus, addent felices Cryptæ Manresanæ, totas quieti noctes subtrahentem, ut cœlestibus meditationibus intenderet. Vidimus pluribus quandoque diebus, integris quandoque hebdomadis, à sensibus alienum, in altissimas extases abreptum, cœlestes doctrinas haurientem. Ego quidem apertum videor mihi intueri cœtum supra specum* Manresæ, *& inter nubes lucidas, ingenti spirituum Angelicorum comitatu, ipsam descendere sapientiæ Reginam ad suum Tironem instituendum. Et vero sacrorum liber exercitiorum, quem manibus tenetis, O Judices! liber mille postea in examina revocatus, à Cardinalibus* Perronio, *&* Borromæo aureus *dictus*, integra Bibliotheca, *omnium post sacras paginas* librorum præstantissimus, *& ab ipsa Ecclesia* admirabilis *nomine compellatus: iste, inquam, liber dictatus est ab Angelorum Regina, quæ sæpius scribenti præbuit se aspectandam. &c. Ita quidem* Ignatius *sine ullo propriæ laudis crimine poterat respondere. Nec enim proprias aperire laudes crimen est: cum justæ defensionis ratio deposcit.* I-

CAPUT I. ARTIC. III. §. III.

gnatius *tamen, ne quam Divinæ gloriæ laudem sibi tribueret, nihil quidquam eorum adferre voluit; sed omnino tacuit &c.*

EXEMPLUM II.

Felicem Xaverii *fortitudinem hi, quos memoravi, casus, utpote incerti, ac prospere ab eo etiam evitati, fecere; at insolitam, inauditam, incredibilem non fecere. Ad hanc laudem per discrimina solum præsentissima pervenitur. Alium nunc gloriæ tuæ campum fortissime* Xaveri, *Maurica, humana carne vesci solita, regio aperiet. Vides, ut cæsorum hominum sanguine pinguis humus luxuriet, ut ossibus albescat, ut strata per arenam interfectorum cadavera solis æstu ad escam torreantur, ut ante ora matrum, contra jus, piumque, Parentos natos suos trucident, ut peregrinis undique insidientur. Et hos tu* Xaveri *ad veram fidem advertere, hos à cædibus, à feritate, abducere contendis? Quæ te, malum! consilia? quæ cogitationes ad hanc mentem conjecere? Num à te cruentas tot cædibus manus temperabunt? Num à te solo (quod ne natis quidem, & conjugibus faciunt) immodicam ingluviem abstinebunt? Cede hoc loco* Xaveri, *& Sanctum, cui jam aras Roma meditatur, corpus, ne, oro, belluis istis dilaniandum propone. Tune ossa tua, ad quæ olim, pronus in genua, orbis venerabundus provolvetur, bis in oris dispergi, & exsiccari sustinebis? Vide, ne uno vulnere totam* Indiam *confodias; una cæde tot millia animarum prostenas; unius interitu orbem interire patiaris. Heu quanta in uno homine jactura! Age, & ab eo, quod intendis, abi consilio; &*

gran-

dem animam grandibus factis, pro DEO, pro Ecclesia peragendis, asserva. At Xaverius nil his permotus Mauricam ingreditur. Et ecce! quos inimicos fore suos putavit; hospites humanitate plenissimos invenit, qui Xaverium, & cum Xaverio Christi fidem summo ardore excepere. CAPUT II.

CAPUT II.

DE MODIS ADORNANDI SACRAS SANCTORUM PANEGYRES SPECIATIM.

MOdi, quibus Sacræ Sanctorum *Panegyres* adornantur, ut mihi, varios celebrium Oratorum *Panegyricos* evolventi, licuit observare, multiplices esse possunt. Alii sunt ratione *formæ*, alii ratione *materiæ*, alii ratione *speciei orationis*. Ratione *formæ* dividuntur in *artificiales*, & *naturales*. *Artificiales* sunt: qui per aliquam Oratoriam argumentationem, eamque, vel *fundamentalem*, toto orationis corpore diffusam, vel *particularem*, non totum Orationis corpus, sed unam, vel plures confirmationis partes, ut Oratori libuerit, complectentem, ex arte construuntur. *Naturales* sunt: qui sine ejusmodi argumentationis artificio, vel per *Chriam*, aut per *narrationem* ab *adjunctis personarum*, aut *actionum*, vel *antecedentium*, *comitantium*, & *consequentium*, &c. petitam, conficiuntur. Et quoniam plus *naturæ*, quam *artis* (quamvis nec hi sine arte tractari queunt] habere videntur; idcir-

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

co ad modi *artificialis* discrimen *naturales* compellantur. Ratione *materiæ*: alia est Panegyris *propria*, cujus structura non innititur alicui tropo, metaphoræ, vel comparationi continuatæ; alia *allegorica*, *parallela*. Ratione *speciei*: alia est *pura*, nulli alterius Orationis speciei permixta, alia *mixta*. De singulis hoc capite agam, ducto ab *artificialibus* initio.

ARTICULUS I.

DE PANEGYRI SACRA PER ARGUMENTATIONEM FUNDAMENTALEM.

§. 1.

Præcepta hujus modi.

PRimus inter *artificiales*, cæteris etiam sacrarum Orationum speciebus communis, sacras Sanctorum *Panegyres* adornandi modus est per *argumentationem*, ut dixi, *fundamentalem*. Hunc, ut rite intelligas, primum exponam ejus naturam, post adferam praxim, demum observanda in usu modi hujus proponam.

I. *Natura modi.* Per *argumentationem fundamentalem*, vel, ut alii vocant, *principalem*, aut *universalem*, non aliud intelligo, quam enthymema quoddam, aut syllogismum, vel dilema, aut collectionem Oratoriam, cui, tanquam fundamento, totius orationis corpus, ac structura innititur; ita, ut syllogismi *major*, cum sua ratione,

aut

aut sine illa, prout nempe *syllogismus* fuerit constructus, sit exordii ingressus: *minor* cum sua ratione, aut sine illa, sit *descensus*: *complexio* agat *propositionem*: *ratio minoris*, si contineat divisionem, serviat *introductioni*, aut *partitioni*, vel utrique: *membra* singula *partitionis* novis argumentis, per alias particulares argumentationes, vel sine illis, deductis, pertractet *confirmatio*: *conclusio* rursum epilogo locum præbeat. Juvat rem exemplo declarare. CAPUT II. ARTIC. I. §. 1.

II. *Praxis hujus modi.* Sit *thema* Sacræ Panegyris in illam *Davidis* sententiam: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: Sanctus *Ignatius de Lojola* exuit se omni humana gloria. Hoc thema rediges in *argumentationem*, ut dixi, *universalem*, syllogismum quinquepartitum complectentem. *Major*: Licet homines natura sua humanæ gloriæ magnopere sint appetentes; sunt tamen, qui singulari DEI munere, aut virtutis ac divinæ gloriæ studio ita illam exuunt, ut nec illius sensu tangantur. *Ratio majoris*: Ab exemplo Davidis, ita gloriam refugientis, ut nil sibi, totam DEO attribui rogaverit: *Non nobis*, inquit, *Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Minor*, sive *assumptio*: Talis fuit etiam Sanctus *Ignatius*, qui licet, ante conversionem magnopere studuerit humanæ gloriæ (quod declaratur exemplo, ex actis vitæ deprompto) à conversione tamen sua divinæ gloriæ, ac perfectionis stu-

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

dio, adeo ab ea abhorruit, ut se omnino ea exuerit. *Ratio minoris* divisionem continens: quia exuit se gloria nobilitatis per ignobilitatem, gloria divitiarum per paupertatem, gloria honorum per contemptum. *Complexio*: ergo Sanctus *Ignatius* exuit se omni humana gloria. En argumentationem universalem toti Orationis structuræ fundamentum præbentem! Nam *major* cum sua ratione, sacram simul sententiam continente, aget *ingressum*: *minor* efficiet *descensum*: *complexio propositionem*: *ratio minoris* continens *divisionem* serviet *introductioni*, & *partitioni*: *confirmatio* singula *partitionis membra* novis iterum argumentis, & quidem *primam partem* per syllogismum quadripartitum sine subdivisione; *alteram* per chriam; *tertiam* per enthymema cum subdivisione pertractabit. Conclusio rursum aget epilogum cum enumeratione, & digressione morali. En *primam* Orationis ita factæ *ideam*! Paradigma referam inferius (a).

III. *Observanda in usu modi hujus*. 1. Hæc *universalis argumentatio* interdum constat syllogismo *quinquepartito*, interdum *quadripartito*, sæpe *tripartito*. Aliquando partitio continetur in *majori*, aliquando in *minori*, sæpe in *majoris*, vel *minoris* ratione. Sic in Oratione de Sancta *Catharina*, post paulum (*b*) adferenda, partitio insinuatur in majoris ratione: Ex mente Salomonis magna est laus esse

a) *Tomul. II. l. 2. Cap. 2. Art. 3. §. 2.* b) *Tomul. II. lib. 2. Cap. 2. Art. 6. §. 2.*

esse mulierem fortem: unde Salomon solicitus percunctatur: *mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Cujus *ratio* est à contrario: quia mulieres natura sua, & mente, & intellectu sunt imbecilles. Sed *Catharina* fuit mulier fortis. *Ratio minoris:* quia fuit fortis & intellectu, & voluntate. Intellectu: cùm sua mentis sapientia quinquaginta Philosophorum devicerit sapientiam: fuit fortis voluntate, cùm animi sui constantia Maximini Cæsaris devicerit potentiam. Ergo magna *Catharinæ* laus est esse mulierem fortem. 2. Potest hæc *argumentatio* constare etiam *enthymemate*, à *simili*, vel aliunde ducto, ita ut partitio contineatur statim in *antecedente*, vel in *ratione antecedentis*, aut in *ratione consequentis.* Si à *simili* ducatur, *protbasis* antecedentis aget *ingressum*, *apodosis* descensum, *complexio propositionem*, ratio complexionis serviet *introductioni*, ac *partitioni.* Imo fieri etiam potest per *collectionem oratoriam*, quæ in *ratione* ipsius *rationis*, vel in ejus *exornatione* partitionem contineat. 3. Sæpe in syllogismo *ratio majoris*, aut etiam *minoris*, vel in enthymemate *ratio antecedentis* præponitur tam in *ingressu*, quam in *descensu*; imo interdum fit, ut *minor*, vel *ratio* antecedentis agat *ingressum*, *major* autem, vel *antecedens descensum.* 4. Satagendum, ut Sacra sententia Orationi præfixa, vel in *majore*, vel in *minore*, vel in alterutrius *ratione* adferatur. 5. Non oportet, ut argumentationes

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

apud Oratores sint ad omnes omnino *Logicæ* leges exactæ, nec ita iis stricte inhærendum, ut ejus membra nihil amplificationis à *simili*, ab *exemplo*, à *scripturæ* sententia, à *genere*, à *contrario* admittant; imo quod in prima idea fuit in modum *affirmantis* prolatum, in oratoria deductione proferri potest in modum *negantis*, vel alia ratione vestiri, ac ornari. 6. Singula divisionis membra tractari rursum possunt per alias particulares argumentationes, ut *syllogismos*, *enthymemata*, cum *subdivisione*, cujus ideam præbet Panegyris de S. *Francisco de Paula*; aut sine *subdivisione*, ut habetur in Panegyri de S. *Ignatio*; vel sine argumentatione per *cbriam*, ut fit in eadem Panegyri de S. *Ignatio*; vel per adjuncta actionum, quemadmodum constructa est Panegyris de S. *Francisco Regis*, vel aliis modis post paulum explicandis.

§. II.

Paradigma hujus modi.

PAradigma modi istius exhibet (a) Panegyricus, à Patre *Ludovico Bourdaloue*, celeberrimo in Gallia *Ludovici* XIV. Regis, de Societate nostra, Oratore, adornatus S. *Francisco de Paula*, ordinis *Minimorum* Fundatori. Oratio innititur *enthymemati* à simili ducto, vel, si mavis, *syllogismo quadripartito*:

DEUS

a) *Hunc latine interpretatus est* Stephanus Biro, *de Societate nostra Sacerdos*, & *Eloquentiæ Sacræ Cassoviæ Professor.*

DEUS Gedeonem, se minimum reputantem, coram populo Israelis magnum fecit; sed perinde *Franciscum*, se deprimentem, DEUS coram mundo illustrem reddidit. Ergo *Franciscus* sibi parvus, DEO magnus. *Ratio minoris* continens *subdivisionem*: quia *Franciscus de Paula* omnes humilitatis vires intendit, ut se coram mundo parvum faceret; DEUS contra omnes magnificentiæ vires impendit, ut *Franciscum de Paula* magnum redderet coram mundo. *Major* est ingressus, *minor* descensus, *ratio minoris* servit introductioni, & partitioni. Est specimen Panegyris solennioris.

ORATIO.

Sententia sacra: *Ego minimus in domo Patris mei.* 1. Jud. 6.

Thema orationis: *S. Franciscus de Paula sibi minimus; DEO maximus.*

Partitio Thematis: *Quia* 1. *S. Franciscus de Paula omnes humilitatis vires intendit, ut se parvum faceret coram mundo.* 2. *quia contra DEUS omnes magnificentiæ vires impendit, ut Franciscum magnum faceret coram mundo* (a).

EXORDIUM.

Ingressus à simili, continens prothasim in majore. *Verba, quæ glorioſi hujus Patriarchæ, cujus festam hodie agimus celebritatem, laudibus adornandis accommodo, fuere aliquando à Ge-*

a) *Hæc partitio est elegans, quia* 1. *Characterem continet.* 2. *Est Sententiæ Sacræ conformis.* 3. *Est ab antithesi.* 4. *Complectitur figuram commutationis.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

deone, *Viro illo, lege in antiqua celeberrimo, in medium prolata. Hunc DEUS in Ducem, ac Principem populi sui, non alio delegit consilio, ac ut* Madianitas, *victoria insolentes, debellaret, & Hebræos, gentiles, popularesque suos, in libertatem vindicaret. Dux hic, sanctitate inclytus, admiratus hanc DEI singularem in se peculiaremque voluntatem, ajebat: nunquid ego sum Domine de tribu minima omnium, cui nomen* Manasse? *an non genus meum humile est, & obscurum? an non ipse minimus sum in domo Patris mei? Quibus ergo viribus, quo præsidio, qua potestate populum Israel in libertatem affirmabo?* In quo liberabo Israel? Ecce familia mea minima est in Israel, & ego minimus in domo Patris mei. *Perge modo (reponit DEUS) jungam ego me tibi socium, efferam te in sublime, & in fastigio dignitatis excelso, amplissimoque collocabo. Et re ipsa liberavit fidem, quam illi firmaverat, DEUS; nec enim vos præterit, in quem magnitudinis locum* Gedeon *pervenerit, quantum solo nomine hostibus terroris injecerit, & quomodo eum fama per omnem terram celebrarit?*

Descensus continens apodosim in minore. *An non* Gedeon Franciſci de Paula, *Viri demississimi, atque maximi, verissima, & absolutissima est imago? Nunquid videtur Deus* Franciſcum *in eo descripsisse, & multo antea, quam lucis usuram accepit, notum nobis, illustremque facere voluisse? Certe DEUS perinde illum, ac* Gedeonem *ad opera salutaria, & ardua destinavit; partim ut novum ejus spiritu in Ecclesia ordinem*

dinem excitaret; partim, ut de mundo, carne, & dæmone, novo quodam, ac pæne incredibili, victoriæ genere triumpharet? At quis ad hæc Francisco *animus? quis sensus? Non alius sane, quam fuerat* Gedeonis. *Heu quid (inquiebat) mi DEUS! Num te fugit me mortalium, quantum est, omnium vilissimum esse? Quæ in me, homine nimium quam imbecilli, virtus poterit inveniri, ut optata perficiam, ac votis tuis morem geram?* Ego minimus in domo Patris mei. *Novi istuc (reponit Dominus) quapropter te illustrabo, & tam gloria, quam honore cumulabo.*

Propositio habens complexionem. *Resistamus hoc loco parumper* Auditores: *hic quippe figam & ipse sermonem, atque istud constituam dicendi argumentum: Texere* Francisco *Panegyrim est laudare humilitatem, texere humilitati panegyrim, est laudare* Franciscum, *sibi minimum, DEO maximum. Universæ ejus virtutes, fides, charitas, rigor vitæ, pium semet affligendi studium, hac una in virtute, ceu in abyssо altissima, absorptæ continentur. Quas antea, quam proferam in apertum, opem de cœlo, interventu humillimæ Virginis obtinendam, petamus.* Ave Maria *&c.*

Introductio continens rationem minoris generatim. *Tametsi humilitas inter virtutes sit maxime pacata, submissa, ac modesta; sæpius tamen, haud secus quam superbia, nititur DEO repugnare. Scriptura Sacra in libro Geneseos prodit nobis certamen quoddam, quod principio DEUM inter, ac homines, intercessit; non aliunde profecto,*

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

fecto, quam ex fastu hominum, & arrogantia inchoatum. Homines cepere se se DEO invito efferre; DEUS vicissim superbiam insolentem ingratiis eorum reprimebat. Elatio Gigantum ex insolentia non magis, quam præsumptione, stetit adversus Divinam potentiam: Divina contra potentia, fulminibus armata, stetit adversus Gigantum potentiam. At ego certamen hodie, quod multum ab isto abhorret, ob oculos proponam: nam quantum in isto criminis hæret; tantum illud à Sanctitate commendatur. Certamen hoc etsi DEUM inter, ac homines habeatur; nihilominus pacem fovet, mutuam concordiam procurat, arctissime creaturam cum DEO conjungit. Est hoc certamen, Chari Auditores, *certamen virtutis, profectum ab animo* Francisci de Paula, *humilitate exornato. Quæ ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut cum ipsa etiam DEI magnificentia, & liberalitate ausa sit decertare. DEUS* Franciscum *efferre cupit; ille vero, quoad licet, suæ semet magnitudini opponit.* Franciscus *contendit se in nihilum redigere, abjicere, deprimere; DEUS contra eum in lucem asserturus, studiis ejus intercedit.*

Partitio continens rationem minoris speciatim. *En! totum dicendi argumentum quod velim percipite: nam in eo tam sermonis, quam divisionis situm est fundamentum,* S. Franciscus de Paula omnes humilitatis vires intendit, ut se coram mundo parvum faceret; *quod primum.* Deus contra omnes magnificentiæ vires impendit, ut Franciscum magnum redderet coram mundo; *quod alterum dictionis caput erit.*

erit. Servator in suo Evangelio perhibet: qui se humiliat, exaltabitur: *necesse est ut oraculum istud compleatur; ego vero contendo, nec verius illud in ullo, nec illustrius, quam in Francisco, completum esse: nempe* sibi parvus: DEO magnus *erat. Quod ut evincam, id studebo, ut prima Orationis parte* Franciscum *sibi* parvum, *id est: se adnitente esse* humiliatum; *altera vero* Franciscum DEO magnum, *id est: à DEO esse* glorificatum *intelligatis. Adeste cum silentio: efficiam, ut & pietati vestræ, & salutari institutioni fiat satis.*

PARS I.

SANCTUS FRANCISCUS DE PAULA OMNES HUMILITATIS VIRES IMPENDIT, UT SE PARVUM FACERET CORAM MUNDO.

Prima divisionis pars tractatur *syllogismo quadripartito*, qui subdivisionem continet in *minoris ratione*: Qui magnus est tam DEO, quam hominibus; conatur nihilominus omni se modo coram mundo deprimere; is omnes humilitatis vires intendit, ut se parvum faciat coram mundo. Hoc egit Franciscus de Paula. *Ratio minoris* subdivisionem complectens: egit in *solitudine*, egit sacro *in ordine*, egit in *aula*. Prætermissa *minoris ratione* ipsæ subdivisionis partes, una ex altera, statim post minorem, per ordinem pertractantur; quin ulla prius vel generatim subdivisionis mentio habeatur, juxta Tom. (a) priorem.

Major.

a) *Tom. I. l. 2. p. 2. Cap. 2. Art. 9. §. p. 501.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

Major. *Nihil esse, & se nihili facere: esse aliquid, & se parvi æstimare: esse despicabilem, & se re ipsa despicere, non est ab humilitate alienum. At in magna fortuna obscuritatem appetere: in magna apud DEUM gratia vilitati studere: celebritatem denique nominis, opinione hominum maximam, obtinere; sua tamen sententia infra omnes se dejicere, magna profecto humilitatis est perfectio, quam Divus* Bernardus *præ, quam alias virtutes, admiratur*: Mirabilem te apparere [*inquit*] & contemptibilem reputare; hoc ego virtutibus ipsis mirabilius judico. Minor. *En verissimum humilitatis characterem! En specimen submissionis! quæ pœnitissimè in animo* Francisci de Paula *insedit. Fingite vobis*, Auditores, *hominem unum aliquem gloria, & honore cumulatum: hominem potentem opere, & sermone: hominem terræ Principibus venerandum: hominem charum Pontificibus, acceptum Regibus, celebratum populo: hominem conspicuum prodigiis; sed cujus omnis industria in se celando, & obscurando consumatur: qui nihil, nisi pro sua vilitate, laboret: nihil, nisi de loco infimo, cogitet: qui totum id, quod spiritus suggerit, & humanus animus suapte effingere potest, ad se abjiciendum, ac deprimendum impendat, & habebitis imaginem* Francisci, *in animis vestris rudibus lineamentis informatam.*

I. Subdivisionis Pars: in solitudine. *Atque ut hæc imago, auspicato incepta, absolutionem consequatur; aderit* Franciscus *operi, & laborem fortunabit. Hic primum ut animadvertit*

DEUM

DEUM in eo mirabilia operari cepisse, florentem nimirum ætatem singularibus beneficiis prævenisse, infantiam prodigiis illustrasse; veritus, ne fama nominis increbrescente humilitas sua detrimentum faceret, quid occepit? cepit consilium, quod Christianæ tantum fidei conditio, nemo vero præterea, ejus animo poterat instillare. Si, ut nunc est, prudentiam carnis in consilium adhibuisset, insipienter omnino, & nihil ex usu suo, ac salute præstitisset. At Spiritum Domini, Ducem ad omnia, & Magistrum, habebat: hoc authore, & auspice clam se domo paterna eripuit, & tredecim non amplius annos natus secessit ad desertum, quod specum domicilii ferarum potius, quam hominum, referebat. Hic in arcta quadam specu reperit solitudinem, quam DEUS illi adornarat: quamque ille non aliter, quam sepulchrum spectabat, in qua vivens tumularetur: certus deinceps: hic vitam colere, & finire. Hic erat primus ille miræ illius, qua præter cæteros enituit, gradus humilitatis. Atque ut tacitus prætermittam, quid egerit vir hic Sanctus, ab arbitris remotus, solitudini mandatus, virtutis causa ab omni hominum consortio disjunctus. Ut silentio involvam ea lumina, quibus erat illustratus; eos teneros animi sensus, quibus erat delibutus; eum vitæ rigorem, cui erat consuefactus; illas virtutes summas, quas fuerat consectatus, ut hæc, inquam, ceu arcana animi, ab animi nostri notitia non minus; quam sensibus remota, præteream; unam tantummodo ejus dotem, eamque longe pretiosissimam, celebrabo; quæ omnia, sive, quæ de Francisco *ab aliis possetis audire,*

sive,

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

sive, quæ ego possem prædicare, longo post se reliquit intervallo. At quæ dos ista? quod ornamentum? Illud enimvero, quod Franciscus, *profundissimæ demissionis studio incitatus, vitam ignotam, à turba sejunctam, æternaque oblivione obruendam, in votis habuerit agitare*: Oblivioni datus sum tanquam mortuus (a). *Atque istud est, quod teneo de* Francisco, *quodque mea quidem sententia haud scio, an non omnia laudum omnium, quantumvis illustrium, decora antevertat. Si dicerem illum vitam in solitudine omnino Evangelicam transmisisse: consuetudinem cum Deo arctissimam, in sublimitate Orationis, altitudine contemplationis, collocatam habuisse: si affirmarem fervore spiritus, magnitudine pœnitentiæ, qua* Eliam *non minus, quam* Joannem Baptistam *exæquabat, sacra hæc loca consecrasse: à jejunio nutrimentum, à cilicio corporis cultum, ex humo lectum, ab exhausta carne victimam, quam studio affligendi immolaret, accepisse: omnia hæc vobis excelsa, mirabilia, imo Divina apparerent. Verum his omnibus multo est excelsius, quod virtutum tam illustrium splendorem voluerit tenebris solitudinis occultatum. Explevit enimvero illud Bernardi*: ama nesciri, *ac Jeremiæ* (b): diem hominis non desideravi: *quasi diceret: non ego hominum conscientiam, non ora, non vultus, non studia: sed his omnibus, infra te habitis, tuos Domine oculos, tuum arbitrium, tuum testimonium requisivi*: Diem hominis non desideravi. *Sanctus itaque fuit* Franciscus de Paula; *at Sanctitate*

a) *Psalm. 30. v. 13.* b) *Jerem. 17. v. 16.*

tate occulta: fuit severus in se; at severitate ignota: fuit humilis; at humilitate omnium perfectissima; quia ab oculis hominum, & conscientiis, quam longissime remota. Est quædam alia in orbe christiano humilitas, quæ per se se suadet pietatem, fidem facit, venerationem, & honorem, quem refugere videtur, conscisit; at num hæc sit virtutibus accensenda; nihil equidem constituo; est, qui illam pro sapientia discernat, DEUS. Cæterum quotiescunque hujusmodi humilitatem intueor; toties equidem illam suspicio; vereor tamen, ne fucum quemdam virtutis solummodo venditaret. Suspicio illam, ob aliquam speciem, & formam virtutis, quam ostentat; metuo autem magnopere eapropter, quod periculosissima modestiæ virtus sit, quæ humilitatis, cujus mentitur imaginem, spiritu caret. Equidem documentum istud Divi Gregorii *animo reputans: quod humilitas sit veluti spiritus quidam tenuissimus, qui cum in aere libere evaporet; nusquam melius, quam in vase bene clauso, conservetur; parum illi, & nec tuto confido. Atque istud est, cur* Franciscus de Paula *suam humilitatem voluit umbra solitudinis obscuratam. Existimabat siquidem hunc thesaurum, publico expositum, discrimini patere:* Deprædari desiderat, qui thesaurum publice portat, *inquit Gregorius.*

II. Pars subdivisionis: sacro in ordine. *Quanquam quid ajo Christiani? Ergo semper hæc virtus in latibulis delitescet? ergo nunquam erumpet in publicum? Nunquam in luce communi Ecclesiæ versabitur? Pervellet illa quidem procul ab hominibus soli DEO lucere; sed usuvenit aliquando,*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

do, ut cogatur apparere. Et sane solidis experimentis diu multumque probata, longo usu affirmata, potest etiam emergere è tenebris, cum ut DEUM vocantem consectetur, tum ut ejusdem ordinis providentiæ conformetur. Franciscus de Paula sex ipsos annos in solitudine transegit: quod quidem etsi pro ejus desiderio parum erat; multum tamen pro Ecclesia, cui DEUS eundem conservabat, multum pro hominibus, qui debebant aliquando ejus luminibus refulgere. Sed necesse est, ut delicias deserat Franciscus, quas illi solitudo faciebat. Quid ego mihi illudo Chari Auditores? nunquam ille solitudinem dereliquit quam semel adamarat; verum uti vita ejus, in litteras relata, prodit: homo hic cœlestis, & divinus, tanquam centrum suæ virtutis, solitudinem non deserens, eggressus in mundum, omnem secum solitudinis, & humilitatis spiritum exportavit. Egressus autem? imo vero mundus eum ad solitudinem secutus est, ut ex virtutibus tanti viri, exemplisque humilitatis, sanctitatem mutuaret. Et profecto simul atque cognitis Calabriæ desertis nomen ejus in publicum erupit, cepitque vicinis in Provinciis longe lateque divulgari: confestim desertum istud populus inundavit, eremum Francisci circumfudit, quo non aliter, quam ad fontem pietatis certatim homines confluebant. Quantum prodigium! nondum annos viginti natus erat, nihil prope expertus erat; en tamen numerum discipulorum propemodum infinitum! qui illum solicite requirunt, qui, misso rebus omnibus nuncio, ei se se addicunt, qui eum ad vitam meliorem Magistrum capiunt, qui pro suo legislatore recognoscunt,

scunt, qui vocem ejus, uti oraculum, audiunt, qui veluti parenti morem gerunt, qui se ejus fidei, disciplinæ, institutioni concredunt At audiamus quibus verbis informat discipulos, qui se ejus magisterio commendarunt. Unum videlicet docet, quod in Sancti Spiritus schola condidicit, & ad eam, qua enituit, sapientiam pervenit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde (a). *Fratres* [*sic suos discipulos appellat*] *fratres inquam, non video, cur de me, in solitudine conquisito, morum regulas, monitaque flagitetis; mea doctrina unico duntaxat articulo definitur. Ut vobis arcana pandam, ut cogitationes altissimas communicem, ut vos ad ministeria DEI penetranda habiles reddam, id à me neutiquam petatis: mea Scientia est JESUS Christus, & quidem humilitate ad nihilum, ut sic dicam, redactus: estote, ut ille, mites, suaves, & humiles corde. Hæc est mea scientia, hæc doctrina, qua ubi animos imbueritis, tenebitis omnia, & scietis. Atque istud est, quod ille discipulis prædicavit, hac re convictos à vitiis, à mundo, ad vitam cœlestem, ad sectandam crucis viam angustissimam traduxit, &, quod prodigio apponitur, non major annis undeviginti ordinem novum, à sacra sede approbatum, fundavit. Et quem ordinem O Christiani? Cernite! quod nos pro dignitate non valemus admirari, ordinem, quem supra fundamentum humilitatis stabilivit: ordinem, quem per solum humilitatis spiritum gubernavit: ordinem, quem charactere humilitatis distinxit. Cuncti ordines habent suum characterem,*

a) *Matth. 11.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

id quod illam varietatem constituit, in corpore Ecclesiæ, quam David in hanc sententiam expressit: circumdata varietate (a). *Unum commendat austeritas; alterum paupertas: hunc sublimis contemplatio: illum zelus animarum. Quid egit* Franciscus de Paula? *Collegit nimirum omnium ordinum characteres, atque iis humilitatem, insigne ordini suo futurum, adjecit. Petiit à Summo Romæ Sacerdote id privilegii, quod etiam obtinuit, ut Fratres ejus minimi in domo DEI vocarentur. Cum nollet nomen suum homines inter vigere, renuit suo nomine institutum insignire. Neque vero adduci poterat, ut nomine Pœnitentium; etsi ejus rigorem sectarentur: aut nomine pauperum Evangelicorum; etsi paupertatem profiterentur, aut nomine Magistrorum spiritus; etsi ejus thesauris omnibus perfruerentur: aut nomine Apostolorum; etsi DEI gloriam ardenti studio promovere niterentur, socii sui nuncuparentur. Id statuit, ut quam posset profundissime, infra omnes homines nomina eorum abjiceret. Nec hoc satis, ut ordinem supra humilitatem bene firmatum conservaret, formam regendi instituit, quæ innixa humilitati, humiliter regeret, & regnaret. Ex quo jam gens hominum convenit, necesse est subjectos ab iis, qui præsunt, dependere. Verum, quam mira Regentum in animo* Franciici *lucet imago! Hos ille in summo imperio vult aliis parere, tanquam homines, qui subsint illis, quibus præsunt, & regnent servituri. Sed enim, quantum hoc modo potestas Superiorum infirmatur, quantum authoritas*

a) *Psalm. 44.*

tas elevatur? Imo vero [*Fratres suos sic affatur* Franciscus] *dum regnabit humilitas, interea speretis superiores, vos cum authoritate regnaturos: ubi vero hæc vobis virtus exciderit, authoritatem vestram oneroſam, ne dicam, intolerandam sentietis. In mundo dignitas supplet defectum humilitatis, at in Societate religiosa virtus profundæ demissionis supplementum est dignitatis. Atque ex his principiis processit illa virtus, quæ* Francisco *imperavit, ut cum ad clavum ordinis sui sederet, vilibus officiis assiduus esset occupatus: dum aliena obsequia recusaret; ipse aliis alacriter serviret. Hinc est, quod jam ævi maturus, nullam, ne recedentibus quidem annis, ordinis legem ferret, bene gnarus supervacaneam esse legem, ubi omnium animis virtus demissionis imperaret.*

III. Pars subdivisionis: in aula. *Sed jam tempus est, ut modestia* Francisci de Paula *prodeat in theatrum, quod Divina illi providentia apparavit, id est: ut in aula Regis nostri, omnium principe, illucescat. Nam huc ille advocatus, diu vitam isthic integerrimam egit; unde non immerito Franciscum possumus aulicum compellare; sed ejusmodi aulicum, qui sedem illam mundanæ superbiæ in domicilium humilitatis commutavit. Viris quidem religioni, & solitudini assuefactis, omnis gressus est lubricus, quem ad aulas, longius illic commorandi gratia, moliuntur. Quis enim ignorat aulas esse scopulos sanctitatis, & summarum etiam virtutum naufragiis infames? Non tamen est, quod* Francisco *humilitate obarmato metuamus, qui infert se quidem in regiam Galliæ;*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

sed per ostium humilitatis: effert se inde; sed cum illustri comitatu, & sœnore humilitatis. Ut aulam Ludovici XI. *subiret, mandato Pontificis opus erat. Rex* Ludovicus *eum per literas obsecrabat, per legatos officiosissime invitabat; ille contra recusabat, se mortalium (inquit) haud esse ejusmodi, quem Principes expeterent, sed quem potius ignorarent. Alter fortasse quispiam falso zelo incitatus, non tam passibus, quam cursibus ad hunc locum advolasset, arrepturus opportunitatem, ut ea ad rem ordinis sui, ac gloriæ Divinæ, bene gerendam uteretur.* Franciscus *autem quid ajebat? Viles sumus (inquiebat) abjecti sumus, vitam nostram humilitati devovimus; non opus est itaque, ut favore Principum, vel authoritate, sed quæ bene nobiscum convenit, humilitate crescamus. Nec ille Regi vocanti paruisset; nisi Pontificis jussu, & potestate urgeretur. Cujus dicto obediens lucro apponit quod ea Regis aulam via ingrediatur, quam illi submissio, potestati Romanæ debita, patefecit. Nulla huc tuta via est, nisi quam humilitas munivit; conclamatum contra, quisquis alio, quam isto, calle huc contendit. Quid ita vero? Namque mala, & pericula, quæ hic hominem infestant, & incursant, humilitas sola potest ab animo prohibere. Qui humani commodi gratia vult hunc in locum pedem inferre; vult in ruinam præceps labi. Non facit à me hic mundus, novi ejus indolem, novi genium, novi sapientiam; sed non moror; satis constat sapientiam mundi cœcam esse, atque à DEO reprobatam. Utcunque sit: aulam denique* Franciscum *adiisse jam videmus; at an*

idem

idem illi, qui aulæ, sensus? an eadem illi, ac aulæ, vivendi ratio? Qua ille hic ratione versatur? Quibus officiis occupatur? Agit nimirum, quod agebat in claustro, quod in deserto. Sic orandi constantiam, sic vitæ rigorem, sic cætera pietatis officia, ut in solitudine prosequitur, & pari cum candore, ac simplicitate conversatur; ut adeo eo authore regnet jam illic humilitas; ubi antea hospes erat, & ostentui habebatur. Jucundum erat spectaculum videre eremum Francisci *media in Regia excitatam: tanquam arcam fœderis in medio Tribus Israel: tanquam Sanctuarium DEI Sanctum, ubi pro Principe humilitatis sacrificium assiduo offerebat.* Ludovicus *dari id sibi à* Francisco *postulabat, ut suæ magnificentiæ injuriam non inferret; contra* Franciscus Ludovicum *orabat, ut caveret, ne humilitatem, cui se dedidit, violaret Quid non potest humilitas? Sic nimirum vir hic Sanctus in aula propagatum ordinis sui firmavit, dum in medio luxus, & divitiarum, vitam pauperem: in medio pomparum, & splendorum, humilem: in medio gaudiorum, & deliciarum, tristem, austeramque agitaret. Talis nempe ex aula exiit; qualis eo intravit. Venerat huc animo religione, & virtutibus exornato; nec sui dissimilis abivit. Quas in ingressu virtutes, easdem in egressu, comites habuit. Videlicet, sic discedere cupiebat, sic inquam. Advertite animos vestros* Auditores: *nam sunt, qui inopes cum Francisco aulas ineunt, nec dissimiles exeunt; sed bi expectatione frustrati, sedem hanc magnificentiæ convitiis, casus suos querelis, sortem miseram post egressum lachrymis*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

multis ; sed tacitis , prosequuntur. Franciscus *contra se felicem reputabat , quod inde , & humilitatem , quam secum eo intulerat , & paupertatem , quam ibidem stabilierat , exportaret. En illius divitias ! En amplissimam dignitatem! En* [*dicebat Bernardus in re pœne consimili*] *en quod præstat dignitatibus , ut ut non multum splendoris ostentet ! Esse Antistitem commune est cum plurimis* [*sic ille in literis ad Sanctum quemdam Prælatum*] *proin si te attendas , parvum decus ; at in summa dignitate vitam paùperrimam agere , hoc decus est , hoc ornamentum , ut maximum , ita tibi familiare , ac plane proprium.* Non magnum fuit Episcopum te fieri ; sed Episcopum pauperem vivere ; id vero plane magnificum , *ait* Bernardus. *Dicamus idem de* Francisco : *non tantum est , quod eum Rex Galliæ voluerit dignitate excelsa Antistitis adaugere : sed quod ab aula discessurus nihil quæsierit , nihil voluerit acceptare , hæc est vera , hæc propria* Francisci *magnitudo , qua Regibus omnibus , ac Episcopis antecedit. Nulla dignitas erat in aula* Ludovici, *quam* Franciscus *non potuisset adipisci ; at noluit ; mansit sui semper similis ; atque hac virtute omnia dignitatum insignia , quibus fas est hominem ornari , longissime antecessit. Fuit hic spiritus Christianæ itidem , quam religiosæ , humilitatis , quæ non contenta negligere Episcopatum , etiam sacerdotium recusavit , propterea , quod tanta dignitas cum donis cæteris , quæ DEUS illi impertiit , conjuncta posset famam illius , & authoritatem augere. Ex hoc spiritu id processit etiam , quod etsi facundiam*

am in dicendo tributam, à natura incredibilem, ac divinam, non sine dono humana corda penetrandi, haberet; nunquam tamen adduci potuit, ut ad concionem diceret; metuebat quippe, ne majorem in populo fidem, quam ejus demissio ferebat, obtineret. Idem spiritus hanc denique ejus animo mentem injecit, ut ingenium, artium omnium, & scientiarum capax, ad litteras appellere recusaret. Belle id sane convenit in Franciscum, *quod* Bernardus *aliquando de Fratre suo* Gerardo *pronunciavit:* Non cognovit literaturam; sed habuit literam JESUM. *Non ille sapientiæ & scientiæ condiscendæ causa Doctoribus se subjecit, magistro usus JESU Christo; quin nulla illi præter JESUM scientia suppetebat: omnis doctrina, omnis sapientia* Francisci *JESUS Christus erat, ut sic dicam, annihilatus, JESUS Crucifixus. At hæc scientia cohibet in se omnia, & concludit: scire enim JESUM* [*teste Apostolo*] *est scire omnia.*

Complexio I. Partis. *Sic nimirum se Franciscus redegit quodammodo in nihilum per repudium sane plenum, & perfectum, quod sæculi divitiis, quod deliciis, quod honoribus, quod Ecclesiæ dignitatibus, talento naturæ, & ingenii cultui remisit, humilis omnino in solitudine, in claustro, in aula, plane ut ex vero dicere possit:* Ego minimus in domo Patris mei.

Digressio moralis. *Felices Christiani! si mores vestros de exemplo* Francisci *conformetis, sectaturi humilitatem, virtutum Christianarum unam omnium maxime commendatam. Ad studi-*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

um humilitatis exemplum Franciſci *vos invitat, nec opus eſt, ut quidquam aliud ab eo condiſcatis. Nulla quippe eſt tam inordinata affectio, quam illa non corrigat: nulla virtus, quam ſibi non adjungat. Quid multis moror? ſectemini humilitatem, & non amplius irritatus animus veſter vindictæ cupidine ardebit: nam moderate ignominias, & æquanimiter injurias feretis. Sectemini humilitatem; & non ita cor veſtrum ira, ſeu rabie, æſtuabit: deferveſcet enim ſpiritus, & furorem humilitas temperabit. Sectemini humilitatem; non eritis pertinaces, & in malo obſtinati: quia honoris, veſtrique contemptores facile alterius voluntati cedetis. Judicia temeraria, vana, ſales inſectos, malitiam, vanam complacentiam, feritatem, deſideria, ambitiones, aliaſque animi perturbationes, ex ſuperbia profluentes, hæc virtus emendabit. Per ſuperbiam peccatum in mundum intravit; per humilitatem exulabit. Eſt enim humilitas mater, fons, & origo virtutum: ubi humiles fueritis, diligetis proximos veſtros, excuſabitis, feretis, veniam illis, & ſubſidia facietis: nam pluris eos, & majoris facturi, quam voſmet ipſos, ſentietis animos adverſum eos in dies propenſiores. Ubi fueritis humiles; ſtudium pio rigore corpus, & animum, afflictandi, tædium veſtri, faſtidium commodorum, cura morum, & probitatis vos occupabit: negligetis enim voſmetipſos, & pro eo, quod inſtruit ſpiritus veritatis, in veſtrarum odium animarum venietis. Siquid eſt in* Franciſco *ſalutare, ſiquid ſanctum, id omne, velut fabricæ cujuſpiam moles, firmæ petræ, tanquam baſi inſiſtit humi-*

humilitatis. Novit ille pretium gemmæ hujus Evangelicæ, quam ut emeret, omnibus se spoliavit. Non id ago, ut tanti viri exemplo bona vestra abdicetis, magistratus dimittatis, jura vestra deseratis, honori, loco, dignitati, quo vos fortuna extulit, nuncium remittatis; id solum contendo, ut nusquam humilitatem, nec in excelsa dignitatis amplitudine, nec in illustri fortuna, nec inter delicias, & sæculi honores, ab animo dimittatis. Arduum est istud quidem, & multo difficilius vobis, quam Francisco, *cui in solitudine, nec tot hostes, nec tot opportunitates superbiæ, quot vobis suppetunt, semet offerebant: sed nos in præsens nec cum facilitate virtutis hujus, nec cum difficultate, sed cum voluntate, cum iis rebus, quas ille præcipit, & pro suo à vobis jure postulat, negotium habemus. Qui id petitis, ut extra solitudinem, & religionem etiam positi, in vestigia* Francisci *abeatis; est hoc quidem permolestum, nec proclive virtutem hanc cum vita vestra sociare; at istud est, in quo & vos, & gratia vobiscum debet elaborare. Virtus enim quantumcunque sermone hominum celebretur; DEO tamen non probatur, nisi Christianæ humilitati sit conjuncta. Christiani! æstimamus humilitatem, probamus in aliis, cur non eam ipsi etiam consectamur? Eja convertamus crebro oculos in exemplar virtutis hujus JESUM Christum, aut si hoc nobilius sit exemplar, quam ut ex eo mores nostros exprimi posse speremus, discipulum JESU Christi,* Franciscum de Paula, *minimum in Domo DEI, contemplemur, qui omnes eo intendit virtutis vires, ut se deprimeret*

coram

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

coram mundo; at DEUS ex adverso omnes potentiæ vires, omnes magnificentiæ thesauros huc impendit, ut illum efferret coram mundo; quod planius hac, quæ consequitur, parte intelligetis.

PARS II.

DEUS OMNES MAGNIFICENTIÆ VIRES IMPENDIT, UT FRANCISCUM MAGNUM FACERET CORAM MUNDO.

Altera divisionis pars probatur enthymemate subdivisionem complectente. DEUS Franciscum de Paula magnum reddidit coram mundo, per se ipsum: cum ei quasdam notas diviniati maxime proprias communicavit; dein per creaturarum ministerium: cum apud terræ Principes summum illi honorem, ac venerationem conciliavit. Ergo.

Ingressus in argumentationem. *Docent Prophetæ (& re ipsa verum est) DEO admodum placere: si illius studio, & opera Sancti viri, ejus amici, inclarescant:* Nimis honorati sunt amici tui DEUS, *inquit David. Id tamen usuvenire compertum est: DEUM in eorum potissimum gloria illustranda elaborare, qui, dum homines interagerent, vitam humilitati devoverunt. Hi, quanto magis ab existimatione, fama, honore abhorrent; tanto magis studet DEUS eorum nomen in apricum proferre. At cur istud percunctatur* Augustinus? *idcirco, inquit, quia humiles gratiam DEI nec frustrantur, nec gloriam Divinam, quam præpotens illud Numen magnopere desiderat, periculo*

culo exponunt. Præterea: quia gloria, quam Sanctis suis impertit, in ejusdem gloriam redundat: Nec tam illos coronat donis suis, quam in illis coronat dona sua, inquit Augustinus. Antecedens. *Habemus rei hujus verissimum, ac testatissimum in* Francisco *exemplum, quem ob profundissimam humilitatem summa* DEUS *gloria, & honore coronavit. Coronavit per se ipsum, coronavit per ministerium creoturarum. Per se ipsum: cum illi notas quasdam divinitati maxime proprias communicavit. Per ministerium creaturarum, dum effecit, ut Reges terræ, ac populi summum illi deferrent honorem, ac venerationem. Adeste animis Auditores! En magnificentissimum, atque maximum glorioſi encomium Patriarchæ!*

I. Pars subdivisionis: DEUS Franciscum de Paula magnum reddidit coram mundo per se, quasdam illi notas Divinitati maxime proprias communicando (a). *DEUS* [*inquit S.* Thomas] *duo habet attributa, quæ illius naturam, & magnitudinem, nullis limitibus circumscriptam, ostendunt: scientiam, videlicet, & omnipotentiam. Scientiam: qua res venturas & penitissimos cordium motus à longe prævidet, ac cognoscit: omnipotentiam, qua condit omnia, & gubernat. Utrumque horum pro plenitudine, quæ homini tribui potest,* Francisco de Paula *communicatum reperio. Scientiam per Spiritum Prophetiæ, cujus ille plenus erat; omnipotentiam per Donum miraculorum, quod illi tribuerat,*

a) *Tractatur per Syllogismum novam subdivisionem continentem.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

erat, adeo, ut Franciscus homo homine superior, id est: Sapientia DEI, & fortitudine ad omnem splendorem exornatus appareret. Testata sunt omnia, & comperta, quæ porro de Francisco prædicabo. Sic est, ut dixi chari Auditores, atque inprimis Spiritum Prophetiæ Viro Sancto citra mensuram communicatum videamus oportet. DEUS rogabat aliquando Isaiam, super quem ponam Spiritum meum, spiritum sapientiæ, & luminis? Respondet Propheta: super humilem corde. Verbum istud completum est in Francisco, cui panegyrim adorno. Alii spiritu prophetiæ non semper, & certis solum eventibus donabantur. Franciscus donum istud continenter obtinebat, ut ex vero dici possit: Spiritum Domini super humile cor Francisci consedisse. Nonne videtur clavem cordium possedisse, cum ad profundissima eorum pernoscenda aditum sibi reseraret? Nonne videtur uno tempore omnibus locis assuisse, tanquam testis rerum omnium, quæ ultra maria in finibus naturæ gererentur? Nonne videtur quadam immensitate omnibus temporibus præsto fuisse, ut qui futura, tanquam præsentia, oculis animi usurparet. Quæ quidem cum multo ante prædiceret, eratne quidquam, quod in dubium vocaretur? An hæc ille terræ filiis, aut Principibus populorum enarrabat? an clam aliis? quid dico clam? imo palam, communi in luce, tanto cum splendore, tanta animi altitudine faciebat, ut totam prope Europam in notitiam futurorum, & in sui exciret admirationem. Sic prædixit Græcis: Constantinopolim in potestatem Turcarum brevi redigendam, collapsurum imperium,

ni

ni desisterent à schismate, quod eos ab Ecclesia sejungebat. Erant hi surdi ad vocem DEI, qui per os Francisci *loquebatur: nec Dominum, nec ejus Prophetam audiverunt, quod postea quanto illis steterit, babetis exploratum. Posterius vaticinium tum impletum est, cum viderent se copia barbarorum, velut torrente, inundari, urbi terrorem, & vastitatem inferri, obsidione coronari, Byzantium expilari, & sub jugum hostium fidei infensissimorum mitti. Sic prædixit à Rege* Neapolitano *insignem de Turcis victoriam esse reportandam. Felix eventus divinationem comprobavit. Nam Princeps hic fretus oraculo* Francisci, *ut ut inferior viribus; decrevit tamen cum hoste, ac vicit. Sic prædixit Regi Hispaniæ* Ferdinando: *futurum, ut Mauris de sua ditione propulsatis, regnum* Granadæ *antea ademptum recuperaret; modo certus indubitati auxilii, signa cum illis conferret. Res cessit è sententia, ut* Franciscus *monuerat: Mauris enim prospere fusis, & fugatis, non modo barbarorum tyrannidem de suorum cervicibus depulit, sed perditas etiam terras postliminio recuperavit. Quæ quantum Francisci nomen extenderint? non habeo ipse dicere; vos pro judicio æstimate. Satis constat eum pro Ecclesiæ oraculo, pro viro à secretis DEI posito, ab omnibus fuisse pervulgatum. Reliquum est, ut ad Prophetiæ donum addamus donum miraculorum. Quantum eo præstiterit* Franciscus? *ipsa docet natura, quæ illius imperio se submittebat. Est porro quiddam in miraculis, quæ exequor, dignissimum observatu: unde non obscuris indiciis colligi-*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

re licebit, quantum DEUS ad Franciſci gloriam provehendam, quantum ad pertinaciam libertinorum confundendam laborarit. Franciſci prodigia veriora ſunt, quam ut in dubitationem valeant revocari. Nonnunquam ſigna nobis recenſentur, quibus fidem præbere prorſus nihil eſt à veritate alienum; accidit tamen interdum hoc etiam, ut prodigia minime ſint tam teſtata, quò eis fidem adjungamus. Talia ſunt, quæ coram paucis perpetrantur, iiſque, quorum authoritas non tanti eſt, ut eximat omne dubium, in quod mens humana ſæpe revocatur. Ego vero de Franciſco miracula non niſi publica, compertiſſimaque memorabo: quibus nemo ullus, ne quidem obſtinatiſſimus, poterit refragari. Et profecto ſi mare ipſum Franciſco, velut Petro, obedivit: ſi ille fretum Siculum paſſo ſuper aquas pallio tranavit, ac tranſmiſit: id fecit in ore omnis populi, in adverſo littore appulſum ejus expectantis, & feſtis vocibus celebrantis. Si ignis in ejus manibus ardorem perdidit, ſi proſuis regulis confirmandis prunas candentes, ſine noxa manuum, & vitio, tractavit: id præſtitit in conſpectu legatorum Pontificis, quibus, inſpectante fratrum ſuorum numeroſa corona, leges ſuas eo miraculo approbavit. Si ſaxa, & petras loco movit, ut templum princeps in urbe exædificari poſſet: id fecit rogatu Civitatis de Paulo, quæ illum magnis populorum vocibus fuerat proſecuta. Si aerem à peſte, quæ contagione per populum vulgabatur, repurgavit: id perfecit eorum precibus adductus, qui & opem ab illo petierunt, & compotes votorum facti in cœlum uſque eum laudibus extulerunt.

Quid

Quid multis? neceſſe foret vitam illius univerſam percenſere, ſi cuncta ejus miracula luberet enumerare. Omnia elementa vocem ejus audierunt, mandatis obtemperarunt, nec aliter dicto illius, quam ſi DEUS arbitrum mundo præſtitiſſet, paruerunt.

II. Pars ſubdiviſionis: DEUS Franciſcum magnum reddidit coram mundo per miniſterium creaturarum. *Poſt tanta vero facinora, cui mirum videatur, quod illum terrarum Domini coluerint, Reges ſe illi ſubmiſerint, Pontifices Sanctiſſimi, atque maximi, omnibus laudibus, & honoribus exornárint? Hæc talia mihi non ſunt; ſed nec vobis admirationi eſſe debent. Præmia ſunt hæc ſinceræ modeſtiæ, & profundæ demiſſionis, quæ ámat DEUS ſuis neceſſariis impertiri:* Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare (a). Paulus II *Pontifex Maximus illum ſalvere juſſit, curavitque, ut omnia ejus prodigia, in literas relata, ad ſe referrentur; quaſi, quem jam publica vox numero Sanctorum addiderat, viventem adhuc, & ſpirantem in divos referre niteretur. Haud diſſimiliter* Xiſtus *Romam adventantem, velut Angelum cœlo demiſſum, accepit, quo cum multa de rebus illis conſultavit, quæ è re Eccleſiæ futura eſſe autumabat, manifeſto bonoris indicio teſtatus, quid de illo ſentiret, dum ſibi proximum juſſerat aſſidere. Eſt hoc decus nobile Galliæ, quod per eam* Franciſcum *DEUS voluerit exaltatum. Nam quantum in aula Regis vir hic Sanctus valuerit, quantumque domus iſta illi debuerit, non arbitror Europam late-*

a) Eſther. 6. v. 9.

CAPUT II. ARTIC. I. §. 11.

re. *Dum equidem memoria repeto honores à* Ludovico, *cæteriſque Viris Galliæ Principibus, venienti impenſos, ſuaviſſimam animo capio lætitiæ voluptatem. Verſabatur O DEUS eo adhuc tempore in terris tui notitia, nec ad aulas aditus gratiis, & pietati fuerat intercluſus, ubi ſervos ſuos tanto honore dignabantur.* Franciſci *adventum* Ludovicus XI *primum atque intellexit, extemplo Delphinum proximum hæredem obviam miſit, ut dignus tanto hoſpiti honor haberetur. At quid iſthic* Franciſcus *cum Rege coronato? imo vero liceat hic mihi percunctari: quis Regum dignior eſt honore, ac Sanctus quiſpiam, cui DEUS potentia ſua circumdato coronam gloriæ deſtinavit? Nunquam vidit Gallia Regem* Ludovico XI *magis ambitioſum, ac gloriæ appetentiorem; is tamen, ſuæ magnitudinis oblitus, faſtum coram Franciſco ſubmiſit. Subjecti omnes ante Regem; ille ante* Franciſcum *trepidabat. Ferebat leges ſubditis; at ſe legibus ſervi DEI ſubjungebat. O admirandam DEI potentiam! cujus in manu ſunt corda Regum, ut quo libet, eo flectat, & verſet. O ſpeculum admiratione cœli, & terræ digniſſimum! Rex Galliæ, terror ille populorum, quem ſui æque, ac exteri reformidant, Rex tam ferus, ac immitis, miteſcit ante faciem unius Eremitæ, & homini, è clauſtri ſqualore prodeunti, ſe ſubmittit. At dicetis: ægritudo hanc Regi virtutem, vel ſpes recuperandæ valetudinis extorſit: quam niſi in* Franciſco *repoſitam habuiſſet, contempſiſſet, eninvero hominem, abſit! ut eum honoraſſet. At videte, quam belle novit DEUS viros ſanctitate*

con-

conſpicuos efferre! Videte quem in modum humilitatem Franciſci in luce publica collocavit! Eo nimirum Monarcham maximum redegit, ut neceſſe habuerit ad Franciſcum *confugere, & ejus opem demiſſe implorare. Cum vis morbi curas omnes remediaque ſuperaret, unum Regi duntaxat ad virum Sanctum confugium reſtabat. Amplius dico:* Franciſcum *equidem morbus Regis ad aulam Galliæ evocavit; at ſplendor virtutis illic retinuit: magnitudo ſanctitatis effecit, ut Rex vitam, ſpem, ſalutem ſumma cum fiducia in* Franciſco *collocaret. Quod certe clarius eſt, quam liceat vel dubitare. Nam ut primum vir Thaumaturgus ad Regem appulit, confeſtim* Ludovico *palam edixit, è morbo, quo laborat, obiturum:* Diſpone domui tuæ, quia morieris tu; & non vives (a). *Quaſi diceret: noli miracula operiri, adeſt hora, animum cures, quoniam propediem morieris. Erat hic ſermo durus equidem homini privato, durior Regi, duriſſimus* Ludovico, *qui votis omnibus porro vivere cupiebat. Ecquis alter tam triſte nuncium Regi afferre auſus fuiſſet, quin ſummam illius indignationem commoveret? at per converſionem prorſus admirandam, non aliunde, quam cœlitus provenientem, tulit patienter hoc nuncium* Ludovicus: *magni fecit audaciam* Franciſci, *atque ingenti in eum fiducia ductus, ab eo voluit ad mortem comparari: in ejus complexu ſpiritum exhalare: huic Regnum, huic filios moriturus magnopere commendavit, certus: ſub tanti viri præſidio tutos fore, ac beatos. En fontes! unde pro-*

a) *Iſaiæ 38. v. 1.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

manavit bonor, quo Regia Ludovici Franciscum exornavit. Si res rite æstimamus; fatendum est: dum hæc fierent, majus à Francisco prodigium esse patratum, quam si depulsa ægritudine Regem sanitati restituisset. Exemit quippe ex ejus animo vitia, exemit amorem vitæ, quam miris modis prorogari cupiebat, & sensim induxit ad mortem, quæ in momenta appetebat, sancte, ac fortiter excipiendam. Jam post fata Ludovici successor Carolus, quo bonore, qua benevolentia Virum Sanctum est complexus? Nimirum: amoris paterni magnus hæres non contra illi, quam Parens, deferebat; imo vero filii amor patris amorem longius superabat. Erat illi Franciscus omnia, erat consilium, erat amicus, erat solatium. Facienda fuit electio honorifica: cecidit sors in Franciscum: delectus est ut in solemnibus Baptismi cærimoniis Galliæ Delphinum nominaret. Negotium quodpiam utile conficiendum erat: mandabatur Francisco exequendum, per quem feliciter transactum est, ut Carolus VIII, & Anna hæres Britanniæ, non sine grandi utrinque emolumento in manus convenirent. Et certe, quod fœdere Britanniæ etiamnum illigemur, cui alteri, quam Francisco, debemus? Illi debent Reges nostri, quod ab illustribus bis provinciis formidentur, quas non aliter, quam hæreditates, jure suas, intuentur. Illi etiam Britannia hanc fortunam acceptam refert, quod ad Regem, Christianos inter Monarchas maxime principem, ceperit pertinere. Jam si DEUS in hac vita mortali, quæ tempus est meritorum, tanta gloria Sanctos suos vult ornare, qui-

quibus à morte ornamentis implebit? Mors est finis gloriæ; quam magni in sæculo cæteris mortalibus anteibunt. Nam etsi illi fama nominis orbem terrarum compleverint, splendore, ac vitæ gloria maria omnia oraſque illustrarint; nihilominus in umbra mortis omnis hic splendor obscuratur, & simul, ac è medio excesserint, cum eorum memoria obsolescit. Contra DEUS è ferali mortis sinu, è profundis tumuli tenebris, lucem excitat, qua amici sui illucescant. Impletur illud Prophetæ: & erit sepulchrum ejus glorioſum (*a*). *Ejus corpus expers vocis, expers vitæ, non secus quam Elisæi, prophetavit: ejus ossa, pretiosæ membrorum exuviæ, etsi tristi funere exanimatæ; virtutem tamen prodigiorum conservarunt. Harum virtute heu quæ non in dies mirabilia perpetrantur! Dæmones fugantur, ægri sanantur, cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, paralytici ambulant. Ecqua pars est Europæ, quæ virtutem hujus corporis non sentiat? Quæ regio, quæ ora, quæ provincia, quæ huc, ceu ad asylum commune afflictorum, non recurrat? Hæretici, hostes nomini Sanctorum infestissimi, hæc videre æquis oculis cum non possent, sancto corpori, quod Gallia, quod populi, quod nationes suspensis anathematis percolebant, bellum nefastum indixerunt, vim & iniuriam ei intulerunt, denique igni cremandum tradiderunt. Sed vis hæc talis, ne dicam furor improborum, non evulsit, nec evellet ex animis cultum illum, fiduciam, venerationem, qua probi omnes sospitatorem suum Tutelarem, & Patrem*

a) *Isaiæ* 11.

CAPUT II. ARTIC. I §. II.

certatim prosequuntur. Superant adhuc ejus cineres, qui quasi per ignem perpurgati, & per quamdam martyrii speciem consecrati, æquæ nunc prodigiis; ac antea ipsum corpus, inclarescunt. Cæterum donec erunt homines [*erunt autem semper*] *vigebit nomen* Francisci, *vivet in memoria temporum omnium, ac dum suus aris honor, sua Ecclesiæ religio constabit, celebrabuntur ejus festa, nomen in vota vocabitur, nec ulla ætas de summis ejus laudibus, virtutibusque, conticescet. At enimvero omnis hæc gloria, quam hìc Sancti consequuntur, quantumcunque clara sit, & excelsa; quanta erit, si cum ea, quæ nos in cœlis manet, conferamus? Sanctis DEI non tanti est apud homines celebrari; modo DEO chari sint, & accepti: nec id curant, quod mortalium cordibus eorum memoria sit inscripta; modo in syllabo cœlestium censeantur. Christiani! laude ista, quam exequor, quamque* Francisco *nationes tribuebant, minime quidem indigebat; sed visum est bonorum muneratori DEO, his eum ornamentis decorare, ut his indiciis humilitatis excelsitatem disceremus. Cæterum citra omnem vitæ laudem, & honoris splendorem poterat eam, qua nunc fruitur, beatitatem obtinere. Ita nempe vilitatis damna sarciunt veræ demissionis cultores!*

EPILOGUS.

Continens digressionem moralem. *Et hæc est vera magnitudo Auditores, ad quam cunctis est aspirandum. At nos, plus æquo fortassis sæculi hujus luce excæcati, qualem, oro, magnitudinem exambimus? Fluxam scilicet, & caducam,*

quam

quam cæcus quisque consectatur. Versari in luce aulæ cum Francisco *inter summorum favorem, infimorum venerationem vitam illustrem agere; istud est, quod cupimus, & votis omnibus flagitamus. At adeste, quæso, animis Auditores! En rationem, qua ego hunc splendorem tam falsum ob oculos vestros ponere adnitor! Hæc, quam paulo ante memoravi, magnitudo, si ad Franciscum referatur, est quidem verissima; contra, si ad vos referatur, est falsissima. Verissima, inquam, est ad* Franciscum *relata; at quo pacto? quia nempe hujusmodi honor erat prævia quædam compensatio excelsæ illius humilitatis, qua ille splendores sæculi universos contemnebat, qua pompas, qua venerationem, qua honores, velut res animo suo permolestas, fugiebat, & omnem, quæ inde enasci posset, animi voluptatem abominatus, inter favores, & honores visibiles invisibilia æternitatis ornamenta quærebat. Verum tanta Divi* Franciscí, *tamque solida magnitudo, quam ille inter homines obtinebat, non aliud in mentes nostras, quam mendacia, vanitates, & errores inferret. Quid ita vero? quoniam nos ejusmodi ornamentis ad fastum, & superbiam abutimur: quoniam vitæ splendorem non alium, quam qui primum oculos perstringat, dein excæcet, consectamur: quoniam commodis, quæ speramus: honoribus, quos assequimur, quasi nostri immemores, sinimus nos in transversum abduci, & utimur non modo ad fovendam animorum vanitatem, sed etiam ad authoritatem provehendam abutimur, ut nimirum dignitatibus adaucti præstemus aliis, & cum con-*

CAPUT II. ARTIC. I §. II.

temptu imperemus. Si hoc modo honores cogitentur, nunquid falsi sunt, & inanes? Quos quidem si hoc animo consectamur, non aliud certe possumus, quam ignominiam expectare: nam sic vanitati affigi, sic ab ea illudi, an non magnum est humanæ infirmitatis argumentum? At persæpe quid accidit? quam quod excelsa hæc mundi bona neget iis Divina providentia, qui ea votis omnibus concupiscunt; iis contra indulgeat, qui amore humilitatis ea refugiunt, ac reformidant. Quanto studio homines profani Regis gratiam, & favores quærebant? frustrati sunt: Franciscus vero procul ab omni cupiditate, spe, desiderio remotus, erepturus semet etiam, si oportune licuisset, è Regia, plena cum libertate loquebatur Regi, Europæ maximo, spem de valetudine conceptam infregit, tristissimum venturæ mortis nuncium attulit; maximam tamen apud eum gratiam est indeptus, factus arbiter conscientiæ. Sanctos equidem omnes simili in terris gloria enitere haud contendo. Sunt, qui suam obscure vitam transegere: at num illi vicem suam quærebantur? num vitæ conditionem, à laude, & fama communi sejunctam, renuebant? Imo vero hanc quærebant, hanc amabant, hanc in excelsæ gloriæ, & fortunæ loco deputabant. Norant enim vitam, mortalibus ignotam, recte pensare in statera; nec ignorabant mundi honores fluxos esse, qui non raro jam ante obitum, semper certe cum morte, finiuntur. Unde non vane conficiebant: gloriam non in terris, sed in cœlis esse requirendam. Idem, quod Sancti, nos quoque sentimus Auditores: mundi nempe splendores vanos esse judicamus;

cur

cur non igitur res mortales Sanctorum exemplo condemnamus? Mundi pompas perituras esse scimus; & quo amicius, familiariusque cum mundo agimus; eo magis ejusdam inania pervidemus: sæpe etiam, improvisis casibus admoniti, pulchros de illusionibus, de instabilitate, de vicissitudine sermones habemus; cur non ergo, quæ contemptibilia sunt, contemptui habemus? cur despicabilia diligimus? cur odia amamus? stamus adhuc, cur non imus ad gloriam obtinendam? At nulla est vera gloria, quam pro doctrina Evangelii expetere possimus, præter cœlestem, ad cujus communionem fidelis DEUS nos vocavit, præcipiens, ut in ea adipiscenda omnes curas, omnes dies, omnia studia, consumamus, quam ex animi sententia omnibus vobis exopto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

ARTICULUS II.

DE PANEGYRI SACRA PER ARGUMENTATIONES PARTICULARES.

§. I.

Præcepta hujus modi.

ARgumentationes *particulares* voco illas, quibus non totum Orationis corpus; sed una, vel plures confirmationis partes adornantur. Dupliciter institui potest: cum subdivisione, aut sine illa.

I. *Cum subdivisione.* Dum principalis divisionis membra, primaria argumentatione, verbi causa: syllogismo, enthymemate

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

&c propoſita, rurſum in novas partes ſubdividuntur, vel ſtatim in majore, aut in majoris ratione, vel in minore, aut minoris ratione. Unde, & quomodo hæc ſubdiviſio peti debeat, quidve in ejus uſu obſervandum ſit? diligenter docuimus Tomulo (*a*) priore; non eſt cur hic repetamus. Addo: ſingulas ſubdiviſionum partes rurſum probari poſſe, vel per novam argumentationem, aut ſine illa, per adjuncta perſonarum, aut actionum, plura, vel pauciora. Vel per adjuncta antecedentia, comitantia, & conſequentia. Vel per Oratoriam alicujus facti, & exempli narrationem, aut per quemdam amplificationis Panegyricæ modum, vel per locum Rhetoricum, oratorie deductum, vel denique per congeriem rerum, à Sancto actarum, eo pertinentium. Sunt qui ſingulas ſubdiviſiones rurſum ſubdividunt, verum hoc niſi materiæ, vel artificii ratio depoſcat, non omnibus probatur, in concionibus præſertim vulgaribus. Cætera recole ex Tomulo priore.

II. *Sine ſubdiviſione.* Dum una, vel plures confirmationis partes adornantur per argumentationem quampiam, verbi cauſa: per enthymema, ſyllogiſmum, eumque, vel tripartitum, aut quadripartitum, vel quinquepartitum, ſine ulla ſubdiviſione, Ubi hypotheſis argumentationis (ſive dein in majore, ſive in minore, aut in illius ratione

a) *Tom. I. l. 2. p. 2. Cap. 2. Art. IX. §. 1.*

one, vel enthymematis antecedente, aut consequente, vel alterutrius ratione proponatur) iisdem perinde modis probari potest; quemadmodum diximus paulum ante probari posse singulas subdivisionum partes, nimirum: per adjuncta personarum, aut actionum &c. Vel per locum Rhetoricum, ut sunt oppositа, enumeratio partium, comparatio &c. Vel denique per congeriem variorum argumentorum, id est: rerum à Sancto gestarum, ad rem tamen pertinentium; quod crebro usurpat *Spiritus Fleschier* Episcopus *Nemausiensis*, celebris *Galliæ* Orator, cæteriq; *Galli*, ac etiam *Itali* Oratores.

§. II.

Paradigma hujus modi.

EN modi istius per argumentationes particulares, primum sine, postea cum subdivisione, ideam, ex Panegyribus *Pauli Segneri*, de Societate nostra Oratoris Itali, longe celeberrimi, depromptam, ac Divo Aloysio Gonzagæ adornatam! Est specimen Panegyris puræ, ac solennioris.

ORATIO.

Thema Orationis: *Sanctus Aloysius Gonzaga mirus.*

Partitio Thematis: 1. *Vitæ innocentia.* 2. *Vitæ pœnitentia.*

EXORDIUM.

Ingressus à simili, & contrario. *Haud multum à vero aberrasse videtur, qui mundum hunc*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

hunc aſpectabilem mari, perpetuis ventorum turbinibus, ac tempeſtatibus obnoxio, perſimilem eſſe exiſtimavit, ubi tot numerantur naufragia, quot ſunt flagitia: tot naufragi, quot reperiuntur ſcelerati. Attamen ſunt non pauci, qui vel tot inter pericula haud dubiam inde emergendi ſpem promittunt: quoniam non deeſſe norunt tabulam, cujus ope valeant enatare. Atque hæc eſt, quam vulgo pœnitentiam compellamus. Hujus fiducia nonnulli non audaces modo, ſed plane redduntur temerarii, atque præſidentes; adeo, ut ſpe ſalutis, hujus tabulæ præſidio obtinendæ, ſponte ſua (quis credat?) navim in vada, & arenas agant, in ſcopulos allidant, idque ſtudioſe curent, ut mille in fruſta diffringatur. Sed O ſtulta conſilia! O indignam deliberationem, quam ſapiens animus imitetur! Etſi pœnitentia [*ut diſertiſſimus ad* Demetriadem *Virginem olim ſcripſit* Hieronymus] quaſi ſecunda poſt naufragium miſera tabula ſit; in Virgine *tamen* integra ſervetur navis. *Abjectiſſimæ profecto mentis argumentum eſt: innocentiæ jacturam idcirco velle facere: quoniam ipſa etiam pœnitentia lapſis ſalutem pariat. Qui ſapiunt, navem ita ſibi integram conducere conantur, ut ventorum victrix, ac de tempeſtatibus triumphans, in portum uſque feliciter appellat. Quare habeant ſibi ſuam, qui volunt, pœnitentiam; nobis innocentia obtingat.* Aliud eſt enim, quod perdideris quærere; aliud, quod nunquam amiſeris, poſſidere, *inquit* Hieronymus.

De-

Descensus. *Verum etsi præclara sit dos integritatis; nescio tamen quid nobilius, ac præstantius animus ille habere videretur, qui geminas has dotes, vitæ nempe integritatem, suaque delicta plectendi austeritatem unus in se complecteretur. Novi equidem pœnitentiæ locum haud illic esse posse; ubi culpa non fuerit; ac idcirco tam parum illa copulari potest integritati, quam parum ferrum in argenti, plumbum in auri massam, valeat commutari. Nihilominus, si notissimâ* Magni Gregorii *sententiâ: proprium est magnarum mentium, ibi culpam vereri & agnoscere, ubi culpa non est; quid ni accidere possit, ut unus idemque & ab omni labe purus inveniatur; & tamen lachrymis, ceu grandium noxarum reus, nunquam non immergatur?*

Propositio cum partitione. *Ita sane fecit* Aloysius, *magnus ille animus, quem hodie inter Cœlites receptum singulari religione veneramur. Pauci equidem sunt, nisi fallar, qui tam remoti ab omni culpa, ac ille, fuerint; at vicissim, quis multos inveniet, qui tam severe, ac ipse, suas in se culpas vindicarint? Has igitur geminas dotes, in* Aloysio, *arctissime conjunctas, animus est hodie demonstrare. Nec tamen hanc conjunctionem parum admirandam censeatis velim: cum acies Cœlitum universa in geminas veluti turmas dividatur:* Innocentium *alteram, alteram* pœnitentium: *par utique est maximi illum facere, qui non contentus alterutri adnumerari; utrique suis se meritis inseruit, Angelo persimilis* Apocalyptico, *qui sic*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

sic unum in terra fixerat pedem, ut alterum in mare porrigeret. Audite modo, an id Aloysius *sit consecutus?*

PARS I.

SANCTUS ALOYSIUS MIRUS VITÆ INNOCENTIA.

Prima divisionis pars probatur syllogismo quinquepartito nullam subdivisionem complectente: Rari sunt, qui suam Innocentiam tumulo inferant: Cujus ratio est: quia plerique è Sanctis etiam Cœlitibus prius, quam virtuti studuissent, vitiis indulserunt. Non ita *Aloysius*, qui toto vitæ suæ decursu, nullo graviori crimine animum commaculavit, sancte vitam exegit. Quod postea ab adjunctis personarum, ex vitæ actis eo pertinentibus, confirmatur. Ergo S. *Aloysius* fuit mirus vitæ innocentia.

Major. *Non sane magnus eorum est numerus, qui suo quasi jure valeant gloriari, ut quam animi puritatem è sacro fonte integram extulerunt; eandem tumulo salvam intulissent.* Ratio majoris. *Scio equidem Christi Ecclesiam tot Heroes monstrare; quot Sanctorum nuro adlectos laudibus exornat. Scio tot veluti aquilas, quæ minorum gregem avium ad volandum provocent; quot pæne Sanctos, ob oculos proponere, ut præclarissimarum essent ideæ, & exempla actionum. Sed quam pauci magno hoc in cœtu reperiuntur, in quibus nihil non tute imiteris? Non potest certe Ecclesia non quædam in aliis improbare, multa in quibusdam reprehendere,*

dere, aliorum denique vitam non aliunde, quam ex mortis, fidei causa obitæ, meritis admirari. Non mihi propositum est Auditores, *ulli Cœlitum hac comparatione derogare, & gloriam, qua fruuntur, quoquo modo elevare. Belle novimus* (a): *multos esse Sanctorum Castimoniæ studio inclytos; sed postquam non modico tempore luxuriæ frœna laxavissent. Multos ab animi modestia commendari; sed postquam ambitioni non una victima litâssent. Sunt, quos virtutis, sanctitatisque studiosos admiramur; sed eos prius vitæ, morumque licentia reddidit detestandos. In aliis stupemus cibi, potusque parsimoniam; sed postquam diu abdomini indulsissent. Hos morum gravitas commendat; sed post levitatem: illos vestium tenuitas; sed post luxum: alios solitudinis amor; sed post captata mundi solatia: quosdam denique dolor, ac luctus; sed post delicias, ac voluptates. Non aliter profecto atque de* Augusto *olim* Seneca *pronunciavit: pium sane, moderatumque fuisse principem; sed postquam tantum sanguinis fudisset, ut vel Oceanus non semel intumesceret, postquam cœdibus campos, exulibus insulas, victis carceres implevisset.* Fuerit Augustus clemens, ac moderatus: *at quando?* Nempe, ait Stoicus, post mare Actiacum Romano cruore infectum: nempe post fractas in Sicilia classes, & suas, & alienas: nempe post Perusinas aras, & proscriptiones.

Mi-

a) *Amplificatio ab enumeratione partium, cum figura antitheseos conjuncta, per modum VII.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Minor. *Non eadem* Aloysii *mei fuerat conditio. Non ille animum ad virtutem applicuit jam sceleribus fessum; sed vitam egit, quæ laudem omnem, admirationem, imitationemque promereatur. Tam illustria ejus fuere acta, ut singula dici possent excellentia; si æqualia non essent universa. Est hæc enimvero (si momentis rem suis ponderemus) illustris vitæ sanctitas: nihil unquam per omnem vitam admittere, quod ruborem, ne dicam pudorem, valeat extorquere. A quo tamen pauciſſimi mortalium, quamvis Sancti, immunes reperiuntur. Hæc est gloria non vulgaris, exclamat* Hieronymus, *hæc laus sane rariſſima:* Felix præconium, quod nulla totius vitæ sorde maculatur (*a*)!

Minoris probatio à quatuor adjunctis personarum. I. Argumentum ab ætate. *At erit fortasse vestrum, qui dicat: totum beati hujus adolescentis vitæ tempus vix ultra quartum, & vicesimum ætatis annum fuisse porrectum. Ita enimvero. At nunquid (repono ego) hanc ætatem præ omni alia periculis esse multo infestiorem?* Quis *nescit pueritiam, adolescentiam, juventutem, ætates esse vitiis quam maxime opportunas? Tum enim judicii infirmitate, tum sanguinis fervore, tum usus inopia, tum appetitionum impetu nil pronius est, quam in eos scopulos ferri, quorum multos infidum hujus sæculi mare solet occultare. Hos tamen ipsos annos tam lubricos, adeo ab omni culpæ vel umbra vixit immunes* Aloysius; *ut* Eminen-

a) *Epist. 33. ad Oceanum.*

nentissimus Bellarminus, *Vir innocentia vitæ, ac doctrinæ fama, longe celeberrimus, exploratis, discussisque omnibus in* Aloysio *animi latebris pronunciare non dubitarit: fuisse* Aloysium in gratia *(ut loquimur)* confirmatum: *quam Apostolis primum (ut compertum est) concessam, aliis subinde, aliisque, sed perpaucis fuisse à DEO collatam, idem* Doctissimus *arbitratur* Cardinalis, *ut horum in mentibus, tanquam in secretiori hortorum parte, delicias quodammodo suas DEUS venaretur.*

II. Argumentum ab ortu. *Et quis erit, qui ambigat, horum è numero fuisse* Aloysium, *si sedulus observet, quam celeriter illum DEUS sibi studuerit vendicare? Martha,* Aloysii *Mater, fœmina illustris, tam acerbis oppressa, & cruciata fuit doloribus, ut desperata ab omnibus vita prolis corporea; in id curæ omnes verterentur, ut cœlestis saltem pueri vita, ob quam solummodo unam unusquisque nasci exoptat, quamprimum in tuto collocaretur. Prius igitur, quam totus in lucem proferretur, festinante ob periculum obstetrice, sacris undis est ablutus. Vix istud evenerat, & ecce! confestim omnis à matre abire dolor, periculum evanescere; ut dicere sine metu possim, non aliud, quam solertem, ac ingeniosam Divinæ gratiæ festinationem videri, qua animam tam formosam voluit quam celerrime domum deportare. Si qui sunt fortasse ex vobis* Auditores, *quos venatio oblectat* (a), *usu certe compererunt, quam sit*

a) *Amplificatio à simili, scripturæ sententia con-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

voluptate plenum tenellas ferarum, aut avium animantes suis è nidis, & cubilibus prædari. Siquidem cum ita parvulæ capiuntur, amorem & benevolentiam, si ita loqui fas est, velut cum lacte imbibunt citius, & suavius, edocentur facilius, nutriuntur jucundius, & ad vestra quodammodo vota finguntur aptius. Hinc invenio Christum, venatorem enimvero egregium, de quo dictum est: festina prædari (a), *varias omnino prædas ex omni omnino hominum genere egisse* (b). *Prope maris littus cepit* Andream, *cepit* Jacobum, *cepit* Petrum, *cepit* Joannem. *Prope arborem in casses ejus incidit* Zachæus *Publicanus. Ad fontis Marginem capta est mulier* Samaritana. *In aere venatus est animam latronis in crucem acti. Præ cæteris tamen prædis multo illi charior erat* Joannes, præcursor *parvulus, in ipso materni uteri nido interceptus. In hac sane præda capienda celerem se venatorem probavit:* festina prædari; *quam postea adultam dotes maximæ, merita clarissima, ingens æstimatio summe commendarunt. Atque hoc (fas sit ita loqui) hoc, inquam, est, quod in nostro etiam* Aloysio *egit* DEUS. *In nido nempe illum cepit; etsi vero tam festinus in eo haud erat capiendo, quam fuerit in* Joanne; *haud tamen parum illum dilexisse dicendus est; cum prius suum esse voluerit, quam pedem in solo collocaret.*

III.

firmato juxta modum II. a) *Isaiæ 8. v. 3.* b) *Amplificatio à congerie exemplorum breviter allatorum.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

III. Argumentum: à vitæ puerilis disciplina. *Jam quis mihi satis explicet, quam præclare à suo edoctus fuerit venatore, cum tenellus adhuc esset* Aloysius? *Primus rationis fulgor, qui mentem ejus perstrinxerat, è profundo veluti somno excitarat, ut Divinam bonitatem non obscuris signis cognosceret, seque illi non minore studio, ac pietate penitus devoveret. Et hujus suæ pietatis, ac mancipatus, sub annum vitæ septimum facti, tam viva, tam recens, tam in omnem ætatem constans hæsit memoria, ut suæ* ad DEUM *conversionis tempus solitus sit compellare. Hoc inter chariora, magisq; recondita, animi arcana spiritus sui arbitris consuevit retegere: quo momento Deum nosse ceperat; eodem ceperat & amare. Quamquam prius, quam illum nosset, jam ceperat revereri. Nondum quartum ætatis annum expleverat, jam Diviniore spiritu docente, ac impellente arctissime semet DEO conjungere est conatus. Sæpius, non sine domesticorum admiratione, nunc in abstrusis ædium angulis, nunc in solario à turbis concursantium remotiore, preces de genibus fundere est deprehensus. Nec est cur fidem rei denegetis. Usu siquidem docemur* (a) *& heliotropium soli se inclinare; quem non novit: & magnetem ab ea stella trahi; quam ignorat: & ignem in eam eniti sphæram; quam nescit discriminare. Pari quoque ratione nonnullæ animæ, à DEO præ cæteris delectæ, inter-*

a) *Amplificatio à congerie similium juxta modum II.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

no quodam impetu ad eum quærendum aguntur; quem nondum agnoſcunt: ad opem ab eo petendam incitantur; cujus ne nomen quidem norunt pronunciare. *Viciſſim* Aloyſius *noſter*, quam cito mundum noſſe cepit, tam cito occepit contemptui, ac lubibrio habere. *Sæpe vel invitum rapiebant ad ſpectacula (quæ curioſos maxime paſcunt oculos) certaminum, ac ludorum equeſtrium, & pomparum, quibus ſuo in adventu Viri Principes excipiebantur. Sed* Aloyſius, *adhucdum prope infantulus, nec oculis ea dignabatur, quos modo in terram verecunde defigebat, modo manibus obtegebat, atque ita in theatro, ſtrepitus, ac tumultus pleno, non aliter, quam in remotæ eremi ſilentio, morabatur. Veſtes illi ſæpe laceræ, ſemper neglectæ fuere. Verborum parſimonia, ne dicam avaritia, tam ingens, ut nullo congreſſuum amore, ſemper horrore teneretur. Quid igitur mirandum, ſi* Aloyſius *ſuam tam intemerate ſervaverit integritatem in mediis etiam mundi illecebris, in ipſis etiam aulæ periculis, in quibus ad annum uſque ætatis ſeptimum ac decimum vixit radio ſolari* (a) *perſimilis, qui aliorum ſordes abſtergit; ipſe tamen alienis non inquinatur, nec ullum eapropter ſuæ lucis facit detrimentum.*

IV. Argumentum: a diſciplina vitæ religioſæ. *Si porro in tempeſtatibus ſæculi nihil paſſa eſt mira* Aloyſii *innocentia, quid in religioſæ vitæ portu cum ea factum cogitatis?*

Uſu

a) *Simile apodoſi poſtpoſitum juxta modum amplificandi II.*

Usu docemur : res omnes in suo, quem illis natura destinavit, loco amplius virtutis, ac virium habere, & exerere, seque adversum vim externam longe facilius tueri, ac conservare. Nunquid (a) *piscem extra undas videtis languentem, palpitantemque? At reponite, si placet, eum nativum in elementum; & confestim videbitis ad se se redeuntem, motitantem se se, ac, ut dicam, veluti convalescentem. Sunt rosæ, quæ nostris plantatæ in hortis, nec coloris vivacitate delectant, nec odoris recreant suavitate; has tamen* Chinensium *horti suas esse delicias, suos florum soles venerantur. Quin etiam Cedros licet invenire, quæ vel in ipso* Italiæ *solo steriles sunt, atque sylvestres; his tamen* Libanus *in oriente, patrio nempe, ac nativo aere, magnopere gloriatur. Ignem nullæ in sphera sordes contaminant: aer suo in loco quanto est sincerior? terra propius centrum quanto integrior? aquam si aureo, vel argenteo vasi inclusseris, putrescere videmus; at suo in fonte, tametsi luteo, limpidior semper, omnique nitidior est argento. Jam quis nescit, si quod nativum in mundo virtuti solum est; hoc esse hortos religionum? Quare si* Aloysius *in aula, tam inimico innocentiæ loco, passus est nihil; quid religiosa inter sepia cum eo factum possumus arbitrari?* (b)

a) *Amplificatio à congerie similium juxta modum amplificandi II.* b) *Complexionem author prætermittit juxta modum, etiam à nobis Tomulo I. traditum.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

PARS II.

SANCTUS ALOYSIUS MIRUS VITÆ PŒNITENTIA.

Altera divisionis pars probatur syllogismo quinquepartito: S. *Aloysius* omnibus suppliciorum cruciatibus in corpus suum desæviit. Hujus ratio est: quia desæviit inedia, jejuniis, vigiliis, flagris acerrimis &c. Sed hoc ipsum reddit *Aloysium* mirum vitæ pœnitentia. Cujus ratio proponitur syllogismo quinquepartito, subdivisionem complectente, mox referendo. Ergo *Aloysius* fuit mirus vitæ pœnitentia.

Etsi autem adeo procul ab omni noxa remotus erat Beatus noster; nihilominus tam asperum, tam durum, tam inexorabilem semet in se præbuit, ut hujus pœnitentiæ in tam tenerum corpusculum, nobilissimo Progenitorum sanguine, totque aliis dotibus illustre, absque lachrymis, teneri affectus indicibus, vix possimus meminisse.

Major. *Concipite animis quamdam inclementiam, suos in cruciatus adeo ingeniosam, ut nihil refugiat suppliciorum, nihil tormentorum, modo non vetitorum; & confestim habebitis imaginem, ac typum ejus rigidioris pœnitentiæ, qua* Aloysius *in semetipsum acerrime desæviebat.* Probatio majoris. *Undecimum agebat ille ætatis annum, cum ejusmodi orsus est inediæ genus, quod vos ægrius credetis; quam ille toleravit. Si quando integrum (quod rarum erat) in prandio absorbuit ovum; jam* Apicio

cum

cum helluone opipare sibi pransus esse videbatur. Tam etiam familiaria sibi reddidit rigidissima panis, & aquæ jejunia, ut cum ante statas haberet omnes sextas ferias; alium subinde, aliumque addidit diem severitate tanta, ut ne hoc quidem macro edulii genere famem unquam temperârit. Poterat illa vacuo è ventre, quantum vellet, crepitare, poterat ringi, poterat fauces diducere; Aloysius *tamen non plures, quam tres tenuissimas panis lamellas, aquæ intinctas, sub prandii tempus ventri famelico suppetebat; vespere autem solum unam, & hanc non lege stabili; sed gratia præter ordinem singulari. Quin diebus etiam, qui abstinentiæ dicati non erant (sed quos tandem abstinentiæ non addixisset?) tantum detraxit cibi, naturæ necessarii, ut dum ad bilancem appenderetur, quid, quantumque cepisset, compertum est (O rem auditu novam, ac insolentem!) unam libræ unciam haud superasse. Quare plerisque persuasum erat:* Aloysium *solo vitam prodigio conservare. Et quid hac re majus ille, admirabiliusque agere potuisset, seu in* Ægypti *desertis, seu in* Palestinæ *antris, cum* Hilarionibus, *cum* Macariis, *cum* Zosimis, *cum* Onuphriis, *cum* Serapionibus, *ad frigidum fontem cœnavisset. Haud autem minus, ut opinor, erat, quod ista domi egerit paternæ, ubi voluntarius veluti* Tantalus *adsidebat mensæ, admodum copiosæ, inter cibos sapore exquisitos, inter vina palato gratissima, inter condimenta prorsus delicata. Si* Climaco *magnæ fuit admirationi*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 11.

videre Virum, tametsi in eremi horrore jam ætate confectum, plenam absolutamque in moderandas palati appetitiones, sive fame, sive siti urgeretur, habere potestatem; quanto istud majorem merebitur stuporem? Si tam severa cibi abstinentia reperiatur in cujuspiam, duodecim, tredecim, quatuordecimve annorum adolescentis ætate, quæ, ut ferme nullas novit delicias, & oblectamenta; ita cibi solet esse longe appetentissima. Non potuit idcirco vultu non esse prorsus pallido, exsucco, macilento, ut intuentibus candenti persimilis lilio videretur, quod nullis vel nubium, vel rivorum liquoribus irrigatur. O quantum ei certandum erat cum parentibus, quos ingens angebat metus filii amittendi, quantum cum familiaribus, quantum cum medicis? At ille non alio in corpore curando usus est consultore; quam animi sui fervore. Sancta quadam fraude ciborum nauseam vocitabat, quæ sui erant desideria excruciandi. Nec latere poterat omnia, quæcunque agebat, ab hoc desiderio proficisci. Huic se rebus in arduis, pervincendi studio, tanquam Sponsæ charissimæ, totum quantum consecrabat. Huic vigilias, huic somni tempora, huic carnem, huic spiritum immolabat. Incolebat ille quidem ædes, in quibus facilius erat luxus instrumenta, quam austeritatis arma, invenire; quid tamen ingeniosus agit amor? Donec ipse vestem, aut cingulum cilicinum aptiorem inveniret, non audito ad illum diem more, & consilio, acutissimis equitum calcaribus sibi latera præcingebat.

Tam

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Tam nempe fuerat industria, in tenerrima illa ætate semet affligendi cupiditas! Frustra cubicularii pretiosis sub conopæis molles ei lectulos sternebant; ille sublectos furtim jam extinctos titiones, jam asserum fragmenta delicatis linteis supponebat, partim, ut somnum sibi duriorem redderet; partim, ut maturius excutere valeret. Post pauculas enim quietisne dicam, an cruciatus horas? excusso repente sopore, semet è strato proripiebat: nuda in humo, sola tectus veste linea, hyeme etiam rigidissima, nocte concubia, alta inter silentia perseverabat precibus intentus, quatuor interdum, sex nonnunquam in horas prorogatis: cum interea toto pœne corpore à capite ad calcem immiti gelu ferme obrigesceret, & venis acutissimo dolore sensim quodammodo congelascentibus totus prope corporis vigor elangueret. Nunquam tamen ita omnis elanguit, ut collecto ad se torquendum spiritu reliquo non uteretur. Novit hoc manus illa tenera, etsi gelu rigida, semper sibi virium satis superfuisse ad tractanda flagra, ac horrida lora, ad funes, ad catenas, ad acus, nullo discrimine ad cruentam sui lanienam adhibitas, quibus ter etiam unius diei spatio in se acerrime desævibat. Redibant quot hebdomadis ad matrem amantissimam interulæ, innocenti cruore tinctæ, quas illa non sine dolore contemplabatur: Ah (ajebat inter lachrymas) fili mi! itane tu prodigis illum, quem venis tuis infudi sanguinem? Fortasse vel propterea, quia meus est locum illi tuo in corpore præbere detractas? Miserere fi-

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

li, miserere, si non tui, saltem mei! Non idcirco à me vitam accepisti; ut immaniter eam exerceres. An nescis parum admodum abfuisse ne meam perderem; ut tu obtineres tuam? Sed O utinam tunc eam perdidissem; nec enim toties nunc morerer; quoties mihi necessum est metuere, ne tu moriaris. Sic illa secum tacite dolebat, sæpe cum ipso etiam filio expostulabat. Hic autem verecundo rubore perfusus, permitte, reponebat, O mater, permitte, ut tantillo impendio noxas meas valeam redimere. Ergo tuas O Aloysi *redimere noxas cupis? Et qua ita loqueris de ætate? De illa certe, quæ nondum tres, ac decem annos superavit. Et in hac ætate, qua vitam agebas Angelicis mentibus invidendam, tanta tibi incumbebat necessitas noxas eluendi tam duro vitæ genere, quod vel austeris eremi incolis sit horrori?*

Minor. *Atque istud sane est* chari Auditores, *quod non modico me rubore perfundit. Jungit, oro, candidissimæ* Aloysi *innocentiæ, quam prius jam ex me intellexistis, hunc, quem describo, pœnitendi rigorem; ac tum pronunciate: an possit hac mira* Aloysii *vitæ pœnitentia quidpiam insolentius, & admirabilius vel cogitari?*

Ratio minoris (a). *Mirabilis profecto semper est pœnitentiæ rigor etiam in iis, qui se magnis*

a) *Syllogismo quinquepartito proposita, cum subdivisione in ratione minoris; at minor, & complexio omittitur. Mirabilis est pœnitentiæ rigor etiam in magno peccatore; multo mirabilior in adolescente vix pec-*

magnis sceleribus implicuerunt. Facilius tamen videtur quispiam excitari ad se, diris modis excruciandum, quando tam fœdis se noxis agnoscit inquinatum. Offerunt tum enim sese animo tristes amissæ beatitatis æternæ, aperti inferni, Christi in crucem acti, DEI proculcati imagines, nullis artibus compescendæ. Quid mirum igitur, si justo tunc furore accensus in se animus sanguinem exigat, & pro tam effreni audacia justitiam deposcat? Sed qui fieri potest, ut adolescens ab omni labe purus, qui vix umbram culpæ invenit eluendæ; simili tamen indignatione sic in se ferociat, ut vita innocens suscipiat pœnitentis affectum, & qui non habet, unde pœniteat, habeat tamen, ut pœniteat, *ait* Bernardinus.

I. Pars subdivisionis: Aloysius nullius commissæ gravioris culpæ fuit reus; præterquam duarum levissimarum in prima pueritia admissarum. *Et quid erat tandem, quod*

cati umbræ conscio. Ratio majoris: *Quia peccator habet, cur eum pœniteat; non item adolescens innocens. Talis fuit pœnitentia Aloysii.* Ratio minoris cum subdivisione: *Quia 1. Aloysius nullius commissæ gravioris culpæ fuit reus; præterquam duarum levissimarum in prima pueritia admissarum. Quia 2. Nec admittendorum gravium scelerum periculo fuit obnoxius: cum nullo carnis, vel alterius tentationis genere, præterquam semel pusillanimitatis, fuerit lacessitus. Et tamen adeo severam non tantum in vita, sed in ipsa etiam morte agere voluit pœnitentiam, ut* Magdalena de Pazzis, *quæ* Aloysii *gloriam in Cœlo viderat, eum Martyrem incognitum eapropter compellarit. Ergo* Aloysii *mira est vitæ pœnitentia.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

quod tam multo in se cruore vindicaret Aloysius (a)? *An inpuras fortasse lascivias, quibus suum ille corpus contaminavit, habuit expiandas?* Sed, *ODEUM immortalem! quis unquam olitor regii cujuspiam horti flores candidissimos, ac tenerrimos, sic ab omni aeris, ventorumque noxia intemperie illæsos, asservavit; quemadmodum* Aloysius *pulcherrimum suæ integritatis florem conservarit? Hanc ille adhuc novennis, in hac ipsa urbe commoratus, Matri virginum voti religione consecravit. Quam postea quanta fide omnis labis expertem custodierit; frustra agerem, si pluribus explanarem. Tam solicita, & anxia cura progrediebatur, quemadmodum homo auro onustus progredi solet, cum per sylvas, latronibus infestas, iter illi est agendum. Omne semper consortium verebatur ut infidum: omnem ludum ut suspectum: omnem voluptatem ceu periculosam. Cogitate: an ulla unquam venustas muliebris, quacunque demum arte, potuerit ab* Aloysio *suffurari obtutum vel curiosum, taceo blandum, vel arridentem. Tam ille religiose, & caute vitabat aspectus fœminarum, quam curiose, & avide, vos O male consulti, & incauti juvenes, etiam in templis, aliisque conventibus sacris, putidam eorum venustatem arbitramini. Et quasi è Divi* Hieronymi *ore illud audisset:* nullus est, etiam in domo, tutus aspectus, *ne domi quidem, ne in mensa quidem, ne in alloquio*

a) *Probatio ab enumeratione partium cum figura interrogationis, suspensionis, & subjectionis.*

loquio quidem, vel in matris faciem oculos defigere audebat. Judicate jam Auditores: *an adolescentulus custos tam solicitus Angelicæ integritatis, habuerit sordes quasdam venereas tam rigida pœnitentia eluendas? Quid ergo tandem erat, quod tantopere vindicatum ibat? An fortasse iræ, gravius accensæ, peccata fuere sic castiganda? Sed nunquam legitur majore commotus indignatione; ac dum religioni adscriptus, literaria in concertatione, multas in se laudes congeri audisset. An fortasse risus leves, & male compositi? At novimus non illum majori lætitia unquam incessisse, ac dum in itinere contumeliis, ac probris fuerat oneratus. Sed quid hæc juvat porro investigare? Inveni jam, inveni* Auditores, *quid tot cruciatibus, ultro assumptis, voluerit expiatum* Aloysius? *Scio jam, quo spectarit illa ciborum abstinentia? ille flagrorum horror? illa cingulorum asperitas? illæ corporis lanienæ? jam video, quorsum sint usurpata? Nempe: ut quæpiam delicta, ante septimum adhuc ætatis annum admissa, hac deleret expiatione. Putatis fortasse me jocari* Auditores? *At de vita, post eum deinceps annum acta, ipsemet profitetur; nil sibi reliquum esse, eccur tantopere angeretur. Quid ergo tanta mœroris causa illi esse poterat? Duæ nimirum fuere* levitates, *quartum inter, & quintum vitæ annum commissæ, quas tamen ille haud leves vocitabat, cum per omnem dein vitam magnopere deplorarit. Una erat: pyrii quidpiam pulveris furtim sublecti; altera: verba*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

ba quæpiam minus decora, quæ è militibus, quibuscum patris voluntate eo de consilio versabatur, ut spiritus indueret militares, didicerat, ac solitus erat pronunciare. En grandia illa delicta, quibus se obstrinxit Aloysius! *Et hæc tanto ejus animum dolore cruciabant, ut subinde, cum septennis pro sacro tribunali ea vellet aperire, tantam spiritus luctam, tantum animi mœrorem, tantum sensit pudorem, ut ea proferre conatus, exanimi persimilis, animo linqueretur. O animum non hominis; sed reipsa Angeli! Si hæc, O* Aloysi, *maxima fuerant, quæ unquam perpetrasti crimina, qualia, obsecro, erunt minora? Si hæc tam crudelem tui lanienam merebantur, si pro his tantum sanguinis fundendum erat, tot renovanda vulnera; O me, si ita est, miserum! quid jam facere oporteat ad tot delenda, nimium proh dolor! vera flagitia, si tu, O* Aloysi, *pro culpis, vix culpæ umbram complectentibus, tantum facere debuisti? Huc, huc cito arma, huc illa crudelia instrumenta, quibus tuam tam rigide manum armas* Aloysi! *Cedo mihi catenas, cedo funes, cedo virgas! Neque enim ulla poterit sufficere, quantumvis inhumana, carnificina ad mea crimina vindicanda, si tanta tuis debuit noxis laniena respondere.*

II. Pars subdivisionis: Nec admittendarum gravium culparum periculo fuit obnoxius: cum nulla carnis, vel altera, præterquam semel pusillanimitatis, tentatione fuerit lacessitus. *At non me fugit, quid hic ve-*

vestrum unus aliquis dicere possit Auditores? Aloysium *hac severitate fuisse usum, non malorum admissorum remedio; sed antidoto futurorum. Atque adeo eo de consilio fuisse adhibitam, ob quod à viris integerrimis:* Bernardo, Francisco, Benedicto *est usurpata, qui nudos se se nunc in nivibus, nunc in glacie, nunc in sentibus volutabant, non ut admissa crimina expiarent, verum ut refrænatis petulcæ carnis motibus lascivis admittenda præcaverent. Itane? At hoc ipsum est, quod me attonitum reddit* Auditores. *Erat quidem* Aloysius *(ut compertum est) sanguine, siquis alius, ferventiore, erat amœna agendi ratione, erat nobilibus vultus lineamentis, erat spiritibus præfervidis, ut ipse, adhucdum puerulus, in tractandis armis perhibuerat, quarum exercitatione tam audaculus evaserat, ut non dubitaret, minores belli machinas, pulvere fartas, manu sua, non sine aperto vitæ discrimine, admoto fomite exonerare. In omni tamen vita (quod testati sunt, qui intima ejus animi arcana penetrarunt) ne minimo quidem carnis suæ motu, stimulove, castitati inimico, vel subita quadam obscenæ libidinis imagine animum suum unquam sensit pertentari. Quod quam superet omnem naturæ vim, ac consuetum Divinæ gratiæ modum satis superque indicant vel illa* Bernardi, Francisci, Benedicti *exempla modo memorata. Quanto igitur majori admiratione dignus est animus cum tam obstinata se divexandi, & pœnitendi voluntate? Quod pugnis, & silice ar-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

armari in se debeat oppugnatus unius alicujus, cujusmodi fuerat Hieronymi, *spiritus, facile pervideo; neque tam admirandum esse videtur dura illum ac frigida in humo somnum cepisse, sola fontana sitim diluisse &c. Hic enim (ut testem ipsummet admiranda cum sui demissione habemus) etsi corpore inter ferarum latibula clausus fuerit; animo tamen oberrabat in Romanis gynæceis. Ast eadem facere adolescentulum, cujus mens non nisi cum beatis cœli geniis occupabatur; hoc enimvero exemplum est, quod mihi haud paulo rarius, admirabiliusque esse videtur. At forsan alio certaminis genere, conjuratis studiis,* Aloysii *mens fuit oppugnata? Nunquam mare ob admissos hospitio Alcyones tam alta perfruitur pace, nec austris, aut aquilonibus minus exagitatur; quam fuerit* Aloysii *animus ab omni turbidarum affectionum tumultu longe remotissimus. Quemadmodum delicta recensui, quibus majora* Aloysius *nunquam admisit; sic & oppugnationem aperiam, qua majore nunquam fuit in vita pulsatus; unde postea haud erit difficile de cæteris minoribus judicare. Tam altas, jam inde à prima ætate, in ejus animo egerat radices abjecta de se existimatio, ut subinde, in religiosum consortium cooptatus, paribus cum virtute incrementis, etiam in demissionis studio, progrederetur. Unde die quodam arcaniora suarum cogitationum penetralia ingressus serio cœpit secum dispicere, ac ex se ipso percunctari:* Heus misselle! quid tecum aget sacer, cui adscriptus es, Societatis

tatis cœtus? *Non segniter arripuit datam orci genius occasionem, ut forti tandem ex aggere oppugnaret, & verberaret cor* Aloysii *integerrimum, quo eatenus nullus illi accessus patuerat: & tanquam egregie conscius: vitia nunquam tutius incedere, quam ubi virtutis larva conteguntur, abjectionem illam adeo detrimentosam sedulo instituit promovere, imo id egit, ut in desperationem degeneraret. At hostis versutissimi fraudes attentum cæteroquin juvenem cito advertere. Unde ad retundendos hos animi assultus, solita amplexus arma, fregit eos lachrymis, corporisque cruciamentis. Majorem ista atrocioremque (sua confessione) nunquam passus est* Aloysius *impugnationem. An autem ad eam frangendam tanto opus fuerit molimine? Proh! cur non ego præsago animo ejus lateri adstiterim, quando ille mœstas has voces:* quid de me aget Societas? *ingeminabat. Certe vel ejus ingratiis ea suggesturus eram, unde efferendi se potius, quam desperandi, discrimen subiisset. Dixissem enimvero* (a): *Ecquid vana tantopere cura, quid de te actura sit societas, angeris O Aloysi? Si nosse cupis, dicam: hoc aget. Illa te nobiles in fastos inseret, & hominibus, qui unquam vestem ejus gestavere, illustrioribus accensebit, quod amore sui præclaras familiæ* Gonzagæ *ditiones, cognationes illustrissimas, spes amplissimas proculcaveris, quod non lachrymis tantum & precibus, ut alii, sed ipso etiam sanguine conatus hominum à societatis ingressu te prohibere volentium expugnaris.*

a) *Amplificatio per apostrophen juxta modum nonum.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Quid aget Societas? *Hæc te posteris omnibus proponet in ideam morum Angelicorum, statuet in exemplum disciplinæ religiosæ; vultum illa tuum mille in telis adumbrabit, ut cum nationibus, etiam remotioribus, communicet, quæ audita præclara nominis tui fama, tua etiam, quoad licet, præsentia frui exoptabunt; ac ut illustrior tua gloria reddatur, nunc te depinget, ut victorem undarum, quæ in* Ticini *gurgitibus deprehenso haud nocere potuere: nunc ut flammarum triumphatorem, quæ* Castilione *jam jam in lectum, in quo jacebas, circumquaque grassatæ, te tamen corripere non sunt ausæ: depinget tanquam iridem, pacis ac serenitatis præmunciam: cum post longam à patria absentiam, Præpositorum imperio reversus, paucis verbis ingentes sedasti procellas, lites nempe, & inimicitias; quas antea frustra tollere laborarant magni Principes: Archi-Dux Austriæ Eleonora Rudolphi Imperatoris amita, & Ferdinandus Archi-Dux Maximiliani frater Imperatoris. &c.* Quid aget tecum Societas? *Hæc ossa tua, velut pretiosa hominis Deo chari spolia, in tumba asservabit argentea, auro intermicante adornata, & omnes circum aram parietes longa vestiet anathematum serie, ceu glorioſis tropheis, quæ accepta testentur beneficia. His te indigitabit Orci terrorem, cujus præstigiæ è corporibus infestis implorato nomine tuo* Romæ *dissipabuntur. Vocabit collyrium oculorum, qui amissam lucem ad tuæ iconis præsentiam* Senis *recuperabunt. Morborum dicet depulsorem, qui ad ossium tuorum contactum languentia deserent membra* Perusiæ. *Fugientis jam jam vitæ appel-*

labit

labit Servatorem, cujus aspectabilis ope proferent moribundi vitam jam desperatam in Italia. Et tu tam solicite percunctaris: quid mecum aget Societas? En! respondissem ego quid de te Societas sit factura? Et quod factura est, parumne tibi videtur? Atque sic (ut eo, unde parumper digressi sumus, revertamur) persvasissem Aloysio, ut si aliam, hanc præter, nullam haberet animi impugnationem, abjiceret intrepidus arma, abjiceret flagra, abjiceret cingula aculeata, non deinceps hispida lateri admoveret cilicia, non fauces siti, nec ventrem jejuniis, saltem tam rigidis, cruciaret; cum amplius periculi esset habiturus, ne sui æstimatione inflaretur; quam ut animum, tanquam ad omnia inutilis, desponderet. At revera vel sic hortando actum egissem: sola mors quietem, ac pacem parere potuit membris tam immaniter laceratis. Quanquam nec ipsa mors (ut quod res est dicamus) sine insolito fuerat cruciatu. Cum à sumpto ad longum æternitatis iter viatico Divino prope in labris hæreret fugitivus, & anhelus spiritus, per communis Servatoris viscera Præsidem suum obtestatus est, ut bona ejus venia liceret uni famulorum alicui, à capite ad calcem, suum in corpus desævire, cui tam molliter in vita pepercisset. Quid amplius expetere Aloysius potuisset, si pro tam atroci laniena, qua semper debile corpusculum afflixerat, quam mollissime illud, ac blandissime habuisset? Veniant, oro, veniant, quot quot gravibus sceleribus obstrictos mundus habet, & audiant ultima Angeli morientis vota! Parum illi fuerat in cura medicorum, nihil profutura, plurium mensi-

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

um spatio, lente, ac guttatim sorbere pharmaca, ut tanto diutius acriusque amaricies cruciaret. Parum illi fuit uni semper lateri incumbere, ut paulatim putresceret, tantoque acerbior morbus foret. Parum fuit tot inter dolores nunquam lenimen ullum, solatium ullum admittere velle, parum inquam, & quasi nihil fuisset, obtestatur præterea Præsides, ut membratim dilaceraretur: ad excutiendum certe ruborem; verum cui? nobis profecto infelicibus Auditores, *qui tot onusti peccatis, tot nutriti deliciis, tot commodis per omnem vitam perfruiti; speramus tamen nos solatio plenos è vita decessuros, quam prius, gemitu vel unico, pro culpis tam multiplicibus satisfaceremus. Tu interim* Aloysi, *quid his sperabas votis te obtenturum? An ut amica manu eorum tibi pars cruciatuum pro Christo tolerandorum obtingeret; quos à manu barbara tot precibus flagitaras? Ne dubita: si in vita martyris appellationem consecutus non es; martyris tamen laureola in Cœlo potieris. Ita enimvero* Auditores *potietur: testem enim rei hujus habemus omni exceptione superiorem. An ignota vobis est Diva* Magdalena de Pazzis, *flos Carmeli, urbis nostræ gloria, sæculi splendor? Hæc est, quæ luculentum hac de re perhibuit testimonium. Inter illustriora, quæ divinitus objecta sunt ei spectacula; adeo attonitam reddidit illud, quo cœlestem* Aloysii *beatitatem ei licuit contemplari; ut à sensibus rapta has in voces erumperet: O quam magna est gloria* Aloysii, *filii* Ignatii! *Nunquam credidissem nisi vidissem! Videtur mihi (ipsa sanctæ Virginis verba per-*

percenſeo) Videtur, inquam, mihi quodammodo dici poſſe, neminem ullum tanta in cœlo, quanta illum frui gloria. Dico vobis: magnus Sanctus eſt Aloyſius *; & ego optarem, ſi liceret, orbem totum peragrare ad hoc prædicandum. Tum, interpoſita aliquantum mora, ſic proſecuta eſt:* Aloyſius fuit martyr incognitus, & fuit ſui ipſius etiam tyrannus. *Attexuit ſubinde multa alia, quibus & præclara ejus merita, &, quæ his reſpondet in Cœlo, gloriam, ac mercedem, magnificis ſane verbis conata eſt explicare. Quid jam vobis videtur* Auditores? *Satiſne luculentum eſt hoc dicti mei teſtimonium? Quanquam quid ambigimus: an* Aloyſius *habitus ſit in Cœlo generoſus martyrum æmulus, dum obita ab eo mors amplius à vi aliunde illata, quam à natura videatur proveniſſe? Ipſe, ipſe, nimio alios juvandi ſtudio incenſus, profectus eſt eam inveſtigatum in noſodochiis ægrorum, morbis contagioſis laborantium. In illa enim lue communi, quæ tam multos eo anno* Romæ *depaſta eſt, tamdiu precibus inſtitit apud Præſides, diu repugnantes; donec ſibi liceret vitam offerre diſcrimini, quam reipſa etiam obtulit, ut communi ſaluti victima caderet voluntaria. Niſi fortaſſe dicere velimus: idcirco fuiſſe martyrem: quoniam opera illa, quibus in proprium corpus ſevere animadvertitur, in peccatoribus pœnitentia debeat compellari; in innocentibus autem jure optimo martyria poſſint nominari.*

EPILOGUS.

Continens affectum fiduciæ ab urbe Florentia (ubi ſermo dictus eſt) ad San-

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

ctum Aloysium concipiendæ. *At utcunque sit istud: an non saltem* Auditores *magna vobis videntur* Aloysii *promerita, qui in beatitatis regno communem & cum* innocentibus, *& cum* pœnitentibus *fortitus gloriam, in duplici Cœlitum agmine reperitur, quorum alterutro unusquisque ejus patriæ civium & Sanctorum debet contineri? Non ergo mirum vobis videatur unam aliquam Civium vestrarum esse delectam cujus* Aloysianæ *præconium gloriæ committeretur. Ingenti semper amore Urbem hanc complexus est* Aloysius. *Hic ille multos vitæ suæ egit annos, in ejus potentissimi Principis obsequiis & clientela positos, qui non dignitate minus, quam nomine magnus, in se uno tam multorum Principum decora complectitur; quam multos ille sanguinis contingit propinguitate. Hic ille ad artium disciplinam incubuit: hic suæ pietatis in DEUM ardor nova sumpsit incrementa: hic (quod jam me dixisse memini) arctioribus vinculis ad virgineæ integritatis custodiam se adstrinxit. Quapropter nunquam urbis hujus sine dulci teneri affectus sensu recordari solebat, & dum intimioribus cum amicis sermo illi foret, consueverat* Florentiam *appellare*: suam, sui spiritus matrem, *cui puerilis, qualiscunque demum esset, virtutis incrementa, robur, & constantiam plurimum deberet. Et dubitamus hanc urbem, tam olim charam viventi, non futuram chariorem in Cœlo triumphanti? Scio cæteras inter cœlestes cognitiones, quas Virgo vestra, Seraphinorum æmula, nobiscum communicavit, hanc etiam extitisse: quod in cœlo* Aloysius *summo ardore & efficacia*

DEUM

DEUM pro iis interpellet, qui olim quoquo modo, maxime in via spiritus, sibi operam commodassent. Si ita est? Quas ille preces pro hac urbe fundet, quam non modo spiritus sui nutricem, sed magistram, imo matrem compellabat? Id unum superest, ut vicissim ejus pietati pleni spe, & fiducia, tam benigno patrono, & advocato digna, respondeatis, crebriora illi obsequii, & amoris vestri argumenta exhibeatis. An fortasse ambigitis: non tantam esse ejus patrocinii efficaciam, quanta est amantis benignitas? At scitote, velim: cum superstes adhuc foret, animi sui arbitris hoc, gravissimi sane ponderis, arcanum credidisse: nullum ab se *(verba sunt* Aloysii, *quibus nil additum volo)* nullum, *inquam*, ab se negotium magni, aut exigui momenti, DEO fuisse commendatum, quod finem optatum non sortiretur; quantumvis aliorum opinione, multis foret nodis implicatum, & fortasse nunquam extricandum. *Si porro tantum superstes potuit in terra; quanto amplius poterit in cœlo? Si tantum fecit gratia aliorum; quanto amplius gratia vestra faciet* Florentini? *An pignus illius in vos beneficentiæ desideratis?* Florentinus *erat nobilis ille infans* de Ridolfis *nomine, cui tam atrociter deliranti, ut nil sani quidquam agere posset, Beati preces reddidere mentis quietem, & sanitatem.* Florentina *fuit virgo illa DEO dicata* de Carlinis, *cujus gangrænam, tam pestilentem, ut medici dicerent desperatam, Beatus opem rogatus persanavit.* Florentini *etiam fuere, quos, utpote superstites, & forsitan præsen-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

tes, nominare supersedeo; quorum alter (quemadmodum sua testati sunt syngrapha) exemptus est à præsentissimo, ne aquis mergeretur, periculo; alius tuber in genibus desperandæ dispulit curationis, sedati sunt alteri colicæ dolores intolerandi; alii aliis gravibus è periculis, ac è mortis, jam jam ringentis, faucibus sunt erepti. Et vos nil spei reponetis in protectore tam illustri, qui propensi in vos studii tam luculenta præbuit argumenta? Ita omnino, Aloysi, ita. Agnosce, quacunque cœli parte despicis, voluntatem nostram, & studia sinceriſſima, dum opem tuam imploramus. Accipe vota nostra, proba obsequia, audi supplicum preces, ne obliviscere matris spiritus tui charæ Florentiæ, *& illos præcipue magnos Principes perge protegere jam beatus in cœlis, quibus servire non detrectasti in terris. Amen.*

ARTICULUS III.

DE PANEGYRI SACRA PER CHRIAM.

§. I.

Præcepta hujus modi.

TErtium *Panegyricæ* Confirmationis modum ajo esse *Chriam.* Quid hæc sit, ac quottuplex? dixi Tomulo (*a*) priore; hic ea solum referam, quæ in *Panegyribus* hoc modo construendis, sunt accuranda.

I. *Panegyrica* Confirmatio non tantum fieri potest per *Chriam* (ut ajunt) *verbalem*; sed etiam per *activam*, vel ex utraque *mixtam*

a) *Tom. I. l. 2. p. 2. Cap. 2. Art. 1. §. 1. pag. 433.*

tam, ut libuerit Oratori. Si *verbalem* feceris, delige dictum quodpiam; aut, si *activam*, factum; vel, *si mixta* fuerit, factum simul, & dictum ipsius Sancti, *Panegyri* sacra collaudandi. Vel, si opportune talia Sancti dicta, vel facta non suppetant; sume Sacram Scripturæ sententiam, aut factum Divinis in literis, aut sacris historiis, relatum, quod sit Chriæ *Panegyricæ* fundamentum, cum aliquo authoris encomio, vel sine illo, initio statim proponendum. CAPUT II. ARTIC. III. §. 1.

III. Hoc, ceu fundamentum, reliquæ *Chriæ* partes consequantur, ut: *paraphrasis*, *causa*, *contrarium*, *simile*, *exemplum*, *testimonium*, denique claudatur *complexione*, quæ brevem totius *Chriæ* partium repetitionem, vel moralem digressionem, vel alium, de quo ante in *epilogo* egimus, motum contineat. In singulis partibus primum ipsa *Chriæ* pars, prothasis, ac thesis instar, præmittatur, cui postea laus Sancti, ex vitæ actis, ad rem pertinentibus, brevius, vel fusius, ut visum fuerit, adornata, apodosis, ac hypothesis instar, jam in modum similitudinis, vel dissimilitudinis, aut contrarii, subjiciatur. Interdum duæ *Chriæ* partes simul jungi possunt, & utrique communiter Sancti laudatio subnecti. Nec opus est, ut *Chriæ* partium ordo servetur: possunt aliæ aliis præponi, vel postponi; imo brevitatis causa aliquæ partes etiam prætermitti.

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

III. Incredibile dictu, quam hic modus facilem reddet Tironibus *Panegyricæ* Confirmationis structuram, etiam extempore, ubi crebrior usus accesserit, nec sine fructu, ad rudiores, vel etiam mediocres auditores usurpandam. Nec in ea quidquam est difficultatis, quam ut singulis partibus apposita vitæ acta subjungantur, & ab una in aliam partem apta transitio instituatur per modos Tomulo (*a*) priore allatos. Amplificatio Panegyrica in singulis *Chriæ* membris fiat per unum aliquem ex modis jam ante recensitis.

§. II.

Paradigma hujus modi.

IDeam hujus modi dat *Panegyris* sacra de Sancto *Ignatio* Societatis nostræ Conditore, parte divisionis altera, hunc in modum constructa. Ejus elocutio consulto est temperata, ut illius panegyris, quam stylo, argutiis, cæterisque panegyrum ornamentis, in ipso *Panegyrico* genere, mediocrem, sive temperatiorem, esse posse ante docuimus in præceptis, exemplum foret (*b*).

ORA-

a) *Tomul. I. I. 2. p. 3. Cap. 2. Art. 5. per totum pag. 670.* b) *Hæc Oratio multiplicis formam præbet panegyris: 1. Est in genere mixto per modum miscendi primum, alterum, ac tertium. 2. Est per argumentationem fundamentalem. 3. Per syllogismum cum subdivisione. 4. Per Chriam. 5. Per enthymema sine subdivisione, cujus singulæ partes tractantur per locum oppositorum.*

ORATIO.

Sententia Sacra: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Psal. 113. v. 1.

Thema (a) Orationis: *Sanctus Ignatius de Lojola omni se humana exuit gloria.*

Partitio Thematis: 1. *Exuit gloria nobilitatis per ignobilitatem.* 2. *Exuit gloria divitiarum per paupertatem.* 3. *Exuit gloria honorum per contemptum.*

EXORDIUM.

Ingressus à genere, continens majorem syllogismi fundamentalis. *Ab ipsa natura sic animo comparati sumus; ut nemo, vel certe vix mortalium sit ullus, qui non aliquo humanæ gloriæ sensu tangeretur. Aut si unum aliquem nullo prorsus hujuscemodi stimulo agi contingat; is vel homo est natura inertissimus, vel insigni Dei munere, aut sanctitatis studio hoc indeptus.* Ratio majoris ab exemplo. *Ad istam virtutis præcellentiam; verius dicam, culmen, & apicem, pertigisse videtur Regum Sanctissimus David. Etsi gloriæ non mediocriter fuerit appetens; hanc tamen appetitionem assiduo virtutis conatu ita perdomuit, ut non modo nihil sibi gloriæ attribuerit; sed, ne vel à DEO Optimo Maximo quidquam tribueretur, ardentissime rogavit:* Non nobis, Domine, (repetebat) non nobis; sed nomini tuo da gloriam.

De-

b) *Thema istud continet characterem, congruit Sententiæ Sacræ; partitio vero est ab antithetis ex loco distributionis partium.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Descensus continens minorem syllogismi. *Præclara Davidis vestigia æmulari vius est Divus etiam familiæ nostræ parens* Ignatius. *Ante, quam sanctius vitæ institutum amplecteretur, ab ipsa natura fuerat* Ignatius, *homo utpote genere illustris, vitæ autem studio militaris, vanæ hominum gloriæ perquam cupidus, cujus apertissimum tum prodidit argumentum; cum ejus crus dextrum ad mœnia* Pampelonæ *ænea bellicæ machinæ pila confractum curaretur. Coaluerat equidem vulnus: sed medicorum inscitia, vel incuria duo illi, grandia adhuc, incommoda superfuere. Alterum: os sub genu relictum, quo apertius, eo fœdius, prominebat; alterum: tibiæ contractæ brevitas & recte gradum figere, & pedibus firmiter insistere magnopere illum prohibebat. Quid agit* Ignatius? *Elegantiæ, cultusque corporis, stimulante gloria, studiosissimus, quoniam morbi principio gloriosum adhuc militaris vitæ cursum prosequi animo constituerat, os, quod deformius eminebat, secari jubet; tibiæ vero contractionem machinis quibusdam protendi curat. Superi! quam acerbi hac in curatione* Ignatio *dolores erant perferendi? Pertulit tamen, gloria vires illi, & animos ad tolerandum sufficiente, ea animi constantis firmitate, ut nec se ligari pateretur; nec ingemiscere, nec vultum mutare, nec ullum (quod mirere) infirmioris animi signum edere notaretur. Tantum gloriæ studium, & ardor potest! Hunc porro, quamvis ingentem, ea potissimum de causa, tam fortiter tulit cruciatum, ut habiles,*

& elegantes (quod postea sæpius commemorare solebat) urbanas ocreas gestare posset. At postquam, sanctiori lumine collustratus, humanæ gloriæ vanitatem luculentius perspexisset, omni se penitus gloria exuit, ut cum Davide *non aliam, quam DEI Præpotentis, quæ* Pauli *testimonio uni illi debetur, gloriam exambiret.* Non nobis (*inquit*) Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.

Propositio continens complexionem syllogismi fundamentalis. *Existimo ad præcelsam parentis* Ignatii *gloriam nihil à me, filio, conducibilius, accomodatiusque dici posse; quam toto illum vitæ sanctioris tempore inglorium perstitisse, id est: omni, quæ in se derivari poterat, hominum gloria semet exuisse; etsi postea magnus ille bonorum munerator DEUS, qui se* glorificantes (*ut canit Ecclesia*) glorificat, *maxima* Ignatium *gloria exornarit. Habet enim hoc Dei liberalissimi beneficentia, ut quemadmodum ii, qui Evangelicæ paupertatis amore rebus semet omnibus exuunt; centupli fœnore res dimissas in vita recipiant; ita, qui contempta mundi gloria DEUM* glorificaverint, *à DEO vicissim in mundo glorificentur.* Quicunque me glorificaverit, glorificabo eum.

Introductio continens rationem minoris. *Tres porro sunt radii lucidiores, quibus humana plerumque gloria splendidius solet refulgere: nobilitas sanguinis, opum abundantia, honorum amplitudo. Hæc sunt, unde vani, ac mundo dediti mortales altius semet efferre, unde*

cæ-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

cæteros metiri, ac æstimare, unde his destitutos non parvo despicatui habere consueverunt. Ignatium *mundus equidem haud poterat eapropter aspernari: seu enim generis nobilitatem, seu divitias, sive gestos in militia honores memoria repetamus, liberali certe manu cuncta hæc in eum humanæ gloriæ munera mater effudit natura; quamvis non eo Divinæ Providentiæ consilio, ut suum inde nomen illustraret; verum haberet, quod DEI gloriæ studio aliquando exueret, ac totam, quanta quanta est, in DEUM, velut mare, conferret, fluminis instar, quod copiosas à pluviis, à torrentibus, à rivis aquas recipit; ut iterum liberalius in eundem, unde ortæ sunt, maris sinum refundere possit.*

Partitio. *Refudit* Ignatius, *qui pulcherrimum contemptæ triplicis hujus gloriæ exemplum effectus, omni se humana exuit gloria. Exuit gloria Nobilitatis, exuit gloria divitiarum, exuit gloria honorum.* Nobilitatis, per ignobilitatem: divitiarum, per paupertatem: honorum, per contemptum. *Hæc tria sunt & meæ laudationis, & vestræ attentionis capita, favete.*

PARS I.

SANCTUS IGNATIUS EXUIT SE GLORIA NOBILITATIS PER IGNOBILITATEM.

Prima divisionis pars probatur syllogismo quadripartito sine subdivisione: Is exuit gloriam nobilitatis per ignobilitatem, qui illustri stirpe natus, indole præditus, artibus in-

institutus, nobilem vitæ disciplinam secutus, Christi pauperis amore ignobilem vilis mendiculi ultro induit vitæ, morumque rationem. Hoc egit Ignatius. Ergo &c. Minor probatur per Oratoriam rerum gestarum, ad utramque antitheseos partem pertinentium, enarrationem.

Major syllogismi. *Gloria nobilitatis nunquam ita exui potest, ut non nobilem de illustri, unde quis natus est, sanguine ortum trahat. Quis enim quod factum est, infectum efficiet? Attamen persæpe evenit, ut tametsi præstante, & avita unus aliquis gaudeat nobilitate; nihilominus juribus, prærogativis, libertatibus, unde potissimum nobilium gloria repeti solet, vel ultro cedat, vel in admissi grandioris cujuspiam criminis pœnam à Republica spolietur, vel inquiore fortuna de gradu deturbetur, vel denique Christianæ perfectionis, ac submissionis studio, ultro semet exuat, ut per exteriorem vitæ, morumque ignobilium rationem, sponte susceptam, mundo inglorius delitescat. Hoc qui agit, exuit se profecto vana nobilitatis gloria per christianam, mundo equidem probrosam; at DEO admodum gratam, ignobilitatem.*

Minor syllogismi. *Id egit* Ignatius. *Etsi nobilissima fuerit de stirpe natus, indole præditus, moribus institutus, vitæ disciplinam secutus; omni tamen hac gloria semet exuit, dum Christi pauperis amore factus mendiculus, per exteriorem cultus, amictus, vitæ, morumque rationem ultro induit ignobilitatem.*

Mi-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Minoris probatio (a). *Natura quidem ad* Ignatium *natalium splendore, quo altius, eo glorioſius exornandum* (Genus) *geminum Regiæ proſapiæ, qua major nulla jam in terris nobilitatis gloria eſſe poteſt, conjunxit ſanguinem. Natus quippe eſt in ea Hiſpaniæ, atque Cantabriæ, Regni certe nobiliſſimi, parte, quæ vulgo Provincia dici ſolet. Patre* Beltramo, Ognis, & Lojolæ *Domino: Matre vero* Marina Sone *præcellentiſſimi æque generis fœmina. Hæc octo inter filios, & quatuor filias, ultimum enixa eſt* Ignatium, *qui cæteris poſtea glorioſior, omnium ſubinde primus erat; imo ſummum familiæ decus, & ornamentum; quamvis nihil egerit minus, quam ſuæ gloriam proſapiæ promotum ire. Ex tam illuſtri,* (Indoles) *ac glorioſo ſanguine non poterat* Ignatius *non haurire indolem, ac ſpiritum prorſus nobilem, ac glorioſum. Eſt enim ea ſanguinis ratio, ut per illum, ceu canalem, recti, pravique ſemina in poſteros transfundantur. Transfuſus eſt in* Ignatium *nobilis quidam ſpiritus ardor, quo incitatus à prima ſtatim adoleſcentia,* (Educatio) *in aula* Ferdinandi *Regis Catholici nobiliter exacta, cepit velle gloriam è claris facinoribus petere in militia,* (Vitæ diſciplina) *ubi maximus ad eam curſus patet. Ad* Antonium, Manricum, Najaræ *Ducem, optimum, ea tempeſtate, belli imperatorem, datur in diſcipli-*

a) *Hæc in prima antitheſeos parte ab adjunctis perſonarum, ut à genere, indole, educatione, vitæ diſciplina, breviter allatis inſtituitur.*

plinam, *ad condiscenda rei militaris rudimenta. Brevi tempore magister effectus, insignia bellicæ fortitudinis edidit specimina in expugnatione urbis* Najaræ, *& ad mœnia* Pampelonæ. *At, O miram DEI providentiam! Quemadmodum generosi cujuspiam in stadio cursoris, ad metam ardentius, quam par sit, decurrentis, fallente vestigio, cursus repente sistitur; ita hæc ipsa bellica* Ignatii *fortitudo fatali machinæ, crus dextrum confringentis, ictu, omnem illius ad gloriam connitentis cursum intercepit, ut fracto pede, quasi nil jam esset, cui insisteret. totus ille nobilis gloriæ spiritus una in illo postmodum concidisset. Videtur mihi hoc* Ignatii *casu* Pauli *gentium Apostoli exemplum renovari* (a). Paulus *in ipso Ecclesiam persequendi studio, cum Damascum iter ageret, cœlesti voce, veluti fulmine de cælo demisso, in terram prosternitur.* Ignatius *in medio gloriæ prosequendæ conatu, æneæ ictu pilæ, humi dejicitur.* Paulus *cecidit, ut felicius surrecturus Divinæ vas fieret electionis, quod Sanctum JESU nomen portaret coram gentibus, Regibus, ac tribubus Israel.* Ignatius *cecidit, ut dum surrexerit, magister orbis effectus, majorem Divini Nominis gloriam toto late mundo propagaret.* Paulus, *sanctiori lumine hoc in lapsu collustratus, è Christo solicitus quærebat:* Domine! quid me vis facere? Ignatius *ex vulnere sau-*

a) *Amplificatio ab exemplo per locum comparationis juxta modum tertium, & septimum supra memoratum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

cius, dum è Christi, & Sanctorum actis, velut apis è floribus, mel legeret, cœlestium meditatione, quodam quasi lumine, perstrictus, cepit humanæ gloriæ vanitatem aspernari; non secus, ac quis, sumpto antidoto, merum, cui liberalius hauriendo anteinsueverat, repente incipit fastidire. Et quoniam animo constitutum ipsi erat præterita vitæ studia immutare, nocte, ut in more habebat, ante imaginem Virginis prostratus, ferventes inter preces, benignissimo DEI filio per Matrem integerrimam semet offert, ac spondet, contemptis vanitatum castris, se in ejus potestate futurum, quidquid de se statuere alluberet: Domine quid me vis facere? Verum, Ignati (a), si tibi compertum non est, quid te facere oporteat, audi, quid bonus per me tibi, ut olim per Ananiam Saulo, agendum imperet DEUS! Vult, ut temet omni nobilitatis jure, prærogativa, libertate, gloria exuas, exosam mundo mendicitatem induas, ne minimam porro sanguinis rationem unquam habeas. Hoc ut porro exequaris, egredere Ignati, cum Abrahamo, egredere de domo, de cognatione tua; etsi Martinus Garsia, frater natu maximus, & familiæ caput, rem odoratus, te in penitiora domus penetralia fevocet, illic per familiæ decus, per honorem, per ingentes spes, ac promissa, à suscepto vitæ proposito deborteturi. Vult, ut in Montem Serratum, celebrem veteri pietate locum, singulari religione DEI Ge-

a) *Amplificatio per apostrophen, cum figura repetitionis conjunctam, juxta modum nonum supra allatum.*

Genitricis cultui consecratum, dimissis servitiis, temet conferas, ibi, non secus ac si quis agrum, sentibus obnoxium, sementi apparaturus, prius radices evellit, quam terræ semen condat; ita tu vitæ totius criminum confessione animum triduo perpurges. Vult, ut gladium, pugionem, baltheum, cæteraque nobilium arma, quibus antea mundi gloriæ merueras: nunc ad Virginis aram, in perpetuum exutæ nobilitatis, & contemptæ illius gloriæ monumentum, è tholo suspendas. Vult, ut noctis silentio pretiosa, quibus ornaris, vestimenta quam tectissime pannoso cuipiam ex infima plebe dono tribuas, dein talarem è sacco tunicam induas, sparteis temet calceis defædes potius, quam ornes, fune pro baltheo præcingas, baculo tornatili instruas, in aquæ usum cucurbitam cingulo appendas, nudo prorsus capite, vesano similior, in humanæ ludibrium gloriæ per compita incedas. Verbo: vult, ut, exuta omnis nobilitatis gloria, toto cultu, victu, amictu, vita, moribus, ignobile vilissimi mendiculi exemplum fias. Factusne est Auditores? *si ambigitis, venite, & aspectate: quomodo vilissimo (ut dixi) sacco contectus, relicto Monachis jumento, vulnere nondum plene consanato,* Manresam *pedes progrediatur: ibi in publico miserorum hominum ergastulo hospitetur, mendici instar suam precario vitam sustentet, quasi indignus jam vita foret, quam dono alterius non conservaret. Et quoniam munditiarum, ornatusque paulum fuerat studiosior, aspicite, quomodo vitium hujus diligentiæ pari ne-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

gligentia rependat, ut natalium splendorem externo corporis neglectui, quasi solem nubi, involvat. Videte: quomodo capillum, quem pro sæculi more promissum impensius ante comebat; nunc impexum, squalidumque relinquat. Ungues, sedulo antea resectos; jam per diuturnam incuriam excrescere sinat. Vultum prius aspectu decorum; modo jejuniis, vigiliis, ac cæteris corporis afflictandi modis attenuet. Præterea videte: quam se miseris, ac mendicis hominibus, quasi unus de numero, ac grege foret, hilariter, & amice immisceat, eorum sermoni, morumque ruditati ita suum dextre sermonem, ac vitæ morem conformet, ut jurares ipsum in medio mendicitatis sinu fuisse natum, & educatum. Denique videte: quomodo Ignatius *cum ipsis etiam Dynastis, ac Viris Principibus, quod olim in Regia verborum flosculos, & elegantias, nimium captarit; nunc consulto rudi, & agresti sermone agat, ut quo magis contemneretur, eo studiosius omnia liberalioris institutionis, & nobilitatis indicia per morum ignobilitatem occultaret.*

Complexio I. partis, novis simul argumentis firmata. *Et dum ista attentius videtis* Auditores, *quis una jam non videat* Ignatium *hoc cultu, hoc amictu, his moribus, hac ignobili vitæ ratione, ultro susceptа, non se omni omnino humana gloria, ex natalium splendore profecta, exuisse? Exuisti enimvero* Ignati, *& quidem eo te generosius exuisti, quo hi magnanimitatis actus generosi, omni humana magnitu-*

dine.

dine superiores, videri poterant fructus infelices pugnæ illius, ad Pampelonam *infelicis, quasi in desperationem actus, glorioſum militiæ curſum deſeruiſſes: non virtutis ſtudio; ſed amiſſi propugnaculi (quod majore animo, quam felicitate propugnaras) pudore, & ignominia affectus, priorem vitæ fortunam abjeciſſes, in hanc miſeram, calamitoſam, tuæque nobilitati perquam propudioſam mendicitatis conditionem temet præcipitaſſes. At ſentiat mundus, quod volet, fixum eſt* Ignatio: *nullam unquam generis ſui habere rationem, omni erga ſanguine junctos affectu ſemet exuere, ac, ut ſui etiam ſocii aliquando exuerentur, lege conſtituta, imperare: cognatos literis interpellantes, prius, quam legerentur, igni traditis, ne reſponſo dignos arbitrari: in patriam* Lojolam *revertenti, relicta domo avita, & copioſa, in pauperum Xenodochio diverſari. Hoc, inquam, fixum eſt* Ignatio.

Digreſſio moralis. *Et quid vos, O vani, & ſuperbi mortales? qui natalium ſplendore voſmet inſolentius effertis, nobilitatem, ceu grande quodpiam, ac illuſtre decus, arrogantius jactatis, ceras, & atria, fumoſis majorum imaginibus exornata, vane oſtentatis, cæteros, quos naſcendi conditio fecit ignobiliores, ingenti faſtu contemnitis, quid vos, inquam, mortales? Diſcite, diſcite* Ignatii *exemplo, quanti hanc vanam vanæ nobilitatis gloriam, ſeu in vobis ipſis, ſeu in cæteris, quos mundus hic eapropter, ceu quoſdam ſemideos adorat, ac veneratur, facere*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

debeatis, quam Ignatius *sinceræ nobilitatis, id est: Divinæ perfectionis, ac gloriæ studio, cum ignobili mendicitate, heroico prorsus facinore commutavit. Vera, si sapitis, nobilitas Christianæ virtus est sublimissionis. Hæc illa est, quæ Divinos apud oculos vere nobiles reddit, & glorioſos; ut quo fueritis minores, eo evadatis altiores. Huic studete, hanc consectemini, si cœlestem aliquando gloriam vultis adipisci:* Nisi efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum, *ait Christus.*

PARS II.

SANCTUS IGNATIUS EXUIT SE GLORIA DIVITIARUM PER PAUPERTATEM.

Altera divisionis pars tractatur per Chriam (ut Rhetores ajunt) *verbalem.* Fundamentum ejus est illa Christi sententia: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus - - veni, & sequere me.* Hanc sequitur *paraphrasis, causa, contrarium, simile,* cum *testimonio* conjunctum, denique *exemplum.* Singulis partibus seorsim, præterquam simili, cui cum testimonio conjuncte sua panegyrica ex actis *Ignatii*, laudatio, velut prothasi apodosis, jam in modum similitudinis, jam in modum contrarii, subnectitur.

Fundamentum Chriæ verbalis. *Si nihil quidquam esset (quanquam innumera sunt) quo Divinissimus Magister suam hominibus compertam reddidisset sapientiam; hoc certe uno, Evan-*

vangelico Juveni dato consilio, satis eam, superque prodidisset. Hic Christum Servatorem cum de Cœlesti vita sæpius verba facientem audisset, ejus obtinendæ studio inflammatus, solicite percunctatur: Magister, quid faciam, ut habeam vitam æternam? serva mandata, *ait Christus. Ille vero cum à prima statim adolescentia hæc à se diligenter fuisse custodita reposuisset; tum author est Christus: si certius, si facilius, si perfectius eam consequi vellet, ut Evangelicam sectaretur paupertatem:* Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus -- veni, & sequere me. *Noverat belle Sapientissimus Servator hunc Evangelicum adolescentem magnis perquam opibus affluere: noverat divitias obtinendæ gloriæ æternæ ingentes plerumque moras, & obices injicere: quare sapientissimo prorsus admonet consilio, ut relictis, ac in pauperes erogatis rebus omnibus, Christum pauperem consectaretur.* APODOSIS PANEGYRICA. *Consilium istud ab Evangelico neglectum adolescente, Superi! quam integre, quam perfecte explevit* Ignatius. *Omni certe non tantum nobilitatis; sed etiam divitiarum, quas vel jam habuerat, vel porro sperare poterat, gloria semet exuit per Evangelicam paupertatem; ut quo re omni magis esset vacuus; eo propagandæ Divinæ gloriæ instrumentum redderetur aptius: quemadmodum arbor, ut ampliores fructus ferat, ramis truncari solet.* Ignatius *cum natu fratrum esset minimus, opimiorem* Ognis, & Lojolæ *non adiit hæredita-*

CAPUT. II. ARTIC. III. §. II.

ditatem. *Nam pro veteri Hispaniæ more Principum virorum liberi eo ferme nascuntur jure, ut maximus duntaxat ætate in patrimonio, imperioque succedat: cæteri sive ad acuendam gentis industriam, sive ad familiæ splendorem in uno capite splendidius retinendum, quadam tantummodo portione, quæ ad honestum vitæ cultum, victumque sufficiat, asperguntur. Si porro majores adipisci opes, & gloriam volunt, vel studiis doctrinarum, vel militiæ opera, vel aulæ, Regumque præsidio, & favore eo connituntur. Hæc ipsa nascendi sors, & conditio manſit* Ignatium. *At cum eximia & corporis, & animi indole præditus esset, vix literis, à limine salutatis, continuo in* Ferdinandi *Regis Catholi aulam à Patre dimittitur: illic honorarios inter ephæbos cum aliquandiu Regi ministrasset, aulicis moribus, & artibus egregie perpolitus, militiam, perfacilem ad ampliores divitias, & honores viam, sequi statuit, obtinuitque, ut octo ferme, ac viginti annos natus, jam majores inter belli præfectos, cui tutandæ arcis* Pampelonæ *mœnia tuto crederentur, fuerit numeratus. Hac in fortuna* Ignatius *Cæsi divitiis haud affluebat, è sua tamen portione, & opulentiore militiæ stipendio, vitam non avare; non sordide, verum, pro dignitate, liberaliter sustentabat, & ampliores adhuc ex militia opes sperare poterat; nisi Divinæ gloriæ studio inflammatus, cunctis se rebus, ac spebus, id est: omni, quæ in eum ex divitiis derivari poterat, gloria semet exuisset, Christi consilio:* si vis perfectus

ctus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus -- veni, & sequere me. CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Paraphrasis fundamenti, sive sententiæ. Quod Ignatius *quam probe fuerit executus, juvat Christi Salvatoris verba, paulum curatius expensa, in memoriam revocare* (a). *Primum ait:* si vis perfectus esse, *vis, inquam, ut indicaret Evangelicam paupertatem solum esse consultam, non præceptam: esse in hominis arbitrio, ac potestate, si sequi vellet, constitutam: esse ad salutem obtinendam haud necessariam; ad ejus tamen certius, securius, ac facilius obtinendæ absolutionem pertinere:* Si vis perfectus esse. Vade, *ait, id est: exi de domo tua, de cognatione tua: relinque patrem, matrem, fratres, sorores, domos, agros, verbo:* vende omnia, *omnia, inquam, ut nil superet, quod non vendidisses.* Et da pauperibus: *non igitur cognatis, aut amicis opulentioribus, sed pauperibus, ut quod dederis, Christo in pauperibus dedisse censearis.* Et quia non sufficit *(verba sunt Hieronymi paulum immutata)* tantum relinquere: hoc enim & Crates fecit Philosophus, & multi alii divitias contempserunt: jungit, quod perfectum est, veni, & sequere me. *Veni; non impulsus necessitate, sed libera voluntate, DEI vocantis vocem secutus:* sequere me, *me, inquam; sed pauperem, perfecta paupertatis, quæ cæterarum mater est virtutum, consectatione.* APODOSIS PA-

a) *Amplificatio per paraphrasim, juxta modum quartum superius explicatum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

GYRICA. *Ita ad amussim egit* Ignatius. *Non ignorabat, plurimos pallio solum esse Philosophos, vestem facilius mutari, quam mentem: imo persæpe quemadmodum ignem sub terræ visceribus, ita sub vili tunica animum ingenti divitiarum cupiditate ardentem latere. Ut illa exterior susceptæ ignobilitatis species, & imago, ad intimos usque animi sensus, occulta affinitate, pertingeret, voluit omnem etiam divitiarum gloriam exuere per paupertatem. Hanc autem non fato, vel iniquiore fortuna, sed Divinæ gloriæ, & majoris vitæ sanctitatis indipiscendæ desiderio, dimissis rebus omnibus. prudens ultro, volensque suscepit:* si vis perfectus esse. *Cui sanctius colendæ, ut se firmius adstringeret, primum peculiari proposito, postea voti perpetui, in manibus Legati Apostolici Venetiis emissi, religione confirmato, quodam veluti vinculo nunquam solvendo, ante, quam adhuc Societas coalesceret, semet arctissime adstrinxit. Comitemini, si libet,* Ignatium *eo, quo dicebamus, mendiculi amictu, à* Monte Serrato Manresam *proficiscentem, ut perfectioris vitæ studia illic ordiretur. Quid agit? Oppidum ingressurus, primum totam, quæ adhuc superfuerat, pecuniam ad assem usque ultimum erogat in pauperes, post in publicum Xenodochium, infimæ mendicorum plebis hospitium, semet recipit. Videte jam hic Virum genere nobilem, ac illustrem, quomodo stipem ostiatim precibus infimis quotidie corroget, carnium, vinique semper abstinens, pane, & aqua vitam toleret, tota hebdomade, præterquam Dominico,*

sex-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

severus jejunet, somni parcissimus maximam noctis partem vigil exigat, humi cubet, horas septem genibus nixus, orationi impendat, aucto diebus singulis supplicio ter corpus acerrime flagellet; adeo, ut in hoc tam aspero, tam horrido, vitæ pauperis instituto, tametsi vultu antea fuerit decoro, & egregia corporis firmitate, detractis paulatim viribus, omnis illum pristinus decor, vigorque defecerit. At (a) heus Ignati! Ecquid est, quod in tantam temet redigas paupertatem? Cur relicta patria, cognatis, amicis, opibus, te pedore, ac dira macie deformas? Cur hoc tristi, & obsoleto vestitu sordidatus incedis? stipem in triviis corrogas? inter infimas plebis minutæ quisquilias generis tui nobilitatem obscuras? Satius profecto tibi foret intermissa honoratæ militiæ stipendia repetere: satius pristinum ditioris fortunæ cultum, victumque, majore tua, tuique sanguinis dignitate, revocare. Evenire potest, ut vitam in annos adhuc septuaginta proferas: ergo semper hanc duram agrestium hominum vivendi rationem coles? semper in his laboribus, in his ærumnis, in hac paupertatis austeritate eam exiges? Putasne urgente senio hunc rigorem tolerabis? Ah utinam tolerares! Sed vide, Ignati, vide, ne severa hæc egestas ingens tibi detrimentum conscisçat, in extremum vitæ periculum te adducat, quod vix Manresæ magistratus, medicamentis, officiose ministratis, poterit depellere, atque sic morte præpostera, in ipso ætatis flore, inglo-

a) *Amplificatio per apostrophen juxta modum nonum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

inglorius consumaris. Revertere, si sapis, revertere! Ita Ignatius *à Dæmone lacessitus, revertisset enimvero, si malo, his eum curis, ac cogitationibus à suscepto paupertatis proposito revocanti, genio paruisset. Verum* Ignatius *profanam militiam secutus usu condidicerat: hosti, urbem obsidenti, fortiter, constanterque obsistendum esse, ut à mœnibus feliciter depellatur. Restitit* Ignatius *humani generis inimico, animi sui arcem oppugnanti, ea fortitudine, & constantia, ut non modo nihil ex arrepto rigidæ paupertatis proposito quidquam remiserit; sed potius auxerit severitatem. Nam à dæmone pulsatus, hominibus mendicis multo se propiorem, & amiciorem, quam ante, præbebat, ut sic incussum à pessimo spiritu horrorem, contrario, eoque ferventiore, vitæ pauperioris amore excussum, superaret.*

Causa. *Evangelica nempe paupertas est radix, & fundamentum omnis Christianæ perfectionis. Hæc in nobis, ceu aqua ignem, opprimit cupiditatem. Hæc gravissimarum tentationum, & malorum maximorum fontem restinguit. Hæc animum, terrenis curis, ac desideriis, quasi catenis, ac funibus adstrictum, liberum reddit, & expeditum. Hæc spem, & amorem à rerum fluxarum studiis, ceu arborem, radicitus evellit, ac, ut in DEUM Optimum Maximum transferatur, facit. Atque istud est, quod ante dixeram, eccur Divinissimus Magister Christus paupertatem, ceu Christianæ virtutis fundamentum, Evangelico suaserat adolescenti amplectendam, sed divitia-*

rum,

rum, quibus affluebat, amor ab optimis, ne morem gereret, consiliis mentem ejus, velut sessor equum à cursu, retrahebat. APODOSIS PANEGYRICA. Ignatius *nihil jam, nisi cœlestia, sapere doctus, terrena omnia, velut stercora, cum Paulo arbitrabatur*: quam sordet, *inquit*, mihi tellus, dum cœlum aspicio. *Susceptum igitur paupertatis propositum, summum veluti christianæ perfectionis coluit fundamentum. Prosequamur iterum, si placet*, Ignatium, *sed jam à* Manresa Barcinonem, *inde in* Italiam, *post* Hierosolymam, *discedentem. Quanquam vehementer vereor, ne ab hac itineris societate repellamur: cum animo fixum sit* Ignatio *sine duce, sine comite, iter agere. Erant, qui se illi viæ socios ultro offerebant, qui hortabantur, qui urgebant, ut aliquem latinæ, aut Italicæ peritum, quasi ducem, ac sermonis interpretem adsciscret. Verum heroica* Ignatii *paupertas viarum omnium probe gnara, ac linguarum egregie perita, clientem magnopere protectura, huic consilio admodum repugnabat. Verebatur: ne fortasse, admisso itineris socio, præstans illa in DEUM fiducia, qua spes omnes in uno fixas DEO* Ignatius *habebat, quoquo modo in socium derivata, minueretur. Similiter viatici curam excludebat, ne quid pariter spem ejus infringeret, & animum, ad cœlestia properantem, rerum fluxarum solicitudine retardaret.*

Contrarium à divitiis. *Sunt res fluxæ maxima cœlestis perfectionis impedimenta; non secus, ac paupertas est summum illius indipiscendæ*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

dæ adjumentum. Hæc (a) à vanis mundi rebus hominum mentes abstrahit; illæ affigunt. Hæc cupiditatem, malorum fontem, restinguit; illæ accendunt. Hæc cor ad DEI amorem adducit; illæ avertunt. Bene Christus: dives difficile intrabit in regnum Cælorum. Difficile, ait: quoniam divitiæ Evangelicæ perfectioni, potissimum in paupertatis studio collocatæ, quæ facilem, & expeditam in cœlum viam facit, maximas ponunt moras. APODOSIS PANEGYRICA. Nihil parentem moratæ sunt Ignatium, omni jam divitiarum amore per paupertatem exutum. Currebat ille verius, quam ibat, in curriculo Christianæ perfectionis, tutum ubique iter ei præbente sancta paupertate. Hac duce, hac comite, sine ullis impendiis, ardua æque, ac longinqua ex Hispania in Italiam, ex Italia in Palestinam, inde rursum in Hispaniam, mox in Galliam, denique iterum in Italiam, itinera, Divinæ gloriæ studio suscepta, feliciter exigebat. Nempe Sancta Ignatii paupertas, uni DEO nixa, solicitam de illo Divinæ providentiæ curam excitabat, ut in summa rerum paupertate nullam vitæ sustinendæ inopiam pateretur. Hæc egenti navem Barcinone conduxit, ut sine impendiis in Italiam transmitteret. Hæc naulum ea lege remisit, ut nautici saltem panis tantum inferret; quantum itineri emetiendo satis foret. Intulitne? O Superi (b)! quantis animi angoribus, partem in utramque flu-

a) *Amplificatio per antitheta juxta modum octavum.* b) *Amplificatio per antitheta, cum figura Suspensionis conjuncta, juxta modum octavum.*

fluctuantibus, agebatur? Illinc menti objiciebatur severissimum colendæ rigidissimæ paupertatis propositum, si navarcho pareret, violandum: isthinc aggrediendæ profectionis Hierosolymitanæ votum, non aliter, quam servata navarchi lege implendum, animo occurrebat. Illinc ingens illa, & secura in DEUM fiducia, qua credebat, nil sibi unquam defuturum, magnopere illum retrahebat: isthinc incensum sancta loca venerandi desiderium perurgebat. Quid agam, ajebat, quo me vertam? Ibi sacrum; hic saxum: ibi scylla; hic charybdis. Sacerdoti, inquiebat, conscientiæ arbitro rem omnem aperiam, ejusque consilio permittam. Ita factum. Quo dein etiam authore panes intulit; verum non alterius, quam amatæ paupertatis, stipem corrogantis, impendio procuratos. At pauculi adhuc oboli ex nummis, ostiatim collectis, navem conscensuro superfuere. Quid hic severa Ignatii *paupertas? Hos, velut Evangelicæ perfectionis laqueos, quibus sæpe homines, etiam virtutis cultores, irretiuntur, juxta navium stationem reliquit; ne quid amplius viatici, quam itineri par esset conficiendo, secum ferret. Tam incensum in eo erat studium paupertatis; horror vero divitiarum!*

Simile cum testimonio. *Et quis non abhorreat rebus ab iis, quas sacræ literæ Dæmonis laqueos compellant? Credite: quoties hominem fas est mihi divitem videre, perinde est, ac arborem, laqueis appositis undique circumseptam, intuerer. Quid agit auceps, ut avem capiat? Primum: arborem apparat, dein laqueos, & virgam*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

gam, viſco illitam, tendit, poſt fiſtula dulce canit, ut volitantes circum aves in arborem alliciat, atque ubi allexerit, in paratos, ut dixi, laqueos inducat. *Hæc ipſa hominum etiam locupletum ſors eſt. Arbor eſt homo dives, auceps dæmon, avis anima, divitiæ ſunt laquei, quibus homo tum inſtruitur, cum opibus cumulatur: fiſtula eſt cupiditas, qua dæmon tum canit, cum in nobis divitiarum cupiditatem accendit, ut animam ad earum amorem pertrahat, atque ubi pertraxerit, in laqueos miſere induat, non ſine maximo ſalutis detrimento. Pridem hujus ſimilitudinis veritatem comperit gentium Doctor Paulus: cum divites, ne opibus animum affigerent, hoc à ſimili argumento dehortatus erat:* Qui volunt *(inquit ille)* fieri divites, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli *(advertite, in laqueum, ait, Diaboli)* & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum eſt cupiditas. APODOSIS PANEGYRICA. *Vis, O* Ignati, *ab his te laqueis expedire? Expedies enimvero; ſed Pauli, gentium Magiſtri, conſilio, allatis paulum ante verbis adjecto, morem gere.* Tu autem O homo Dei hæc fuge, ſectare juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem. *Quaſi diceret: prima chriſtianæ perfectionis capita ſunt: juſtitia, pietas, fides, charitas; at memineris, nunquam iſta te rite conſectaturum; niſi* hæc, *id eſt: divitias, tanquam Dæmonis laqueos, fugeris* O homo DEI. *Non ego hic memorare volo inſignem* Ignatii,

tii, *qui vere* homo DEI *erat*, *justitiam* : *non adfero incredibilem in* DEUM, *ac superos pietatem* : *non fidem orbe toto propagatam* : *non charitatem in* DEUM, *& proximos ardentissimam*; *solam*, *qua Dæmonis laquei vere fugiuntur*, *celebrabo paupertatem*. *Fugit* (a) Ignatius. *Nam* Hierosolymam *iter acturus*, *etsi principio amicorum hortatu*, *& beneficentia sex*, *septemve aureos coronatos admiserit*, *eorum*, *quæ de hoc itinere audierat*, *metu perterritus*, *ut nautis par solvendo foret*, *ast ubi secum animo reputasset*, *hæc*, *à vano hominum timore profecta*, *suo rigidæ paupertatis*, *rebus in omnibus sequendæ*, *proposito multum adversari*, *quasi conscientiæ religione tactus*, *de abjicienda pecunia cogitavit*. *Et vero feciſſet*; *nisi salubriore consilio*, *in obvios potius pauperes æs illud distribuendum judicasset*. *Spe interea nixus certissima* : *futurum*, *ut* DEUS *Optimus Maximus expeditam sibi præbeat oportunitatem tum navigandi*, *cum Sanctorum locorum*, *sine viatici adjumento* (*ut postea factum est*) *aspectu perfruendi*. *Fugit*, *dum* Venetiis *moratus vetere instituto stipem cogebat*, *sub dio ferme in porticibus noctes exigebat*. *Et tametsi suos apud amicos commodius agere potuisset*; *ipse tamen Evangelicæ paupertatis studio miserorum consulto ergastula*, *aut hospitia deligebat*. *Fugit*, *dum* Lojolam, *in patriam*, *regressus*, *nulla contentione adduci potuit*, *ut in ædibus paternis apud Fratrem hospita-*

a) *Amplificatio per figuram repetitionis ux. modum octavum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

retur; sed in publico pauperum Xenodochio diversatus, victum ostiatim corrogabat. O insignem Ignatii paupertatem!

Exemplum ab Apostolis. Quam ille ea propter tam severe coluit, quoniam fixum ei erat, vitam agere Apostolicam, qua Divinam Numinis gloriam propagaret. Ad id porrò rite complendum, omnibus se rebus voluit exuere per paupertatem, ut eo promptius, ac liberius suo dein proposito vacaret. Repetite, oro, memoria Auditores, quos Christus, Sanctissimus Magister, delegerit Apostolos? An homines præpotentes? an divites? an honoribus conspicuos? Apostolorum est totum orbem peragrare, regni cœlestis opes ubique prædicare. Hoc vero ut fideliter agant Viri Apostolici, liberi, ac rebus omnibus expediti sint, oportet, qui moribus, vita, exemplo, opum terræ contemptum præferant, ne fortasse gentibus loculos potius, quam animas prædicare videantur. Non igitur Christus ad munus Apostolicum delegit divites, aut authoritate potentes; sed viles, ac miseros piscatores, qui vocantem, relictis statim retibus, secuti DEI gloriam toto late mundo liberrime annunciarunt. APODOSIS PANEGYRICA. Hoc ipsum providentissimus etiam cum Ignatio egit DEUS. Difficillimis Lutheri, Calvini, cæterorumque Sectariorum temporibus, cum magnis in Germania, Gallia, Anglia, Hungaria, Polonia, aliisque ad Septemtrionem Provinciis, Ecclesia motibus conturbaretur, ad majorem Nominis sui gloriam propagandam, novo pugilum subsidio mili-

militantem Ecclesiam roboravit. Huic Christus Imperator Ignatium, à muris Pampelonæ abstractum, ceu ducem exercitui, præfecit, ut Ecclesiæ mœnia, ab hostibus acerrimis ea tempestate impugnata, acriter tutaretur. Tutatus est; sed armis Divinæ prædicationis, & paupertatis, quibus ille communitus aciem eduxit in omnia vitiorum monstra, feliciter debellanda, promptam, & expeditam. Testes appello rei hujus celeberrimas Hispaniæ, Galliæ, Italiæ urbes, & Academias, in quibus ante conditam adhuc ab se Societatem ipsemet Ignatius in summa rerum egestate, victu semper corrogato, hospitio autem vel in porticibus, vel in ædibus extra urbem ruinosis, vel in publico pauperum Xenodochio plerumque collocato, Divini verbi sementem fructu inde spargebat prorsus copioso. A condita vero Societate sint testes orbis universi plagæ. Quæ, oro, est, in quam Ignatius vel sua, vel sociorum opera, DEI gloriam pari studio vel non intulisset, vel jam illatam magnis incrementis non provexisset?

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Complexio II. partis, continens simul anacæphaleosim totius Chriæ. Ab utinam Chari Auditores mihi liceret omnia rigidæ illius paupertatis specimina percensere! Videretis profecto Ignatium omni se omnino divitiarum gloria per Evangelicam paupertatem Divinæ gloriæ, ac perfectionis studio exuisse, Christi consilio: si vis perfectus esse vade, vende, quæ habes, & da pauperibus -- veni, & sequere me. Evangelica enim paupertas est ra-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

dix, & fundamentum omnis perfectionis, cujus moræ, ac obices sunt divitiæ, totidem veluti dæmonis laquei, quam longissime fugiendi, quibus mundo dediti mortales implicantur. Verum ex his semet explicuit Ignatius *Apostolorum exemplo, ut Divinam Numinis gloriam promptior propagaret.*

Digressio moralis (a). *Haud equidem* Auditores *author esse volo, ut hanc severam colendæ paupertatis rationem cum* Ignatio *ineatis. Illud tamen cum Davide Psalte* (b) *Regio non suadeo solum, sed oro, obsecro; imo jure meo præcipio*: Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere, divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Primum*: nolite sperare: *quasi divitiis, iniquitate partis, augeremini. Hæ sceleribus comparatæ opes non augent; sed minuunt: non prosunt; sed obsunt: quoniam ipsa etiam juste parta secum auferunt: non secus, ac in vomitu cibis cum malignis boni quoque egeruntur. Bene* Jobus (c): divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet illas DEUS. *Dein*: & rapinas nolite concupiscere: *sunt raptores apibus persimiles, quæ pedibus posterioribus, binis quasi furcimulis instructæ, florum thesauros rapiunt, in alvearia comportant, domos inde construunt. Sed O infelicem laborem! O inauspicatam rapinam! quemadmodum apibus usuvenit, ut paucum post tem-*

a) *Per sententiam sacram paraphrasi amplificatam juxta Tomulum prior. em pag. 700.* b) *Psalm. 61. v. 11.* c) *Jobi 20. v. 15.*

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tempus, potentiore manu, cera, mele, ac, ni fugiant, ipsa etiam vita spolientur; ita divitiæ è rapinis, & furtis male congestæ, pejus postea dilabuntur. Denique: si divitiæ affluant, nolite cor apponere, *id est: mentem, & animum rebus caducis ita affigere, ut à DEI amore avertatur; sed cum ipsa rerum affluentia aliquam, spiritus saltem, paupertatem conjungite, ut, è mente Apostoli*, mundo utentes, *sitis tanquam* non utentes; *omnia* possidentes, *sitis tanquam* nil habentes, *vere* spiritu, *id est: affectu* pauperes.

PARS III.

SANCTUS IGNATIUS EXUIT SE GLORIA HONORUM PER CONTEMPTUM.

Tertia divisionis pars probatur enthymemate, subdivisionem in antecedente complectente, cujus singula membra tractantur per locum Rhetoricum ab oppositis periodorum: conferendo *Ignatium* cum superbis, ac utrorumque differentiam exhibendo: S. *Ignatius* illatos contemptus ita patienter tulit; quam repugnanter superbi ferunt, si contemnantur: ea submissione honores fugit; qua ambitione superbi quærunt, ut honorentur: eo desiderio ab omnibus contemni optavit; quo studio superbi admodum cavent, ne vilipendantur. Ergo &c. (a).

a) *Hæc pars est morali permixta juxta modum hoc Tom. posteriore l. 2. Cap. 2. Art. IX. Num. 3. adserendum.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Antecedens. *Sed qui nobilitatis, & divitiarum gloriam ausu respuit tam generoso, an fortasse honores appetierit ambitiose? Est honor delicatum perquam rerum genus, viros præsertim apud militares, sic animo plerumque constitutos, ut vitam potius, quam honorem amissum velint; aut quod de apibus non nemo dixit: vitæ jacturam levem esse ducant; modo aculeum contemptoris visceribus alte defixum relinquant.* Ignatius *homo licet fuerit illustris, ac militaris, nec parvis in militia honoribus cumulatus, & adhuc amplioribus cumulandus; Divinæ tamen gloriæ studio, quemadmodum vitam in Palestina inter barbaros profundere (si tamen isto vita modo profundi potest) comparatus erat; ita postquam nobilitatis, & divitiarum gloria semet spoliasset, ne quid superaret, quo adhuc spoliatus non esset, omni se etiam honorum gloria cum militia voluit exuere per contemptum; quemadmodum superbi mortales se ornant per ambitionem, & fastum.* Ignatius *enim illatos sibi contemptus ea tulit animi patientia, qua superbi ferre solent repugnantia, si contemnantur. Illa submissione fugit honores, qua superbi ambitione quærunt, ut honorentur: eo denique desiderio optavit ab omnibus contemni; quo studio superbi cavent, ne à quoquam vilipendantur.*

I. Pars subdivisionis: S. Ignatius ita patienter tulit contemptus, quam repugnanter superbi ferunt, si contemnantur. *Componite, si placet, mores hominum superborum, cum moribus* Ignatii; *& videbitis quam se*

omni

omni honorum gloria exuerit per contemptum patienter toleratum. DEUM immortalem! Quam ægre, quam acerbe ferunt superbi mortales, si vel hospitio, pro sua dignitate non satis æquo accipiantur; quid si præterea ignominiose excludantur? Tum enimvero omnia murmuribus implent, hospitum inurbanitatem accusant, ne dicam: maledictis lacessiunt. Ignatius *tametsi hospitiis male fuerit acceptus, ædibus exclusus, urbium ingressu, homo ceu pestilens, prohibitus, adeo ut persæpe in porticibus excubare, in domibus ruinosis extra urbem hospitari, in agris sub dio pernoctare cogeretur; hæc tamen animo ita tulit patiente, ut superbi ferunt repugnante: Christi in mundum venientis exemplo semet solabatur, cui non erat locus in diversorio, ubi nasceretur: & quamvis in propria venerit, sui tamen eum non receperunt. Sed vah Civitates, & ædes! Ergo huic hospitium præbere detrectatis? qui in ædibus vestris morientium lectulis servi instar adsidebit, qui medici vice ægros feliciter consanabit; hunc, hunc admittere formidatis? Credite, tanta iste virtute pollebit, ut solæ ejus imagines, quemadmodum* Hispanum *testatur* Martyrologium, *futuræ sint panaceum quoddam ad mala quævis depellenda. Verum sint licet;* Ignatius *tamen excluditur; imo* Compluti, Salmanticæ, *nulla data criminis causa, carceri mancipatur. A militibus* Hispanis, *ceu explorator, interceptus, fædissimis contumeliis oneratur. A* Goveano, *Gymnasii præside, cum literis operam jam tricennis daret, ad virgas, ceu juventu-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

tis seductor, deposcitur. Quid hic ageretis O superbi mortales? Dispicite conscientias vestras! Nunquid grandi ista probro duceretis? At videte Ignatium: ille non opprobrio; sed honori: non ignominiæ; sed gloriæ: non calamitati; sed maximæ felicitati vertebat: quod dignus esset pro Sancto JESU nomine à militibus contumeliam pati, ab urbibus carcere concludi, à Goveano ad virgas condemnari. At saltem Roma, orbis Domina, religionis arx, & propugnaculum mitius fortasse accipiet Ignatium ad se venientem. Accipe, oro: hic enimvero vir ille est, per quem templorum nitor, Catechismi traditio, sacramentorum usus summum, ut Ecclesia testatur, accipient incrementum. Hic ille est, qui depositis erroribus præduros Turcas, contumaces Hebræos, superbos Hæreticos ad Ecclesiæ gremium traducet. Qui Diviniorem militiam excitabit, exercitum ducet, magnus belli potentissimos in hostes futurus Imperator. Hunc videbis religionem erectis scholis, missionibus institutis, partim erigentem, partim stabilientem, partim provehentem. Ibi domos Catechumenorum, hic Xenodochia orphanorum, illic contubernia juvenum, isthic claustra periclitantium Virginum, ibi sacra asyla mulierum, è cœno ereptarum, suscitantem, quas duplici, charitatis nimirum, & humilitatis, triumpho à lutulentis Babyloniæ campis ad signatum, obserratumque claustri hortum, ipsemet traducet. Huic, inquam, O Roma benigniorem te præbe. Præberet, si cum superbis mortalibus agendum

ei

ei foret, qui delicatis trossulis persimiles, nihil minus, quam calamitates, cruces, contemptus, calumnias ferre didicerunt. Non ita Ignatius, *cui ipse cœlestis Pater,* Romam *propius adventanti, cum filio, sed cruce onusto, semet dedit aspectandum. Eccur ita? An fortasse cruces, adversitates* Ignatium, *ejusque socios, in urbe erant mansuræ? Sic est: manserunt: nec parvæ equidem. Nam* Augustinus Pedemontanus, *pro concione* Lutherani *dogmatis venena clam populo infundere ab* Ignatio *compertus, publicis sociorum concionibus fuit confutatus. Amici* Hispani, *opibus, atque authoritate potentes, vicissim pro* Augustino *adversus* Ignatium, *ejusque socios accusationem adornant, ministro ad eam rem adhibito quodam* Michaële Hispano, *in quem* Lutetiæ Parisiorum *magna* Ignatii, *multaque merita extiterunt. Hic iniquissimis* Ignatium *calumniis convitiatur: illum in* Hispania Compluti, & Salmanticæ: *illum in* Gallia Parisiis: *illum in* Italia Venetiis, *in vincula fuisse conjectum, ac hæreseos damnatum: illum esse hominem omnino perditum, & facinorosum, qui Divina, humanaque jura pervertit: sacras illius exercitationes esse erroris, ac superstitionis pleniissimas: socios multis criminibus esse defædatos. Ita* Michaël, *à communi omnium salutis hoste actus, suis criminationibus ipsum Societatis jugulum petebat, ut maturum jam prope religionis nostræ partum, aut in utero præfocaret, aut infamia contaminaret. Sed spera bene O* Ignati! *En adest cœlestis Pater, qui te Christo Filio*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

commendat ; hic vero blando , placidoque vultu , ut est cruce onustus , spondet : ego vobis Romæ propitius ero. *Et re ipsa* Ignatium *ex hac tempestate* , Michaele *à judicibus in exilium acto , non sine ingenti ejus honore , & gloria Romæ liberavit.*

II. Pars subdivisionis : Sanctus Ignatius ea submissione honores fugit ; qua superbi ambitione quærunt , ut honorentur. *At cave O* Roma Ignatium *honoribus ornare ; si longiore ejus aspectu perfrui desideras : secus à te fugiet ; cum nihil perinde , atque honores , & laudes , ab aliis tributas , contra quam superbi soleant mortales , aversetur. Nunquid hi omni studio , & conatu in eo elaborant , ut doctrinæ , ac virtutis opinione aliquam nomini suo famam conciscant ?* Quid Ignatius ? *Hoc egit , ut delitesçat , nullam nominis celebritatem habeat , vel si aliquam invitus obtinuit , confestim semet illa exuat. Testatur id* Manresa , *cujus antro , latendi studio , se abdiderat , atque ubi vulgata vicinis locis vitæ asperitate , & sanctimonia , vulgi ore , hominumque concursu , celebrari cepisset ; mox* Manresa *fugit. Igneis nempe vaporibus persimilis , qui noctibus æstivis , ut in stellis errantibus repente accenduntur ; sic confestim , in ipso splendore extincti , oculis subducuntur. Superbi siquid laude , & gloria dignum agunt , vel fortasse egerunt , nunquid pleno statim ore partem in omnem jactant , ut rei bene gestæ fama ad omnium aures , notitiamque pertingat.* Quid Ignatius ? *Miro res suas silentio involvebat , conten-*

tentus, si præclara ejus acta uni tantum DEO, cujus gloriæ studuerat, nota sint, & comperta. Testantur id socii, qui Ignatium suis de rebus raro admodum, & magna nisi de causa, loquentem audierant, vel ad animos sociorum persanandos, vel à mœrore liberandos, vel adversum difficultates exemplo suo confirmandos, idque nascentis tantum Societatis initio, qua jam corroborata, mira taciturnitate, sua omnia contegebat. Imo ardentibus à DEO precibus obtinuit, ut animi sui arbiter prius è vita, quam ipse, decederet; ne quid vulgare posset, quod in suam gloriam verteretur. Non ita vos agitis, O superbi mortales! Prob DEUM! quanta ambitione noctes, dieque desudatis, ut in aliquem dignitatis gradum provehamini, ut splendidiore quopiam aulæ, militiæ, regni munere ornemini; atque ubi ornati fueritis, Superi! quam vos magnifice circumspicitis, cæteros aspernamini, ab aliis, ceu quidam Semidei, omni honoris cultu adorari desideratis. Quid Ignatius? Quamvis dignissimus foret; indignum se tamen arbitratus, omnem refugit dignitatem, respuit cultum, aversatus est honorem. Testantur id Venetiæ, ubi à Tarvisano, viro Patritio, ac nobili senatore, divinitus admonito, ne Ignatium in suæ domus porticu male sineret noctem exigere, liberaliter, non parvo cultu exceptus, consulto abscessit, ne in isto, quem expertus est, honore porro illic haberetur. Ast Ignatii humilitas in fugiendis honoribus tum maxime enituit, cum omnium consensione in Præpositum Societatis delectus est Gene-

ra-

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

ralem. Summam, ne fieret, industriam adhibuit: atque ubi factus erat, constanter egit, ut hoc se quamprimum honore abdicaret. Quod certe eo est admirabilius; quo Ignatius *gravius, asseverantiusque se huic muneri imparem ex animo judicabat; quamvis omnibus sane virtutibus fuerit cumulatus. Et quoniam tantopere honores, ac dignitates ipsemet refugerit, effecit, ut sua etiam Societas peculiari semet voti religione obstringeret ad nullas, sive ordinis sui, intra Societatem, sive extra illam Ecclesiæ dignitates ambiendas, aut, si ultro offerrentur, acceptandas; nisi Pontificis Optimi Maximi imperio stringeretur: Ut sic Societatem ab omni honorum gloria per ejus fugam removeret, cujus fugiendæ pulcherrima ipse antea præbuit monumenta.*

III. Pars subdivisionis: S. Ignatius eo desiderio optavit ab omnibus contemni; quo studio superbi cavent, ne vilipendantur. *Amplius dico:* Ignatius *sic ab omni honore abhorrebat, ut contemni magnopere exoptarit. O quantum cavent superbi mortales, ne ab ullo quoquam, verbo vel minimo, vilipendantur, secus Æthnam tangeret, flammas & ignes confestim eructantem. Haud ita* Ignatius, *qui ardenti prorsus desiderio omnium ludibrio esse cupiebat, & si animo indulgere suo valuisset, mudus, despectus, sordibus oppletus, vesani instar, vicos oberrasset; sed hunc eximium humilitatis amorem proximorum utilitas, & charitas temperabat, cui ut fructuosius deserviret, authoritatis habuit rationem. Auditus est etiam, contra quam*

su-

superbi sentiant mortales, qui splendida cineribus suis sepulchra erigunt, insculpta marmori elogia adornant, ut æterna posteritatis memoria valeant celebrari, illud dixisse: Hoc mihi à DEO expetendum est, ut meum mortui cadaver feris, ac volucribus laniandum abjiciatur: cum ego, *inquit*, sterquilinium, & detestabilis omnino sim; quid aliud criminibus meis dignius & petere possum, & promereri. *Tanto* Ignatius *sui contemptus studio tenebatur!*

EPILOGUS.

Continens motum cum repetitione, & digressione morali. *O insignem Viri humilitatem! Cernite jam* Auditores: *an non semet omni omnino gloria, quæ in eum è cunctis naturæ bonis refundi poterat, generose spoliarit? Spoliasti enimvero* Ignati, *contra, quam mundo dediti mortales agere consueverunt. Illi inanem nobilitatis suæ splendorem superbe jactant; tu vilissimæ mendicitatis ignobilitate contexisti. Illi fluxis mundi opibus arrogantius insolescunt; tu susceptа ultro rigidissima paupertate missas fecisti. Illi honoribus suis ingenti fastu intumescunt; tu velut pestem fugisti, ac contempsisti, ut vere cum Davide dicere queas:* Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. *Et quamvis hæc mundi gloria misera admodum sit, & vana; eam tamen superbi mortales adeo concupiscunt, ut ad usque cineres in ipsum sepulchrum illatam velint, ac tumulo inscribere:* gloriam meam in pulverem deducam. *Verum videte O infelices! ne misera ista hæc gloria,*

pul-

CAPUT II. ARTIC IV. §. 1.

pulveris instar, à vento agitati, dissipetur. Si sapitis, veram quærite gloriam *; sed quam (ut sapiens loquitur)* præcedit humilitas: *nam* humilem spiritu suscipiet gloria. *Spiritu, inquam, ut tametsi vana nobilitatis, divitiarum, honorum gloria quis exornetur; nunquam tamen eapropter evanescat; sed omnem, quæ inde redundare posset, gloriam, in DEUM, ceu bonorum fontem, conferat. Audite Jeremiam:* Hæc dicit Dominus: non glorietur sapiens in sapientia sua: non glorietur fortis in fortitudine sua: non glorietur dives in divitiis suis: *addo: non glorietur nobilis in nobilitate sua: non glorietur honoratus in honoribus suis;* sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego sum Dominus, *cui soli omnis laus, omnis honor, omnis debetur gloria. Amen.*

ARTICULUS IV.

DE PANEGYRI SACRA PER ADJUNCTA PERSONARUM.

§. I.

Præcepta hujus modi.

QUartus adornandæ *Panegyricæ* Confirmationis modus est: per oratoriam narrationem ab *adjunctis personarum*: cujusmodi sunt: *ortus, genus, conditio, patria, sexus, ætas, indoles animi, habitus corporis, vitæ disciplina, studium alicujus virtutis*, & *hujus adjuncta*, denique *obitus*, quæ Tomulo (a) pri-

a) *Tomul. I, l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1. Num. 3.*

priore uberius explicuimus. Habetur breve hujus specimen ibidem de S. *Aloysio*, quem ex his personæ adjunctis Angelum in carne fuisse probavimus. Hoc in modo, ut rite Tiro procedat, hæc sunt accurranda. CAPUT II. ARTIC. IV. §. 1.

I. Ut narratio ab his personarum adjunctis non sit historica, sed oratoria. Erit: si 1. figuris narrationum fuerit vestita; 2. si continens non fuerit; sed identidem interpolata, id est: aliquo exemplo sacro, vel profano: similitudine, vel dissimilitudine: aut scripturæ sententia, ejusve paraphrasi, & applicatione: vel aliqua veritate Ethica, aut Theologica, aut Philosophica, quibus dicta confirmentur, nosque amplificationem dicimus, intercisa, & amplificata.

II. A singulis adjunctis susceptum Orationis thema accurate probetur, vel saltem ea themati accomodentur, ne frustra, vel ad rem apte minus adferantur. Sic in memorato (*a*) ante exemplo S. *Aloysius* è quolibet adjuncto Angelus fuisse probatur. Non est autem necesse, ut omnia semper, eodemque ordine, recensentur: alia poterunt omitti, alia prius, alia posterius adduci, ut materiæ ratio exegerit, & ex paradigmate advertere licebit.

III. Denique curandum: ut ab uno ad aliud adjunctum eleganti, eaque naturali, transitione apte transeatur, quod maximam hoc in modo Tironibus pariet difficultatem.

§. II.

pag. 244. a) *Tom. I. l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 2. pag. 255.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

§. II.

Paradigma hujus modi.

PAradigma hujus modi damus in Panegyri de S. *Franciſco Aſſiſinate*, cujus prima pars per hunc adornandæ Confirmationis Panegyricæ proprium modum eſt conſtructa. Eſt ſpecimen Panegyris temperatioris, altera præſertim parte.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* Matth. 5. v. 3.

Thema Concionis: *S. Franciſcus Aſſiſinas vir vere beatus, tam in terris, quam in cœlis.*

Partitio (*a*) Thematis: 1. *Beatus in terris: cum vere ſpiritu pauper fuerit in terris.* 2. *Beatus in Cœlis: cum vere dives factus ſit in Cœlis.*

EXORDIUM.

Ingreſſus à contrario generatim. *Eſt hic pervagatus, & in animis hominum vaniſſimorum prorſus jam inveteratus, dicam verus error, quam ſenſus, ut hos ſolum in terris beatos eſſe putent, quos divitiis viderint affluentes; miſeros contra, & infelices, quotquot paupertate, ſeu virtutis ſtudio, ſeu iniquiore fortuna, preſſos conſpicantur. Quaſi vero omnis terrena beatitas*

a) *Hæc partitio characterem continet, eſt ſententiæ ſacræ, & dicto Eccleſiæ:* Franciſcus pauper, & humilis dives Cœlum ingreditur, *conformis, eſt ab antithetis.*

tas in fluxis rerum humanarum opibus foret collocata! Aliter Divina de hoc sentit sapientia Christus. Novit perbelle mundi hujus sapientiam meram apud DEUM esse stultitiam: novit divitias esse tantum miserias: paupertatem contra veram, germanamque novit esse hominis beatitatem; quapropter discipulis edixit: tum eos vere futuros esse beatos; cum fuerint pauperes: quoniam tunc regni cœlorum, in quo omnis posita est beatitas veri sient, imo sunt possessores. Beati *(inquit Christus)* pauperes spiritu: quoniam ipsorum est *(advertite!* est, *ait, non item* erit) regnum Cœlorum. *Ac si diceret* (a): *Chari discipuli! beati esse cupitis? Eritis enimvero; at prius non tam re, vel si re, etiam spiritu, sitis pauperes. Dixi*: spiritu pauperes: *sunt enim, qui in media rerum omnium egestate ardenti animo divitias concupiscunt: sunt, qui in divitiarum affluentia longe animo, & corde à divitiis absunt. Illi: re pauperes, sed affectu divites; hi: re divites, sed affectu pauperes. Ad Evangelicam beatitudinem, perfectius obtinendam; utrumque conjungendum est vobis: amplectenda paupertas, dum ea caretis; si porro in ea versamini, æqui bonique facienda. Ac tum vere divites efficiemini: quoniam regni cœlorum, quo nihil ditius, ac beatius dari potest, jure quopiam possessores evadetis.*

Descensus. *Incredibile dictu! quanto animi gaudio, & voluptate perfundor,* chari Audi-

a) *Amplificatio per paraphrasim juxta modum quartum.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

tores. *Videor enim apud eos, eoque in loco, ad dicendum assurrexisse, ubi quot religiosissimos viros, totidem jam beatos, imo beatissimos, quia regni cœlorum non tam cives, quam heros, videor mihi intueri. Estis equidem* Patres Religiosissimi *hic in terris, falsa hominum superborum opinione, parvi, & humiles; at DEI sapientissimi, proborumque judicio, vel idcirco, quia pauperes, vere estis magni, ac divites: nam paupertate vestra jam nunc regni cœlorum, peculiari quodam jure pauperibus debiti, redditi estis possessores. Idque falli ignara Christi promissione, & sanctissimo* Beatissimi *Patris vestri* Francisci *& exemplo, & instituto, de quo hodierna inter* Missarum *solennia vere canit Ecclesia:* Franciscus pauper, & humilis, dives cœlum ingreditur.

Propositio cum partitione. *Liceat igitur mihi,* Patres Religiosissimi, *hunc Divum familiæ vestræ parentem, quem orbis universus communi nomine, ab ardentissimo, quo Seraphin Spiritus æstuant, amore,* Seraphicum *compellat; prætermisso nunc* Seraphici *(quamvis pulcherrimo, cum ejus character sit, elogio) beatum solummodo ex eo, quia pauper est, tam in terris, quam in cœlis prædicare. Nam hic ipse* Seraphicus, *quo in DEUM flagrabat, amor non aliunde in* Francisco, *quam à spiritus paupertate, si non originem, saltem incrementum, velut ignis à flatu, videtur accepisse. Beatus est ergo* Assisinas Franciscus *tam in terris, quam in cœlis. In terris quoniam ob verum, quod toto vitæ suæ tempore professus est, paupertatis studium, vere spi-*

ritu

ritu pauper erat in terris. Beatus est in Cœlis: quoniam ob peculiarem, quæ pauperibus debetur, regni cœlorum possessionem vere dives factus est in cœlis. Verbo: Franciscus pauper in terris, *quod primum;* at dives in cœlis, *quod alterum erit Orationis caput: utrumque ingens profecto, & nobilissimum dictionis argumentum.*

Invocatio aperta. *At vereor, ne meâ, quæ in me tenuis admodum est, dicendi facundiâ parvum, ac humile evadat. Quapropter tu,* Beatissime Pater, *dicenti & lumen, & flumen de cœlo sufficies, ut pro tuis ingentibus meritis, ac meo candidissimo, quo in te colendum jam inde à puero singulari semper feror, affectu, dignis te laudibus valeam celebrare.*

PARS I.

SANCTUS FRANCISCUS ASSISINAS PAUPER IN TERRIS.

Prima divisionis pars probatur ab adjunctis personarum, nimirum: ab habitu corporis, ortu, generis conditione, educatione, animi natura, studio virtutis paupertatis, & ab illius adjunctis, denique obitu, oratorie allatis.

Sed prius, quam divitem contemplemur Franciscum *in cœlis, dispiciamus, qualem ille se præbuit in terris? Optarem,* chari Auditores, *ut suis ita coloribus depictum ob oculos vestros statuere possem* Franciscum; *quemadmodum is olim fuerat; cum inter nos vitam ageret in terris. Quem, oro, fuisse videretis? Ego quidem dum*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

præclara Francisci *acta*, *ac singula totius vitæ illius adjuncta*, *à primo statim exortu*, *ad usque obitum*, *penitius in memoriam revoco*; *nihil in eo perinde*, *ac paupertatem*, *invenio refulsisse*.

I. Habitus corporis. *Vel ipse viri aspectus*, *& corporis cultus quid in eo*, *quam hominem notat pauperem?* *Imo pauperrimum*, *aut si spiritus paupertas humana forma corporeis se videndam oculis* (*ut* Platonici *male de virtutibus commenti sunt* Philosophi) *præbere posset*; *ipsam in illo videretis paupertatem. Unde* (a) *enim horridus ille*, *ac macie propemodum enectus*, *in vultu oritur pallor?* *Quorsum promissa barba*, *attonsum caput*, *pedes nudi spectant?* *Quid tunica vilissima*, *eaque cucullata*, *prævalido funi corpori adstricta*, *significat?* *Quid sacco onusta mendiculi*, *stipem corrogantis*, *species notat?* *Tua certe hæc sunt*, *O Divina Spiritus paupertas*, *nobilissima indumenta*, *quibus abjecta omni hujus mundi pompa*, *spretis honoribus*, *contemptis divitiis*, *Christi pauperis amore*, *prudens semet*, *volensque induit* Franciscus. *Hæc illa est facies longe pulcherrima*, *in qua providentissimum Numen absolutissimum severioris statuit paupertatis exemplum*, *ut in eo*, *viva velut in imagine*, *ac typo*, *vere expressa*, *& quidem ad perfectam Christi imitationem*, *jam inde ab ipso vitæ illius exordio*, *paupertas reluceret*.

II. Ortus. *Quemadmodum Christus DEI Filius*, *cum dives esset*, *pro salute nostra factus egenus*

a) *Amplificatio per figuram Ethopœiæ juxta modum octavum.*

nus in ſtabulo naſci mundo voluit; ita Divina providentia volens in Franciſco *nitidiſſima, eaque apertiſſima, ſimilitudinis cum Salvatore exſtare lineamenta, fecit, ut prima naſcenti* Franciſco *incunabula in præſepi paupertas adornaret, ubi primam ille lucem, & cum luce ſtatim aſpiceret paupertatem. Mater, quæ illum utero gerebat, poſt acerbiſſimos dolores, non ante eniti poterat, quam diviniore afflata conſilio, ſemet ad ſtabulum deportari juſſiſſet, ut ubi æterni Patris Filium Divina edidit Mater; ibidem illa quoque* Franciſcum *eniteretur. Non ſine præſagio: futurum, ut infans hic, qui nunc exemplo Filii Hominis ſuum in ſtabulo naſciturus caput reclinat; poſt paullum ſummus Chriſti pauperis imitator evadat. Fuit igitur* (a) *paupertas* Franciſco *amicum veluti ſydus, quod ejus præfuit exortui. Fuit veluti ſignum de Chriſto recens nato quondam paſtoribus datum:* invenietis infantem pannis involutum, poſitum in præſepio, *ut inde, tanquam ex charactere, à nobis poſtea noſceretur. Fuit amata quædam nutrix, quæ infantem, adhuc ab utero matris rubentem, ſuas in ulnas prima exciperet, ut vere cum Davide dicere poſſet:* in te projectus ſum ex utero matris meæ, *è cujus poſtea uberibus rigidioris ſpiritum paupertatis, veluti cum lacte, hauriret.*

III. Generis conditio. *At tametſi vili ſtabulo in lucem editus ſit* Franciſcus; *ex ea tamen generis conditione, in qua ut plurimum divitiarum amor vehementior eſſe ſolet, quam in aliis.*

a) *Amplificatio à congerie ſimilium.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

Natus namque est Assisii *in* Umbria, *loco* Italiæ *non ignobili; sed quem postea sua paupertate, & vitæ sanctioris, quod illic orsus est, studio, sepulchrique gloria, multo fecit nobiliorem. Parentibus vitæ conditione non equidem illustribus; nec tamen obscuris; sed, quæ mercatorum sors esse solet, mediocribus, ad lucra, ad opes, ad divitias, ex mercatu colligendas, apprime intentis. Quod Divinam consulto feciſſe autumo providentiam, ut, quæ* Franciscum *in Evangelicæ spiritus paupertatis delegerat exemplum, non quadam iniquiore fortuna; sed spiritu, id est: propria voluntate, abdicatis ultro, solius Christi pauperrimi amore, rebus omnibus, è divite, vel saltem divitiis intenta vitæ conditione pauper factus esse videatur. Solet namque providentissimus DEUS eos, quos in grandius aliquod præcellentioris virtutis opus vocat, in eo vitæ, ac rerum statu, vel saltem in persimilibus occasionibus, collocare, ut ejus, ad quod vocantur, ultro exercendi operis habeant opportunitatem, vel exemplum. Quid agit cum Apostolis* (a)? *Hos hominum facturus piscatores, à piscatu, à mari, ad grande vocat Apostolatus officium, ut relictis corporeis retibus retia tractarent Diviniora, quibus homines, huic mundo, velut mari, mersos, inde extraherent, & in Ecclesiæ unitatem, velut pisces in navem, & arcam, congregarent. Hæc ipsa fuit admiranda, nec satis unquam adoranda DEI Optimi in te bonitas* Franciscе. *Volebat te præ-*

a) *Amplificatio ab exemplo cum prothasi, & apodosi.*

præpotens DEUS *hominum facere mercatorem, quorum salutem non ære, non auro, non argento, non pecuniis; sed vera spiritus paupertate mercareris; idcirco te in mercatu collocavit, ut à lucris ad lucra, à negotiis ad negotia, à divitiis ad verum perfectæ paupertatis cultum traduceret, qua hominum animas, pretioso Christi sanguine redemptas, solicitus postea* DEO *lucrareris.*

IV. Educatio. Erat *equidem* Franciscus (*Divo teste* Bonaventura) inter vanos hominum filios juvenili in ætate in vanis enutritus. *Quis enim à parente, rerum vanarum mercatui avarius fortasse, quam par sit, intento, aliam, ac vanam fluxis in rebus filiorum speret educationem? Quare post levem literarum cognitionem, in ipsa statim adolescentia, Patris exemplo, & voluntate ad tractanda quæstus, & mercatus negotia deputatur. Quid hoc in vitæ* (a) *statu* Franciscus? *An lucris inhiabat? ita est, inhiasset, si vestris, O avari mortales, perditis moribus præditus fuisset. An opibus, per fas, & nefas accumulandis, studebat? studuisset; nisi sanctiora à perversis hominum avarorum studiis eum studia aliorsum avocassent. Quid igitur? Jam tum prima spiritus paupertatis jaciebat fundamenta, in duobus posita, primum: ut* qui habent, sint tanquam non habentes, qui utuntur, sint tanquam non utentes. *Dein:* qui perfectus esse velit, vadat, vendat o-

a) *Amplificatio per figuram suspensionis cum subjectione.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

mnia, & det pauperibus. *Explevit utrumque* Franciscus. *Etsi inter avidos lucri mercatores lucra tractaverit; ea tamen animi integritate tractavit, ut merito Viro illi, apud Ecclesiasticum beato, accenseri queat*, qui sine macula inventus, post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris; *verum omnia, quæ habebat, superflua, imo ipsa etiam persæpe vitæ necessaria, in pauperes erogavit, ut eorum egestati subveniret, Christi consilio:* da pauperibus, *quorum ille, innata quadam animo, miseratione magnopere tangebatur.*

V. Animi natura. Inerat *enim* juvenis Francisci præcordiis *(ut divus scribit Bonaventura)* divinitus indita in pauperes miseratio, cum singulari mansuetudine, morum elegantia, rebus in adversis patientia, tractabilitate supra humanum modum, & munificentiæ in pauperes, ultra, quam vires ferre possint, largitate conjuncta. *Quæ insignes animi dotes fuere in eo quidam veluti gradus, per quos ad ipsum Evangelicæ Spiritus paupertatis apicem perveniret.*

VI. Vitæ disciplina. *Hanc porro indolem magnis, ab ipsa pene infantia, incrementis in se auctam, toto vitæ decursu, constanti morum disciplina, ad usque mortem ita retinuit, ut nihil quidquam pauperibus denegaret, quod ab se DEI amore peteretur, probe gnarus Christum dixisse: quod uni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis. Semel tamen in hac Domini via nutasse visus, credideriim, ut in ea magis confirmaretur, arboris instar,*

quæ

quæ majores tunc maxime radices figere solet, cum ventis agitatur. Accidit, ut mercandi curis abreptus pauperem, Christi amore, stipem flagitantem, præter morem, durius ab se vacuum dimiserit. Quid agit Franciscus? *Propositi recordatus, mox facti pœnitentia ducitur, ne in repulso paupere Christum ipsum repulisset; celeri hominem cursu consequitur, liberali stipe donat, Deoque adpromittit, nunquam, si modo facultas suppetat, se inposterum Christi nomine petentibus quidquam negaturum. Quod etiam constanti pietate fidelissime complevit. Utinam* chari Auditores, *utinam liceret aspectandum vobis exhibere* Franciscum! *Quot in eo, quantaque editæ in egenos miserationis argumenta videretis. Videretis* (a) *suis se vestibus, recens ad decorem apparatis, exuentem, ut obvii militis, male amicti, nuditatem operiret. Videretis ad Apostolorum limina, quorsum ingens ad fores Ecclesiæ pauperum turma confluxerat, cum uno, cæteris egentiore, vestes commutantem, atque in medio mendicorum agmine, insolita animi lætitia diem illum exigentem, ut Evangelicam spiritus paupertatem, quam animo ferebat, etiam corpore circumferret. Videretis leprosorum domos, munifica pietate, adeuntem, ut quorum ante consortia, imo remotiorem fugiebat aspectum, jam Christi, in cruce velut leprosi, amore, ipsos miserorum lavaret pedes, ligaret ulcera, saniem extergeret, denique piissimis fœdissimas plagas osculis complecteretur. Videretis ob hanc in egenos miram animi miserationem ab*

a) *Amplificatio per figuram repetitionis.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

ipso (quod miremini) Patre plagis affici, in vincula conjici, denique tanquam familiæ, & domus excidium, ad ipsum loci Antistitem trahi, ut pro solenni eorum temporum more paternis facultatibus renunciaret. Fecitne Franciscus? *Vos, crediderim, hoc rerum statu positi avaro item Patri intentassetis, altius ad tribunal provocassetis. At* Franciscus, *salubriore consilio ductus, fecit, & quidem ea magnanimitate fecit, ut sordido Patri ipsa (quod stupete!) quibus tum induebatur, reddiderit vestimenta.* Hactenus *(inquit)* vocavi te patrem in terris, at modo securus dicere possum: Pater noster, qui es in cœlis, apud quem omnem thesaurum reposui, & spei meæ fiduciam collocavi.

VII. Studium paupertatis erecto novo religiosi instituti genere. *Nec defuit* Francisco, *terrestri jam patre (si tamen is dici Pater promeretur) destituto, cœlestis, qui eum singulari favore filium adoptavit, Pater. Qui alienæ pauperum miseriæ noverat misereri; ipse quoque paupertatis miserias expertus, mirum, & inter homines ad illud usque tempus nec visum, nec auditum, colendæ rigidissimæ paupertatis, novo instituti genere factus est exemplum. Quod qua actum sit ratione, ut compertius habeatis, juvat rem altius ab ovo in memoriam revocare. Nocte* (a), *diem illum, quo pauperis, ut dixi, militis nuditatem, detractis de se vestibus, operuerat, statim insequente, videt in somnis, specie divinitus objecta, palatium grande, ac splendidum,*

a) *Amplificatio per Oratoriam narrationem.*

dum, armis militaribus, ſed Chriſti Cruce inſignitis, apprime inſtructum. Miratus quid iſta vellent? audit: hæc omnia tuo, tuorumque militum uſui ſunt apparata. *Divinorum rudis myſteriorum de proſperiore quapiam militiæ fortuna, ſibi propediem obventura, viſum interpretatus, diſceſſit in Apuliam, ſpe honoris (quod per ſomnium credebat) in militia obtinendi. Verum,* (a) *quo properas O* Franciſce? *Vult te bonus militem facere DEUS; ſed militem, quem tu operuiſti, pauperem, Chriſti cruce ornatum, ut ſua in aula, ſuo in palatio, id eſt: in Eccleſia, ſanctioris militiæ armis, adverſum DEI hoſtes, fortiter dimicares. Vult viſionem diviniore quopiam modo in te complere. Vult miſericordiam, militi pauperi exhibitam, novo Chriſti militiæ, à te erigendæ, inſtituto compenſare, cujus inſignia ſint crux; fundamentum autem ſit paupertas rigidiſſima, Chriſti conſilio, velut petræ, innixa:* Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus - - veni, & ſequere me. *Quare* Franciſce *ad formam Apoſtolis, in orbem univerſum mittendis, præſtitutam,* ſolve pedum calceamenta, baculum, ac peram abjice, rejice corigiam, una contentus tunica, pecuniam omnem execrare. *Hoc à te depoſcit DEUS. Erant equidem principio, qui ſacrum hoc inſtitutum, velut inſolens, & novum, ac humanis impar viribus, rejiciendum exiſtimabant. Ipſe Chriſti Vicarius,* Innocentius

hoc

a) *Amplificatio per figuram apoſtrophes juxta modum nonum.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

hoc nomine tertius, *Divini tum adhuc consilii expers*, Franciscum *repulit ad se accedentem. At postquam cœlitus edoctus vidisset ab repulso homine collabentem* Laterani *basilicam humeris sustentari; protinus tota conquisitum urbe accersiri jubet, vivendique legem, mundo tametsi difficilem; sancto tamen Evangelio apprime conformem, sua roborat authoritate.*

VIII. Adjuncta virtutis paupertatis (a). *Quis jam dicendo satis exprimat*, chari Auditores, *quanto* Franciscus Assisinas *hoc sanctum recens erecti ab se ordinis fundamentum studio fuerit prosecutus? Credite: omnes ille corporis sensus, omnes animi sui potentias, ad eam, quam poterat maxime, colendam conferebat, ut nil in eo, quantus quantus est, reperiretur, quod paupertatis cultui non esset consecratum. Summo de illa* (Intellectus) *mentis judicio præditus erat. Nam à sociis rogatus: quæ maxime virtus hominem Christo faceret amiciorem? Quid sensisse putatis?* Noveritis, *inquit*, fratres, paupertatem specialem esse salutis viam: hæc est humilitatis fomentum, hæc radix perfectionis, cujus fructus est multiplex; sed occultus: hæc Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, & si vendi nequeant, ejus comparatione sunt aspernanda. *Et quoniam tali de paupertate mentis judicio præditus erat; nil mirum, pari in eam voluntatis* (voluntas) *studio*

a) *Secundum internos, & externos sensus expensa, juxta modum amplificandi VII.*

dio flagrasse. Nemo certe (ait Bonaventura) *tam est cupidus auri, quam ille fuerit paupertatis. Nemo ita divitias, ut ille amarat paupertatem. Nemo thesauri tam est solicitus custodiendi, quam ille hujus Evangelicæ fuerit Margaritæ. Pecuniam (*Manus) *velut pestem, ac colubrum, ne manu quidem contingebat. Ut porro (*Memoria) *majorem in se paupertatis amorem accenderet, creberrime Christi JESU, ejusque Sanctissimæ Matris egestatem, non sine lachrymis, in memoriam revocabat. Hac se consolari, hac erigere solebat. Imo (*Lingua) *ut tenerrimum sui in eam amoris sensum proderet, usus est in ea vocanda ejusmodi vocibus, quibus alii mundi sectatores vani amoris objecta vocare consueverunt: nunc* sociam, *nunc* sponsam, *modo* Dominam, *jam* Reginam *compellabat. Et vero, si iter ei ineundum erat (*Pedes) *hanc viæ comitem, hanc ducem deligebat, quæ itineris, nudis plerumque pedibus peragrati, impendia eleemosynis ostiatim libentius conquisitis, quam ultro oblatis, allevabat. Si mensæ accumbendum (*Gustus) *hæc promaconda erat, quæ cibos semper vilissimos, cinere potissimum conspersos, ut omnem condimenti saporem adimerent, ministrabat. Si quieti concedendum (*Tactus) *hæc thori socia lectum in nuda humo, supposito capiti lapide, aut ligno, sternebat. Si vestis corpori apparanda; hæc illa munifica fuit hera, quæ vilem ei cum funiculo, ac fœmoralibus, tunicam consuebat, ut adversus ipsam frigoris inclementiam non aliter, quam spiritus paupertatis fervore, semet tutaretur.*

Obi-

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

IX. Obitus. *Ad extrema tandem deductus: quam tantopere in vita diligebat; nec mortem in alterius quam amatæ paupertatis sinu, & amplexu oppetere volebat. Die obitus propius appetente, ad ædem S.* Mariæ de Portiuncula, *locum sibi vel eapropter chariſſimum, quia primis illic jactis religioſæ paupertatis fundamentis inſignem, ſemet, quamvis corpore languidus; ſpiritu tamen vegetus, deportari curavit, ut ubi primum hauſerat gratiæ ſpiritum; ibi vitæ redderet ultimum. Et quoniam de Matris utero nudus exierat; non aliter terræ, matri primæ, quam nudus reddi voluit. Quare nuda ſuper humo nudum ſemet ſpiritus fervore abjecit:* ego *(inquit)* quod meum eſt feci, *id eſt: paupertatis officium ad ultimam uſque nuditatem explevi, rebus memet omnibus exui,* quod reliquum eſt, Chriſtus edoceat. *Edocuit etiam. Nam ſociorum unus aliquis, quem Præpoſiti authoritate ſibi præfectum agnoſcebat* Franciſcus, *Diviniore actus conſilio, acceptam cum fune, ac fœmoralibus tunicam jubet reſumere:* Hæc tibi, *ait,* velut pauperi, tribuo commodata; tu ſanctæ imperio obedientiæ ſuſcipias, oportet. *Confeſtim ſumma animi lætitia perfuſus, manibus in cœlum ſublatis, DEO Præpotenti gratias agit: quoniam fidem, ſanctæ paupertati obſtrictam, ad uſque finem fideliter retinuiſſet, tunicam induit, quam ſolius amore paupertatis exuerat, ut ne veſtem equidem, qua extremam nuditatem operiret, aliam, quam commodatam haberet, atque ita Chriſto, in crucem acto, ſimilior evaderet,*

ut

ut quemadmodum ille nudus in cruce mortem oppetiit; ita Franciscus *nudus è mundo egrederetur.*

Complexio 1. partis. *Liceat jam nunc* Auditores *cum Divo exclamare* Bonaventura: O Virum vere Christianissimum! qui & vivens Christo viventi, & moriens morienti perfecta, *paupertatis nimirum*, imitatione studuit conformari, & re ipsa expressa promeruit similitudine decorari. *Et hunc* Auditores *virum in terra fuisse beatum negabimus? Imo vero beatissimus es O* Francisce, *qui te tam rigidum colendæ paupertatis hic in terris exemplum præbuisti. Si enim* beatum *compellat Sapiens Virum illum*, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris; *quid erit* Franciscus? *qui omne, quod habuit, aurum in pauperes distribuit, pecunias à* Soldano, Babyloniæ Principe, *quem martyrii subeundi causa convenerat, oblatas respuit, & abjecit. Si Christi testimonio* beati *sunt* pauperes spiritu: *quid de* Francisco *dicemus? qui non* spiritu *tantum; sed re simul, abdicatis, DEI amore, rebus omnibus, se pauperem fecit in terris.* Ipsius *enimvero* est Regnum Cœlorum!

Digressio moralis. *Quid jam vos mundo dediti mortales, qui divitias avare concupiscitis, qui post aurum per fas, nefasque accumulandum abitis, qui fluxis mundi opibus animum vestrum affigitis, qui pauperes deglubitis, illicitas usuras exercetis, lucra fraudulenta colligitis, sententias inique fertis, stipendia, mercedem detrahitis, nomina expungere negligitis? Quid inquam, vos ava-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

avari mortales? *An ex vero cum* Franciſco *ſperare poſſitis*: Veſtrum eſt regnum cœlorum? *Ah utinam poſſetis! Verum pridem jam in vos latam eſſe ſcio Chriſti ſententiam*: Dives difficile intrabit regnum cœlorum. *Difficile, inquam: ſunt enim divitiæ quædam veluti pondera, quæ animas veſtras in gehennam trahunt: ſunt totidem onera, quæ à cœlo in terram gravant: ſunt obices, qui ſalutis viam præpediunt. Quare, ſi ſapitis, ſi beati cum* Franciſco *eſſe cupitis; pondera deponite, onera dejicite, obſtacula removete, eſſote pauperes: ſi non re, ac cenſu; ſaltem ſpiritu, & affectu; ac tum ſpem habere poteritis*: veſtrum eſt regnum Cœlorum.

PARS II.

SANCTUS FRANCISCUS ASSISINAS DIVES IN COELIS.

Altera diviſionis pars probatur ſyllogiſmo quadripartito, ſubdiviſionem ſtatim in majori continente: Is dives eſt in Cœlis, qui ex Chriſti promiſſione ob relicta terræ bona centuplum accipit de cœlo in vita, & theſaurum, ac regnum obtinet in cœlo poſt vitam. Cujus ratio eſt à ſimili: dives meſſis eſt, quæ pro uno in terram jacto ſeminis grano centum recipit. Sed *Franciſcus Aſſiſinas* hæc obtinuit. Ergo eſt dives in Cœlis.

Major. *Habet hoc Evangelicæ virtus paupertatis præ cæteris virtutibus mirum, ac ſingulare, ut ejus cultores, etſi divitias aſpernentur; tum maxime tamen locupletes fiant. Quod Divi-*

na

na Christi Servatoris obtinent promissione, qui sectatoribus suis in Evangelicæ præmium paupertatis, cum omnia Christi amore reliquerint, res omnes fœnore centeno se redditurum in vita promisit de cœlis; à vita vero thesaurum, & regnum se largiturum spopondit in cœlis. Quo quis ditior quis locupletior esse potest?

Ratio majoris. *Divitem profecto messem se retulisse gaudet agricola, si pro uno, in terram jacto, seminis grano centum recipiat. Hoc ipsum, imo amplius, Divina, quæ se vinci non patitur, cum Christi pauperibus agit Providentia. Bonum unum dimittunt; at* centuplum; *quid dico* centuplum? *imo infinitum, ac æternum recipiunt.* Centuplum *de cœlo in vita; æternum in cœlo post vitam.* Omnis *(ait Christus)* qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum *(advertite! centuplum)* accipiet, & vitam æternam possidebit.

I. Pars subdivisionis: S. Franciscus Assisinas centuplum recepit de cœlo in vita. *Vultisne*, chari Auditores, *videre, quo* centuplum *istud modo* Francisco *in vita de cœlo reddiderit Christus? Ite (a), & singula, ab eo relicta, mundi bona dispicite, & videbitis usque adeo esse compensata, ut* Franciscus *res suas non reliquisse, sed Christo quasi in fœnus elo-*

 casse

a) *Hujus partis probatio, simul & amplificatio fit per locum enumerationis partium, cum figura repetitionis conjunctum.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

cassè videatur. Reliquit Franciscus *terrestrem in vita Patrem. Nam ob exercitam sæpius in pauperes commiserationem, indignatus (ut dixi) avarior* Franciſci *Pater, primum cepit eum verbis asperioribus male accipere; dein verberibus crudius afficere; post in vincula conjicere; demum traxit ad tribunal Antistitis, ut illic omnibus (quemadmodum jam ante memoravi) patriis semet juribus abdicaret. Quod etiam ultro* Franciſcus *tam prompte fecit, ut ipsis semet vestibus exuerit, ne quid patrium omnino haberet, quo se non exuisset. Verum terrestris vice patris meliorem, ac centum, quin infinitis aliis multo superiorem, in cœlo* Franciſcus *invenit Patrem, in quem postea, ut* David *loquitur, omnem suam* jactavit curam; & ipse, *submissis hominem per ignotum panibus, in valle* Spoletana, *ac in monte* Alverni, *non secus ac* Eliam *in deserto, vel* Paulum *in eremo,* enutriit *eum. Excitavit præterea Cœlestis hic Pater, dimissi in locum patris, centum alios in terris* Franciſco *patres, qui paterna in eum, ceu filium, charitate acti, numerosa quamvis prole jam auctum, collatis large eleemosynis, mirum sustinuere, ac etiamnum sustentant. Reliquit* Franciſcus *terrestrem in mundo Matrem. Hæc benigniore quidem, qui matribus plerumque inesse solet, animo, quam avarus pater, eum fuerat prosecuta: nam e vinculis, quibus à patre adstrictus erat, materna pietate clam exsolvit. Verum & istam, piam tametsi, Christi amore, dimisit matrem, ut aliam, multo benigniorem, in cœlo inveniret Matrem,*

trem, Sanctissimam nimirum DEI Parentem, quæ in ædibus Portiunculæ, virgineo suo honori consecratis, Materna eum, ceu filium, pietate fovebat, crebrius invisebat, suis illum aspectibus recreabat, Angelorum concentibus honorabat. Aliarum insuper sexcentarum pia corda matrum commovit, quæ Franciscum, ejusque postea socios, materna prorsus cura, solicitudine, amore complectebantur, ac etiamnum complectuntur. Reliquit terrestres sanguinis sui fratres; at bonum DEUM! quam grandem, ac pæne innumerum, suorum in spiritu fratrum invenit numerum. Certe in primo, qui, se adhucdum vivente, celebratus erat, ordinis conventu, quinque jam sociorum, ceu totidem fratrum, millia censebantur, qui subinde in alia, multis centenis plura, orbe toto jam dispersa, novorum fratrum millia fuere propagata. Reliquit Franciscus terrestres in mundo sorores; at, Superi boni! quam pias, quam sui amantes, Deoque addictas Sancta Virgo, Clara Soror, ei congregavit sorores, quæ pulcherrimum Francisci pauperis exemplum, & institutum secutæ, abdicatis rebus omnibus, Cœlesti Sponso per paupertatem semet devovere. Reliquit Franciscus terrestres, quos honesto è conjugio sperare poterat, filios; at ecce! quid video? quantus semet aspectandus filiorum offert exercitus, quos Franciscus per tertium pœnitentium ordinem in lucem edidit; alios vero, gentiles nimirum, & infideles, verbo, & exemplo, dimissis in mundum universum sociis, Christo genuit per Evangelium. Reliquit Franciscus ter-

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

restres, quos habuit, vel etiam habere poterat, agros, domos. At ego neminem perinde locupletem scio, qui tot, ac Franciscus possideret domos, possideret agros. Quid enim sunt tot centena Christiani populi largitate excitata in orbe claustra, quam totidem Franciscí domicilia? Quid fidelium agri, vineæ, horti, prata, horrea, scrinia; ac quædam Franciscí æraria, è quibus piorum liberalitate tot illæ domus multo sustinentur felicius, quam si proprias haberent domos, vel agros possiderent. Reliquit Franciscus cum mundi opibus terrestres etiam honores; sed hi vel fugientem sunt consecuti. Nam Pontifex Maximus, Innocentius III, qui fortasse Franciscum ante, quam pauper fieret, nec aspectu dignaturus erat, jam in paupertate, ruentis velut Ecclesiæ columnam, est veneratus. Hunc Viri Principes, hunc Purpurati Ecclesiæ Patres, hominem tametsi miserum, & egenum; sua tamen aula, suo palatio, sua mensa exceptum, Virum velut illustrem, honoribus affecere. Soldanus, Babyloniæ Princeps, quamvis ethnicus, ex ipsa tamen paupertate, Divinum quiddam ei inesse arbitratus, magna eum veneratione est complexus. Nicolaus autem Summus Pontifex, Sancti pedibus à morte affusus, sacra pedum illius stigmata pio osculo ingenti cultu est prosecutus. Complexio. Bene dixisti Bernarde: titulus paupertatis nobiliores nos efficit; quam omnes faciant Regum thesauri! Hæc enim est in Christi pauperes Dei benignitas, cum amore Dei omnia relinquant, rerum omnium relictarum

cen-

centuplum de Cælo in vita recipiant, ac præterea post vitam thesaurum, & regnum in cælo consequantur. CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

II. Pars subdivisionis: S. Franciscus Assisinas thesaurum, & regnum obtinuit in Cœlo post vitam. *Verum est: æternam in Cælo vitam unumquemque obtinere posse, qui Divina expleverit mandata, ut percunctanti Christus dixerat adolescenti:* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; *at plenius, ac glorioſius obtinebunt, qui præceptis addiderint consilia, servandæ præsertim paupertatis. His enim Christus vitam æternam non utcunque, sed thesauri, sed regni instar promisit conferendam. Sunt igitur Christi pauperes in cælo, totidem veluti Cæsi, ac Reges; imo quanto Reges terrenis opibus, & gloria in terra præcellunt pauperes; tanto pauperes cœlestibus opibus præcellunt Reges:* Ipsorum est regnum Cœlorum. *O si mihi liceret,* chari Auditores, *beatam* Franciſci *animam, è terris in Cœlum progredientem aspectare, quantis cœlestis gloriæ divitiis viderem locupletatam! Viderem profecto, quemadmodum unus discipulorum viderat aliquis, præfulgidæ in modum stellæ, candidissima subvectam nube, super aquas multas (ut Divus perhibet* Bonaventura) *tanquam sublimioris sanctitatis candore fulgentem, recto tramite in cœlum ferri. O si* Franciscus *semet conspiciendum præberet, ut ipsa mortis nocte se præbuerat Antistiti Assisinati:* Ecce *(ait)* relinquo mundum, & vado in cœlum; *viderem profecto, ut sui illum vide-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

rant socii in curru igneo, mirandi splendoris, in modum globi, solis instar lucidissimi, resplendentem. O si fas esset discedentem è vita in cœlum usque comitari, quemadmodum in Terra Laboris *Minister* Augustinus, *Vir eximia sanctitate præditus, eum fuerat comitatus; cum in ultima mortis lucta, amisso diu linguæ usu, repente exclamavit:* expecta Pater, expecta, ecce venio! *Quærentibus, & admirantibus, quid hoc esset? Sociis, reposuit:* an non videtis Patrem Franciscum in cœlum ire? *Ac, ut dixit, emisso confestim extremo spiritu, eum consecutus erat. Si, inquam, perinde mihi* Franciscum *consequi liceret; viderem sextum veluti* Angelum Apocalypticum, *ab Joanne descriptum, signacula DEI vivi habentem, inter multas corruentium Angelorum sedes, unam cæteris præcellentiorem (quam Luciferi, Angelorum Principis, quidam fuisse pie autumant) sedem, & thronum, pretiosis ornatum lapidibus, & omni gloria refulgentem, occupare, ut qui sua paupertate in terris humillimus erat, obtento Angeli, suis divitiis superbi, loco, Regii instar Principis, in solio resplenderet.*

EPILOGUS.

Cum enumeratione, motu, & morali digressione. *Consistamus jam hic parumper,* Auditores, & Franciscum, *in tam sublimi gloria positum, contemplemur.* Franciscus *ante pauper erat in terris; sed, videte, quam locuples factus sit in Cœlis?* Franciscus *ante*

hu-

humilitatis amore, ultimo, imo nullo apud homines honoris loco esse voluit; at, conspicite, in quam excelsum gloriæ cœlestis gradum sit evectus, ut ipsis Angelorum agminibus meruerit accenseri? Hoc nempe est paupertatis præmium: ut quo illa minori apud homines pretio habetur; eo altiori apud DEUM dignitatis gradu collocetur. Frustra ergo, frustra avari divites, Evangelicam spernitis paupertatem: frustra in fluxis mundi opibus constituitis beatitatem. Aliud longe sanctissimum Francisci *exemplum probat. Spiritus nempe paupertatem veram illam esse beatitatem, quæ sui cultores, in ipsa rerum egestate, summe efficit beatos, ac locupletes. Hæc enim est Divinum illud fœnus, quod Christi promissione, in* Francisco *impleta*, centuplum *reddit de cœlo in vita; thesaurum vero, & regnum in cœlo præbet post vitam. Fruere ergo cœlestibus his divitiis, ac thesauris, O beate* Francisce! *quos in tua paupertate ære, sed abjecto: argento, sed contempto: opibus sed relictis, ac in pauperes erogatis, comparasti. At una effunde aliquam, in nos etiam, clientes tuos, horum munerum partem, ut si tam arctam nolimus amplecti, quemadmodum tu amplexus es, paupertatem; tuo saltem exemplo discamus perituris mundi rebus animum non affigere, sobrie uti, omnium potius jacturam subire, quam ullius injuria, ac Numinis offensa quidquam possidere. Vos vero,* Religiosissimi Patres, *qui pulcherrimo Sanctissimi Conditoris vestri & exemplo, & instituto, hanc Evangelicam profitemini pauper-*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

tatem, agite: ut quemadmodum hactenus, ita porro, tanquam summum ordinis vestri thesaurum, ac fundamentum omni cura custodiatis. Hæc est, cui tota ædificii vestri moles incumbit. Hæc, cujus firmitate firmatur, eversione evertitur. Hæc, quæ vos tametsi nil habentes, mundi tamen Dominos, imo ipsius Cœli efficit possessores: quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. *Amen.*

ARTICULUS V.

DE PANEGYRI SACRA PER ADJUNCTA ACTIONUM.

§. I.

Præcepta hujus modi.

ADjuncta actionum vulgari illo versiculo comprehenduntur: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, quæ Tomulo (*a*) priore sunt a nobis explicata. Ab his etiam Panegyrica Confirmatio institui potest, iisdem ferme, quas ante retuli, legibus observatis.

I. Non omnia, nec eodem semper ordine, sunt adferenda: imo his alia poterunt suffici, verbi causa: quis, à quo, per quem, quousque, &c. E singulis autem rite thema probetur, vel certe singula themati applicentur, ut videre est in paradigmate. Hoc modo adornatam de S. *Joanne Evangelista* habes panegyrim *Paulus Segneri*, quem pri-

a) *Tom. I. l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1. Num 5. pag. 250.*

prima divisionis parte probat fuisse virginem, cæteris præcellentiorem, à tribus adjunctis. 1. Ab adjuncto temporis *quando*: quoniam coluit virginitatem à prima ætate, eo tempore, quo Virginitas apud Hebræos fuit inaudita; imo probrosa. 2. Ab adjuncto *quis*: quoniam coluit virginitatem indole vividus, genio fervidus, vultu amabilis, prosapia nobilis, &c. 3. Ab adjuncto *quibus auxiliis*, nimirum ope, & cum consortio Virginis Beatæ: cui *Joannem*, & quam *Joanni* Christus commendavit, & cujus vel ipse aspectus summum castitatis amorem inspiravit.

II. Hic modus tum maxime usurpatur, cum aliqua Sancti actio, aut virtus peculiaris, laudanda sumitur. Cujusmodi est Virginitas in Sancto *Joanne Evangelista*, charitas in pauperes in Sancto *Joanne Francisco Regis*, innocentia, aut rigor pœnitentiæ in Sancto *Aloysio*. Reliqua huc attinentia recole ex modo priori.

§. II.

Paradigma hujus modi.

IDeam hujus modi proponimus in Panegyri Sacra de Sancto *Joanne Francisco Regis*, Societatis nostræ Presbytero, ac celebri in *Gallia Missionario*, cujus prima divisionis pars per hunc modum est adornata, materiâ potissimum ex Panegyrico *Cæsaris Calini* depromptâ. Est specimen panegyris puræ.

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Evangelizare pauperibus misit me.* Lucæ 4. v. 18.

Thema Orationis: *Sanctus Joannes Franciscus Regis pauperum Apostolus.*

Partitio (*a*) Thematis: 1. *Pauperum Apostolus extra urbes mirabili charitate.* 2. *Pauperum Apostolus intra urbes invicta patientia.*

EXORDIUM.

Ingressus a genere. *Providentissimus DEUS, cum grande* Apostolatus *officium suos inter servos dispertiretur, plures, variasque Apostolorum constituit classes. Alios, ceu universales, in mundum misit universum:* Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ (*b*). *Alios tanquam* singulares, *ad erudiendam unam aliquam singularem dimisit nationem:* vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos (*c*). *Sunt, quos ad unam tantummodo destinavit Civitatem:* Qui evangelizas Sion - - qui evangelizas Jerusalem (*d*).

Descensus. *Quid de* Joanne Francisco, *qui hodiernæ argumentum est celebritatis, dicemus? Hunc etiam Divina Sapientia delegit in Apostolum; sed pauperum, quibus ille* mirabili charitate, & invicta *prorsus* patientia, *ut canit Ecclesia, Evangelium annuntiavit.* Apo-

a) *Hæc partitio continet characterem depromptum ex oratione Ecclesiæ.* b) *Marci 16. v. 15.* c) *Ezech. 3. v. 4.* d) *Isaiæ 40. v. 9.*

postolatus *porro iste, quam grande apud DEUM, ac illustre habeat pretium, vel inde cognoscite: quoniam Divinissimus Servator Christus, suum hoc esse dixerit officium:* Evangelizare pauperibus misit me (a). *Quod tanti postea fecit: ut cum missi ab Joanne ad eum legati interrogarent:* Tu es, qui venturus es, an alium expectamus (b)? *Id est: an desideratus de cœlo Messias foret? Ad cæteros, unde dignosci queat, characteres ultimo addidit loco: pauperum* Apostolatum, *tanquam præcipuum Messiæ jam advenientis signum:* Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelizantur (c).

Propositio cum partitione. *Hic idem* Joannis *etiam* Francisci *laudum est character, hodierna panegyrica dictione pertractandus. Duplices autem invenio pauperum classes, quorum saluti semet addixit Apostolus noster. Video eum nunc in urbibus miserorum tuguria ingredientem: jam extra urbes, montes, & valles emetientem: utrobique Evangelium pauperibus explicantem: ibi invicta patientia; isthic mirabili charitate Apostolicos pro salute pauperum labores perferentem. Duplicem igitur laudationi meæ scopum præstituo. Primum: proponam* Joannem Franciscum pauperum Apostolum extra urbes, *quo* mirabilem *ejus prædicabo* charitatem: *Postea:*

a) *Lucæ 4. v. 18.* b) *Matth. 11. v. 3.* c) *Matth. 11. v. 4. & 5.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

ſtea: *proponam* pauperum Apoſtolum in urbibus, *quod* invictæ *illius* patientiæ *erit argumentum. Ordiamur.*

PARS I.

SANCTUS JOANNES FRANCISCUS REGIS PAUPERUM APOSTOLUS EXTRA URBES MIRABILI CHARITATE.

Prima diviſionis pars probatur per modum adornandæ Confirmationis Panegyricæ, ab adjunctis actionum: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, repetitum, è quibus ſingulis *Joannis Franciſci* mirabilis charitas vel infertur, vel ſingula charitati applicantur.

Ac ut Apoſtolicam Joannis Franciſci, *quam illa in pauperes mirabilis fuerit*, *charitatem penitius cognoſcamus*, *egrediamur extra urbem*, *Anicium*, *unde ſuas plerumque procurſiones facere ſolebat*: *comitemur ſuos ad pauperes diſcedentem*: *ac primum videamus*: *quorſum proficiſcatur?*

I. Ubi? In montibus difficillimis. *Certe, quod Evangelicus de Sanctiſſima Dei Parente memoriæ prodidit Scriptor, hoc enimvero de* Joanne *etiam* Franciſco *ex vero uſurpari poteſt*: exurgens abiit in montana cum feſtinatione. *Exurgens dico*: *nam cœleſti Divinæ charitatis, quæ illum aſſiduo ſtimulabat, ut exſurgeret, igne concitatus*, abiit *non greſſu, ſed curſu*: cum feſtinatione, *in* montana, *id eſt*: *in horrida*,

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

rida, & ardua *Vivarienſium*, *Velaunorum*, *Valentianorum*, *Narbonenſium montium juga*. *Juga* (a), *quæ*, *ſi pro merito depingere vellem*, *dicere deberem ejuſmodi eſſe*, *ubi viarum aſperitas ingentem*, *vel è plano intuentibus*, *incutit horrorem*: *ubi ſemitæ adeo ſunt præcipites*, *ut aſpectu periculi ipſe jam in venis quodammodo ſanguis congelaſcat*: *ubi ſunt valles*, *in quibus ſol nunquam conſpicitur*: *ſunt nives*, *quæ ne in ferventiſſima canicula ſolvuntur*: *ſunt anfractus*, *in quibus nunquam venti inducias paciſcuntur*: *ſunt hiatus*, *ſed ferarum cubilia*: *ſunt ſaxa*, *partim jam prolapſa*, *quæ iter reddunt aſperrimum*: *partim pendentia*, *quæ mortem in momenta ſingula minitantur*. *Huc*, *huc* Joannes Franciſcus *abiit cum feſtinatione*, *Divinæ charitatis alis potius*, *quam pedibus*, *ſubvectus*, *ut ſuos in miſerrimis tuguriis*, *in fœdiſſimis mapalibus*, *in ſordidiſſimis caſis pauperes conveniret*. *Quos profecto nunquam illic*, *tam difficili itinere*, *conventurus erat*; *niſi cœleſtis charitatis*, *quæ aſpera novit vertere in plana*, *fœtores in odores*, *miſerias in delicias*, *mirabili igne fuiſſet inflammatus*.

II. Quando? Acerrima rigidiſſimæ hyemis tempeſtate. *Abibat autem in media acerrimæ hyemis tempeſtate*, *dum in his alpibus ſævientis frigoris aſperitas*, *ventorum inclementia*, *profunditas nivium*, *glacies perquam lubrica*, *vix ipſis robuſtiſſimis animantibus viam*, *inoffenſo pede tentandam*, *præbent*. *Dum ipſi mon-*

a) *Amplificatio per hypotipoſim cum auxeſi*, *juxta modum amplificandi octavum*.

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

montium incolæ suis se mapalibus inclusos tenent, ne triste alicubi in via funus fiant. Hoc, inquam, hyemis tempus, ob hanc ipsam opportunitatem, tanquam maxime opportunum, delegit ad exercendum in pauperes studium charitatis. Sciebat alia anni tempestate agrestibus distentos laboribus ab audiendo DEI verbo multum avocari; hyemem contra aptissimum rei tempus suppeditare; cum, & laboribus vacuum foret, & ipsos pauperes nivibus, velut obsidione, cinctos, ne facile sua mapalia egredi queant, domi contineret. Quamquam ipsi Apostolo venti, frigora, glacies, nives, totidem hostilia quasi valla, aditum præpedientia, summam in Apostolatu *fecerint difficultatem. Verum* Joannes Franciscus *Divina ardens charitate, nec viarum asperitate, nec temporum inclementia perterritus,* exurgens *ibat* cum festinatione. *Ac ut se periculis quibusque intrepidus objiciat, satis erat ad animandam ejus charitatem cogitasse: quod hyberna temporis pars, sibi licet multum incommoda; pauperum tamen saluti quam maxime esset accommodata.* Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde, *ajebat olim* Nahum *Propheta* (a). *Mihi vero Sanctissimus vates videtur jam inde sua ex Palestina* Joannis Franciſci *charitatem animasse ad prosequendum audacter tam difficilem* Apostolatum (*b*). Contemplare viam! *id est: aspice generose Apostole*

a) *Nahum 2. v. 1.* b) *Amplificatio per figuram repetitionis, conjunctam cum hypothipoſi, & paraphraſi ſacræ ſententiæ.*

te, rupes, per quas tibi glacie horrentes est progrediendum; tam sunt inaccessæ, ut vix inter eas vel cogitatione viam valeas invenire. Contemplare viam: *tam alta sunt montium juga, tam profunda prærupta, ut eo non nisi manibus, ac pedibus reptare; huc vero, ne præceps ruas, in momemta singula debeas formidare.* Contemplare viam: *& confestim se offerent nives, per quas persæpe tuo tibi pectore semita est facienda: offerent torrentes ruinosis pontibus, vel infida glacie trajiciendi: offerent vada gelidas per aquas ad usque collum tentanda.* Contemplare, *inquam*, contemplare: *si hyberno tempore pauperum* Apostolatum *volueris exercere. Sed* Joannes Franciscus *tametsi omnia diligenter fuerit contemplatus; confortatis tamen Divina charitate lumbis haud veretur:* Timor *enim (teste* (a) *Joanne Apostolo)* non est in charitate: *nam* perfecta charitas foras mittit timorem: *exurgens abit in montana cum festinatione, adversus omnes rigidissimæ hyemis injurias solius charitatis, lumbos ejus confortantis, igne, ac virtute roboratus. Et ecce! quod memoratus pervidisse videtur Prophetа*, super montes pedes evangelizantis. Pedes, *inquam, specioſi profecto, quibus omne iter emetiri solebat:* super montes, *arduos licet, ac horridos, summa tamen inter pericula feliciter conscensos, consistunt pedes* Apostoli, *suos jam illic pauperes* evangelizantis. *Ubi nunquam profecto constituri fuissent, nisi virtus, insigni charitate confortata, ac*

a) *1. Joan. 4. v. 18.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

ac roborata, debiles Joannis Franciſci *evangelizantis pedes in hos montes provexiſſet.* Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde: *valde, inquam, nec enim hoc virtus facere poteſt qualiſcunque, ſed* valde, *id eſt. mirabili, & heroica prorſus charitate roborata:* robora virtutem valde.

III. Quomodo? Maximis incommodis, ſumma charitate toleratis. *Hæc porro viarum diſcrimina, DEUM bonum! quantis præterea incommodis, admiranda prorſus charitate toleratis, fuere conjuncta. Sæpe accidit, ut totum peregrinando diem feſſus exegerit; haud tamen nocte hoſpitium reperit, ubi feſſa quiete membra relevaret; at relevavit charitate. Sæpe jam ſudore, jam pluviis, toto madidus corpore, ne ſcintillam invenit, ut igne excitato corpus ſiccaret; ſiccavit charitate. Ut deprehenſus ita conſiſtere coactus, manſit cœlo aperto, in metam horridorum nimborum, ac furentium aquilonum; ſed à Divina protegebatur charitate. Si forte in cujuſpiam domus dirutæ ruinas eum veniſſe contigit, jam magnæ inſtar felicitatis reputabat, quaſi Divina eam illi charitas miniſtraſſet. Si tugurio, vel mapali ruſtico, recipi potuit; in palatio verſari videbatur, quo cœleſtis eum charitas recepiſſet. De lectulo nec cogitabat: probe gnarus: molliter cubat, quem DEI charitas portat. Nuda plerumque humus, exiguo ſtramine contecta, totus ſomni capiendi erat apparatus; imo devius à calle, aut hoſpitio non acceptus, pro lecto habebat glaciem, pro ſtragula nives, pro tecto cœlum,*

jam

jam serenum, jam nimbosum. Non minus cum fame conflictabatur: si mucidi obtigit buccella panis, jam opipare, lauteque se cænasse, cum Apicio helluone arbitrabatur; at vel eo persæpe destitutus erat, sola sustentatus charitate.

IV. Quibus auxiliis? Deo, & Angelis, singulari eum cura protegentibus. *At heus montium Angeli! quid agitis? Ubi gentium moramini? Adeste, adeste quam ocyssimi! En pauperum Apostolus in montibus, curæ vestræ creditis, cum nivibus, cum frigore, cum periculis, cum inopia conflictatur! vestrum est luctantem adjuvare: vestrum vires ad iter prosequendum sufficere: discrimina avertere: à periculis liberare. Liberarunt ne? liberarunt. Angelis enim (teste David) mandavit DEUS, ut omnes equidem homines; viros tamen cumprimis Apostolicos, DEI nuncios, ac legatos, in omnibus viis suis custodirent, ne forte offendant ad lapidem pedem suum; vel si offenderint, confestim adjuvarent. His ergo comitibus* Joannes Franciscus *iter est aggressus, his ducibus prosecutus, horum ope protectus, his adjutoribus, cum in voraginem prolapsus fuisset, eductus, cum pectore-tenus nivibus mergeretur, emersus: hi fractam lapso tibiam non sine grandi prodigio restituere: quod æquum est, ut paulum diffusius commemoremus. Accidit* (a): *ut in vicum, leucis quatuor Anicio disjunctum, ad peragendam suos inter pauperes procursionem Apostolicam, pedes (ut in more habebat) proficisceretur. Via erat de-*

a) *Amplificatio per oratoriam narrationem.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

clivis, & lubrica gelu. Quid sit? repente infelici casu sternitur, & tibiam frangit. Angeli! quid egistis? sic ergo commissum curæ vestræ Apostolum custodistis? Sic à lapsu, ne offendat pedem suum, conservastis? Hæccine cura? hæc custodia? At sæpe, bono permittente DEO, lapsu ruunt clientes graviore, ut bonorum ope Angelorum felicius resurgant: incurii videntur, ut quanta agant cura, melius cognoscatur. Ita prostratum erexit socius non modico conatu: dum oculis circumlustrat currum, vel jumentum aliquod, cui Patrem imponeret: Joannes Franciscus *vulneris incurius, solius duntaxat fructus Apostolici, in Missione comparandi, solicitus, mente parumper collecta, ardentes ad DEUM fundit preces. His persolutis continuo discessum parat, ac solius ope scipionis, pendente (quod miremini) tibia, duarum, quod reliquum erat, iter facit leucarum, quanto vulneris irritati dolore, quo periculo, horrendum esset vel cogitare: nisi de Angelis scriptum sciremus:* in manibus tollent te. *Et re ipsa videntur Angeli progredientis Apostoli tibiam quasi manu sustinuisse: cum* Joannes Franciscus *abjecta omni cura, ac solicitudine, tanquam mali nil evenire posset, iter prosequebatur, & (quod amplius stupete!) quamprimum locum attigit, confestim, læsa (ut erat) tibia, Ecclesiam adiit, ut suas pœnitentibus aures commodaret. Quid agis* Joannes (a) Francisce? *Ah siste parumper, siste, tempera*

a) *Amplificatio per apostrophen juxta modum nonum.*

pera fervorem, dum vulnus consanetur. Scriptum quidem est de Angelis: in manibus tollent te, ne offendas pedem tuum; verum additur: ad lapidem; hoc porro non est ad lapidem offendere; sed pede jam ad lapidem offenso, DEUM veluti tentare. Rursus autem scriptum est: Non tentabis Dominum DEUM tuum. Laudo in pauperes zelum, laudo charitatem; sed ejusmodi, quam video esse prudentem, moderatam, ordinatam. Ordinatæ vero charitatis lex est: ita aliis prospicere, ut tibi nunquam obsis. Hoc etiam loci suadet curio; ut te parumper domi tuæ cohibeas, dum tibia consanetur: obtempera, obtempera! Frustra est, Joannes Franciscus Divino spiritu, ac lumine doctus, novit impensa pauperibus obsequia Christo facta esse beneficia, novit se à DEO speciatim delectum esse pauperum Apostolum; suum ergo zelum, suam charitatem specialem esse oportere, quæ communes charitatis solitæ excedat fines: se, suaque DEI, ac bonorum Angelorum curæ esse committenda: futurum, ut, qui in suo erga pauperes studio communes charitatis leges egreditur; etiam DEUM in se curando, & adjuvando, communes Providentiæ terminos egredientem experiatur. Ita evenit. Nam loci curio, de fracta Joannis Franciſci tibia certior redditus, multis orat, & vix exorat, ut moram tantisper necteret, dum chirurgus accersatur. Et ecce! quid boni egerunt Angeli? interea tibiam consanarunt. Nam inspecto diligenter damno, cognovit chirurgus ex osse fisso pedem fuisse fractum; simul tamen vi-

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

dit, feliciore, Angelorum nempe, manu, mirabiliter esse consanatum. Quod nodus circa tibiam callosus, qui recens fragmenta collegerat, apertissimo rem testimonio comprobabat. Ita DEUS mirabilem in curanda Joannis Francisci tibia curam adhibuit, cum etiam Joannes Franciscus mirabilem in pauperes exhibuerit charitatem.

V. Cur? Ob lucrum animarum, etiam paucarum. Hæc autem charitas Joannis Francisci ortum trahebat ab insigni, quo jam inde à primo Societatis ingressu ardebat, animæ, vel unius DEO lucrandæ, zelo. Sciebat animam etiam unicam, rem immane quantum esse pretiosam: quoniam pretiosissimo Christi sanguine redemptam. Contra noverat hos rupium incolas, magna fidei, & rerum Divinarum ignoratione, & quæ inde consequuntur, vitiis haud levibus laborare, non sine ingenti salutis detrimento. Dolebat ei magnopere tot hominum animas, vel ideo, quia pauperum, neglectas, æternum interire, ut damnum quoquo modo sarciret, difficillimis inter pauperes obeundis missionibus semet addixit. Erat quidem, cum mollior semitis aura faveret, ut quinque, sex etiam hominum millia ad eum confluxerint audiendum; plerumque tamen una casa, una villa, unum tugurium terminus erat, quo vastissimus Joannis Francisci zelus semet definiebat. Nihil veritus saxa, nihil præcipitia, nihil torrentes, nihil nives, nihil cætera incommoda. Satis ei erat per vias tam asperas magnum vel unius animæ lucrum posse reper-

portare. Jonathas (*a*) *primo Regum libro legitur ascendisse rupem, prope inaccessam, pedibus, & manibus prorependo: nec extimuisse prominentium præcipitia saxorum: cum videret castra illic posita Philistæorum:* Ascendit Jonathas manibus, ac pedibus reptans (*a*). *Ad suscipiendum porro hunc laborem ductus est spe, animo concepta, ad profligandum totum exercitum Philistæorum:* Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. *Cum quis videret* Joannem Franciscum *tam solicito, afflictoque pede, per glacies, per valles, per montes, ad Apostolicam pauperum missionem progredientem; existimaret eum proficisci ad annunciandum confertissimo cuipiam Auditori evangelium. At* Joanni Francisco *sufficit villa una exigua, ut omnem, etiam horribilem, viam ingrediatur: jam ait:* ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. *Sufficit vicus unus paucarum ædium: sufficit unum tugurium male sartum: sufficit, si ex apice unius rupis videat in alterius vertice positam vel unam casam, jam ait:* ascendamus, ascendamus, *illic etiam reperietur una saltem anima Apostolicæ opis indiga:* ascendamus, *ut eam cœlo asseramus. Et illico se nivibus rursum immergit, rursum torrentibus committit, rursum alta montium scandit, eum Jonatha* reptans manibus, & pedibus, *magnopere gratulatus, si tanto incommodo vel unam tantummodo casæ pauperis familiam posset*

a) *Amplificatio ab exemplo Biblico, & figura repetitionis.* b) *1. Reg. 14. v. 13.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

erudire : O insignem Viri Apostolici charitatem !

VI. Quid? Fidei Christianæ doctrina rudes erudit. Quis ? Joannes Franciscus, vir corpore tenero, viribus debilibus, nobili genere. &c. *Quam is tantummodo rite perspicit, qui novit, quid, quantusque sit labor Apostolicis missionibus pauperes erudire. Hi, cum plerumque sint ingenio hebetiores, moribus agrestes, DEUM bonum ! quantum laboris viro præbent Apostolico, ut recte fidei Christianæ doctrina instituantur.* Joannes Franciscus *erat quidem corpore delicato, tantis, ut credebatur, laboribus impari : erat viribus haud firmis : erat nobili genere, ad omnem culturam, & honestatem formatus : erat natura à sordibus pauperum multum abhorrente. At Divina, quæ* Joannem Franciscum *tenebat, charitas, & corpus roboravit, & vires firmavit, & naturæ horrorem correxit; adeo, ut jam non horrori, sed maximæ illi fuerit voluptati cum pauperibus conversari : laborare fuerit deliciari; tametsi gravissimis à primo statim mane, ad seram usque vesperam negotiis distineretur. Ipsa, qua locum quempiam contigit, hora, licet ex itinere lassus, ac imbecillis foret, nihilominus confestim Ecclesiam adiit, illic primum parvulos fidei rudimentis imbuebat, dein aures pœnitentibus commodabat, tum pro concione dicebat, tandem incruentum sacrificium fervore ardentissimo peragebat. A meridie rursum se reddidit Ecclesiæ ad noxas confitentium excipiendas, ad juvandos consilio dubios, ad discor-*

scordes conciliandos, quod ea faciebat authoritate, ut omne penitus tolleret dissidium; nec quisquam auderet à lata ab Joanne Francisco *sententia aliorsum appellare. Sub vesperam Apostolicis exercitationibus rursus concione finem imponebat. Sæpe tres, plureſque dictiones uno die perorabat. Si Ecclesiam ingredi nequibat, proximus lapidum acervus, arboris truncus, congeries nivium paullo solidiorum, suggestum præbebat dicturo ad populum, etiam numero exiguum; se tamen audire cupientem. Sæpe factum, ut mediam inter dictionem concideret; non idcirco quasi gelu obriguisset (fervor enim charitatis tantas in eo flammas accendebat; ut nil à nivibus, nil à frigore ei metuendum foret) verum concidit defectu virium, laboribus exhaustarum. At vix spiritum resumpsit; confestim ad interruptam revertit dictionem. Credite: nulla hoc virtus posset, aut vellet; nisi mirabili arderet charitate!*

VII. Quamdiu? Ad usque obitum summa Francisci gloria. *Quem charitatis erga pauperes fervorem ad usque obitum constanter retinuit. Cum potissimam, inter montium juga, apud pauperes vitam egerit; ibi quoque ultimum vitæ spiritum exhalavit, ut vere dici queat:* in finem dilexit eos. *Ibat pro more, adulto jam decembri,* Laloveſcum *versus, duorum itinere dierum,* Anicio *remotum, ad pauperes per Dominifesta illic excolendos. Repente febri acuta, ex pleuritide orta, corripitur. Nox obruit viatorem in quodam mapali divertere compulsum; sed vel inde ab inhumano hospite rejectus, cogitur se*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

recipere in quoddam ruinosum, ac dudum ante desertum, tugurium, non aliis hospitibus, quam ventis, pluviis, tum torrentis instar, de cœlo cadentibus, excipiendis opportunum. Nocte miserum exacta, die nascentis Domini profesto, itineri se denuo pedes accingit, ac Lalovescum pervenit valetudine jam affecta. At sumptis à charitate viribus, ipso Christi ortus die, ter pro concione peroravit, toties die etiam consequente. Interea morbo, magis, ac magis invalescente, ad extrema deducitur; susceptis ex more Ecclesiæ summa religione sacramentis, cum diebus illis memoria nati in stabulo recens Salvatoris ageretur, ad stabulum, Parochi ædibus contiguum, frustra reclamante sacro Curione, se deportari curavit, ut ubi Christus, ejus amore, vitam erat auspicatus; ibi Christi pauperis exemplo Apostolus pauperum ritu paupere (licet postea glorioso) vitam terminaret. Vos crederetis hunc Joannis Francisci exitum fuisse tristem, obscurum, ac inglorium; quoniam inter juga montium, inter umbras nemorum, inter squalores tuguriorum, peractum, procul à suavi sociorum consortio, qui animam agentem extremum solarentur. Verum bonus se nunquam vinci patitur DEUS. Exvili paupere etiam tugurio, ardenti charitate æstuantibus, efficit paradisum. Joannis Francisci morientis lectum haud equidem socii circumstabant religiosi; at circumstetere cœlestes Angeli. Non vidit suavissimos fratrum consolantium vultus; sed vidit JESUM, vidit Mariam, Matrem suam, cœlum sibi aperientes, ad cœlestia gaudia se invitantes,

tes, ut illic mirabilis suæ in pauperes charitatis præmia reportaret. Putabatur sine ulla funeris pompa tumulo inferendus; sed O Summam DEI Providentiam! ipso mortis die multa hominum millia, Joannis Franciſci *obitus ignara, nemine monente, aut convocante, ex omni late vicinia, ex montibus, ex vallibus, ex villis, ex tuguriis: non retenti à nivibus, non prohibiti à glacie, non à ventis, ac frigore præpediti,* Laloveſcum *confluxere, à bonis, quod credendum eſt, Angelis, tacite invitati, ut pauperum Apoſtoli funus hoc prodigioſo pariter pauperum concurſu honoraretur. Atque ita illud Iſaiæ expletum eſt:* & erit ſepulchrum ejus glorioſum. *Exiſtimare quidem homines poterant: cum* Laloveſcum *locus cæteroquin fuerit ignobilis, inter montium abdita retruſus, obſitus infelicitatem ferme inacceſſus, quod* Joannes Franciſcus *ſepulchrum nacturus ſit inglorium; ſed mira DEI Providentia, mirabilem* Joannis Franciſci *charitatem munerante, ſepulchrum ejus factum eſt toto orbe glorioſum. Idem profecto evenit* (a) Laloveſco, *quod ſacris in litteris dicitur accidiſſe agro, in quo condita fuit Sara, poſt Abraham, dein Rebecca, & Iſaac:* Confirmatus eſt ager, *Cajetanus legit:* & ſurrexit ager. *Ante Abrahami, ac cæterorum mortem ager ille fuit neglectus, incultus: at poſtquam factus eſt ſepulchrum virorum tam illuſtrium, honorem, ac venerationem indeptus* ſurrexit ager. *Ita ante* Joannis Franciſci

a) *Amplificatio per exemplum & figuram converſionis.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

obitum Laloveſcum, *vix tribus, quatorve tuguriis male ſartis definitum, mundo erat ignotum; at ubi venerandi adeo depoſiti pignus accepit*: ſurrexit ager. *Cepit altius caput erigere, à prodigiis celebrari, domiciliis ſtabiliri*: ſurrexit ager. *Cepit piarum peregrinationum, ac ſupplicationum nobilis eſſe terminus, ut ipſæ jam rupes obſtupeſcant, dum hominum eo confluentium concentibus reſonant, dum vias vident populis refertas, ubi prius vix ferarum veſtigia conſpiciebantur*: ſurrexit ager. *Cum recipit anathematum, ac munerum tributa, ab oppidis, ab urbibus, ab ipſis Provinciis glorioſo ejus ſepulchro appenſa*: ſurrexit ager. *Cum nec locorum aſperitas, nec hyemis illic ſævientis rigor, arcere valeat populos, certatim confluentes, ut ſua Viro Sancto deferant officia, preces, ac vota depromant, gratiarum actiones ſumma religione perſolvant*, ſurrexit ager.

Complexio I. Partis. *Et vero ſurgere debebat ob mirabilem, & inſignem* Joannis Franciſci *extra urbes pauperum ſaluti inpenſam charitatem. Charitas eſt animam dare pro fratribus; dediſti* Joannes Franciſce *amplius fortaſſe, quam animam, cum in altiſſimis montibus, acerrima anni tempeſtate, toleratis maximis incommodis, ſolo DEO, & Angelis, ſumma inter pericula te protegentibus, animarum tantummodo lucrandarum cauſa, in difficillimo per miſſiones Apoſtolicas inter pauperes annunciandi Evangelii munere, vitam, ac mortem poſuiſti. Laudatur Chriſti Servatoris obedientia: quoniam*

am factus est obediens usque ad mortem. Et Joannis Francisci *charitatem nequaquam commendabimus, qui suos dilexit pauperes, & quidem in finem dilexit eos? Imo à morte etiamnum diligit: cum ejus ope, ac patrocinio cæci videant, claudi ambulent, surdi audiant, muti loquantur, mortui resurgant. DEUS Optimus Maximus* Joanni Francisco, *quem vidit tam mirabili charitate pauperum Apostolatum sustinuisse,* pauperes evangelizantur: *voluit in ejusdem præmium charitatis reliquam etiam donorum, ante memoratorum, seriem impertiri, ut perpetuorum gloria prodigiorum mundo fieret conspicuus, qui antea DEI amore omni se se gloria abdicarat, factus pauperum Apostolus, invicta etiam patientia.*

PARS II.

SANCTUS JOANNES FRANCISCUS REGIS PAUPERUM APOSTOLUS IN URBIBUS INVICTA PATIENTIA.

Altera divisionis pars probatur syllogismo quinquepartito subdivisionem in assumptionis ratione complectente: Viri Apostolici est multa patienter adversa pati. Ratio est: quia charitas, virtus Apostolorum propria, adversitatibus, ut aurum igne, probatur. Sed Joannes Franciscus in suo pauperum Apostolatu in urbibus multa adversa tulit patienter. Ratio est: quia tulit à vitiis, tulit à virtutibus, quæ, in illum æqua-

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

quali bello conspiraverant, ut ipsemet auditus est dixisse. Ergo

Ratio majoris. *Quod inter metalla aurum est; hoc inter virtutes charitas est*: Major autem horum est charitas, *ait Apostolus. Quemadmodum vero aurum igne, ita charitas, virtus Apostolis propria, adversitatibus patienter toleratis, probari solet*: Virtus in infirmitate perficitur, *inquit Paulus. Illam ergo veram germanamque dicam esse charitatem, cui invicta comes jungitur patientia.* Major. *Omnes equidem, qui pie volunt vivere, persecutionem patiuntur; viris tamen maxime Apostolicis, qui & pietate, & charitate cæteros antecellere debent, proprium est adversitatibus exerceri. Pridem hoc Divinus Servator edixit Christus (a)*: Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Non (b) est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Quæ si invicta quis tulerit patientia, ille enimvero magnum Viri Apostolici & nomen, & laudem feret.*

Minor. *Hoc Christi vaticinium magnopere comperit in se comprobatum Divus noster Apostolus* Joannes Franciscus, *cum in urbibus pauperum ageret Apostolatum. Exacta hyeme montani ruricolæ, cum, agrestibus laboribus occupati, minus forent ad audiendum DEI verbum comparati,* Joannes Franciscus *è montibus ad urbes se recepit.* Anicium, *urbs Galliæ, in Provincia Vivariensi facile princeps, stabilis illi*

a) *Matth. 10. v. 22.* b) *Joan. 15. v. 20.*

illi obtigit statio, quo velut ad hyberna miles, obita missione, partisque inter montes spoliis, æstatis tempore se conferebat. Quid hic Joannes Franciscus? an splendida obibat Optimatum palatia? an illustres nobilium ædes? an opulentas civium domos? Sciebat singulari DEI Optimi Maximi munere se vocatum esse, ut pauperes Evangelizentur: Evangelizare pauperibus misit me. Quapropter relictis aliorum curæ palatiis, in medio illustris adeo civitatis, operam omnem, ac curam convertit ad infimam plebem, sua Apostolica charitate excolendam. Hic vero tanto illi amplius necessaria erat invictæ virtus patientiæ; quanto majorum, animi nempe, quam corporis, adversitatum, patienter ferendarum, occasio ei præbebatur. Non ego hic immoror (a) commemorando Apostolico Joannis studio in erudiendis famulis, ac tabernariis, quibus Anicii in perampla Sancti Petri Ecclesia coactis, statis diebus, fidei rudimenta explicabat; quanquam opportunum hic mihi argumentum afferretur differendi de insigni ejus zelo, & charitate. Non refero ditiorum ædes ostiatim subeuntem, ut stipem, pauperum usui futuram, corrogaret, quam postea eleemosynarum sarcina humeris injecta, palam in tuguria deportabat; licet hoc amplissimam laudandæ ejus humilitati materiam præberet. Nec loquor de singulari ejus misericordia, qua in Anicienſi Societatis collegio

a) *Amplificatio per figuram præteritionis, cum distributione & subjectione conjunctam, juxta modum amplificandi octavum.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

gio erexit penulariam, seu fundum prædivitem, unde postea promebat vestes, culcitras, tegumenta, cæteramque laneam supellectilem, quæ in humeros sublata, per vias publicas, detulit in casas usque egenorum. Non memoro dispersas per domos civium arcas, frumento plenas, sæpius, cum exhaustæ fuissent, divinitus repletas, unde egentioribus panem ministrabat; quamvis hæc celebrandæ ejus misericordiæ insignia esset argumenta. Non adferam, quod pone pauperum Patris munus, agebat insuper officium Tutoris, Advocati, quo ipsemet negatam pauperibus mercedem è manibus tenaciorum exigebat, in eorum favorem tribunalia obibat, pro miseris tuendis, jam suaviter, jam fortiter perorabat, dum justitiam, vel gratiam impetraret. Prætereo in Xenodochiis, in captivorum ergastulis, in ægrorum tuguriis unicuivis prompte, ac hilariter subvenientem. Erat in vili quapiam suburbii Anicienſis casa mulier pauperrima, eaque miserrima. Hæc ex gangræna, totum sæve corpus depascente, cadaveris instar jacebat ab omnibus derelicta. Nemo unus, vel eminus purulentam accedere saniem, minus conflictanti adsistere audebat. Ausus est Joannes Franciscus, *qui, ut rem cognovit, protinus accurrit, explicat viscera charitatis, in dies visitat, lateri adsidet, solatur, cibum manu porrigit, ut miseriam optimo, quo posset, modo miseræ allevaret; quod eximium præcellentis charitatis monumentum merito esset prædicandum. Multa pariter mihi dicenda forent, de heroica ejus victoria, qua se hominum pestifera*

lue,

lue, totam late Galliam crudelius devastante, infectorum saluti devoverat. At singula hæc tacitus prætermitto; solam invictam ejus in ferendis adversitatibus, quæ meæ propositum est orationis, patientiam celebrabo. Ratio minoris continens subdivisionem. *Hæ autem tam multæ, tamque graves in hoc pauperum Apostolatu, in urbibus ei obvenere, ut in illum, quod ipsemet auditus est dixisse, calamitatibus affligendum, indicto æqualiter bello, tam vitia, quam virtutes conspirarint.* In me, *ait*, & vitia, & virtutes conspirarunt. *Virtutes proborum; vitia improborum. Verum illatas ab utrisque adversitates, suorum amore pauperum, invicta semper tulit patientia.*

I. Pars subdivisionis: S. Joannes Franciscus Regis patienter pertulit adversitates, à vitiis illatas. *Quod vitia improborum* Joannem Franciscum *bello lacessiverint, neutiquam miror: sunt hæc virtuti semper inimica, luxuria præsertim, quæ Angelicæ adversatur puritati. Hanc in gradu adeo præcellenti habuit* Joannes Franciscus, *ut non modo nulli maculæ se obnoxium, sed ne stimulo quidem carnis sensérit pertentatum. Nec testis deerat, qui jurejurando affirmarat, se ex eo referente audisse: quod cœli Regina securum reddiderit: valetudini suæ haud obfuturum perpetuum potus aquæ usum, cui se addixerat, castitatis ab omni rebelli motu conservandæ causa. Cœlicam hanc virtutem, adeo in se conspicuam, etiam in aliis, quam diligentissime excultum ibat. Erant, suos inter pauperes,*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

peres, mulieres quædam infelices, quæ, summa inopia ductæ, corpore vænum expositio, misere quæstum in urbibus faciebant. Has Joannes Franciscus, ubi ubi repertas, singulari, quam à DEO credebatur accepisse, virtute confestim exterminabat. Si uspiam ejusmodi latere scortum intellexit, sancta quadam impudentia eo penetrabat, & præda detecta, quasi dominio præpolleret, è manibus, & domo protectorum, dicam verius proditorum, quantumvis potentium, abstractas, loco securiore collocabat, ne unquam ad vomitum reverterentur. Confessæ sunt complures, sibi mentem, & cor penitus fuisse commutata: cum animi confessione perpurgandi causa ad DEI virum accessissent. Loquebatur verba, pauca quidem, sed ponderis plenissima, ea vultus modestia, ea gravitate, eo spiritus ardore conjuncta, ut non hominem, sed Angelum loqui credidisses. Hæc inter quid agunt lenones impudici? silent? prædas eripi tacite ferunt? Credite: in fortem honestatis propugnatorem usque adeo fremunt, ut ipsam luxuriam, ab inferis excitatam, toto cum inferno in eum putares consurrexisse, qui verberibus, calumniis, morte intentata, extremam Joanni Francisco calamitatem conscivere. Paulus gentium Apostolus, cum Philippis puellam, Pythone spiritu præditam, nec exiguum heris suis divinando quæstum facientem, à malo genio liberasset: videntes Domini ejus (ajunt acta Apostolorum) quia exivit spes quæstus eorum, in Apostolum calumniis, verberibus, carcere persequendum convertuntur.

tur. Apprehendentes (a) Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad Principes, & offerentes eos Magistratibus, dixerunt: hi conturbant Civitatem nostram. *Ecce calumniam! Dein virgis afficiunt*: Et concurrit plebs adversus eos, & magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. *Ecce verbera! Demum durum in ergastulum compingunt*: Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem. *Ecce carceres! Hæc ipsa fortunatissima: quia Apostolis propria, sors excepit* Joannem Franciscum. *Videntes impurissimi lenones, quod mulieres luxuriæ spiritu præditæ, à* Joanne Francisco *in libertatem assertæ, non porro impudicis eorum cupiditatibus corpore suo quæstum facerent*: quia exivit spes quæstus eorum; *ad calumnias, ad verbera, ad neces convertuntur. Quid hic Apostolus? Apostolum se probavit: invicta, quod Apostolis proprium est, tulit patientia. Fuit impudens quidam procus, qui ob ereptam sibi mulierculam* Joanni Francisco *sonorum palam infregit colaphum. Quid Apostolus? invicta tulit patientia: nam alteram quoque maxillam hilariter obtulit percutiendam: Christi consilio* (b): Ego autem dico vobis: non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Joannes Franciscus *non præbuit tantum; sed præterea advocati munus suscepit: cum alterius enormis alapæ, ausu nefario inflictæ percussor a-*

a) *Actor. 16. v. 19.* b) *Matth. 5. v. 39.*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

pud Judices postularetur. Fuit, qui, abstractam vindicaturus pellicem, in via publica, Apostolum aggressus, humi prostravit, cœno immersit, pugnis, calcibus furiose verberavit. Quid Apostolus? atroci licet injuria affectus, nihilominus socium vetuit accurrentem, ne ullo rem modo prohiberet. Fuere, qui, cum indomitis suis cupiditatibus aditum omnem, subducta muliercula, viderent intercluſum, nodosis fustibus, ac sudibus armati, DEI virum adoriuntur, tamdiuque diverberant, dum lassarentur. Quid Apostolus? Ne verbo ille, vel gestu se defendere; scapulas ultro percutientibus offerre; verbera oculis, & manibus, pie, ac religiose in cœlum sublatis, Deo commendare. Fuere, qui, dum puellam infami è cœtu raptam, in locum duceret securiorem, repente nudis ensibus collo applicatis, acutis pugionibus pectori admotis, paratam mortem intentavere. Quid Apostolus? solenni pro more invicta hoc etiam tulit patientia: nam martyrii subeundi spe exhilaratus, animo, & vultu impavido, vestem diducit, pectus aperit, collum porrigit: si non aliud, inquit, quam necem mihi intentatis, oro, ne fatigemini: en pectus! quod illam recipiet: huc jacite tela vestra: hoc, quantum lubet, perfodite: certi interim estote: puellam nunquam vobis restitutum iri: donec mihi vita, & spiritus superfuerit. Taceo sannas, taceo ludibria, taceo contumelias, taceo calumnias, quibus innoxiam Joannis Francisci famam, vitæ supparem, infames hi lenones, frequentissimis, & acerrimis impetivere. Nihil difficilius viro evenit Apostolico,

quam

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

quam si bona nominis illius existimatio infamia aspergatur, in morum præsertim puritate, falsis criminationibus, in suspicionem vocata, quæ non modo lucem, sed vim etiam, & virtutem Apostolicis adimit functionibus. Ipse Servator Christus calumnias, rem esse Apostolis toleratu acerbissimam, judicabat: cum discipulos ad mala quævis perferenda cohortatus, falsis criminationes, tanquam malum malorum omnium gravissimum, patienter toleratum, ultimo, ut primum intelligeremus, inter beatitudines loco collocavit: Beati estis: cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Hoc ipsum magnopere dolebat etiam Joanni Francisco: cum vitæ suæ integritatem iniquissimis hominum improborum calumniis videret lacerari; ob quas multi postea, velut reum, condemnabant: alii in suspicionem adducebant: qui mitius sentire volebant, saltem imprudentiæ accusabant. Et hoc tanto acerbius ei dolebat; quanto muneri amplius oberat Apostolico; ipse vero innocentiam suam habebat compertiorem. O DEUS! O magna puritatis Mater! qui Joannem Franciscum, hactenus virginem, omnis maculæ expertem, tuitie estis, qui vitæ innocentiam, in cunis acceptam, ad hoc usque tempus conservastis, qui privilegium, paucis datum, liberaliter concessistis, ut medio in igne, nullo impuri caloris motu pertentaretur; ergo calumniis innocentem opprimi sinetis? Nostis ejus animum, nostis omnem gressum, quam recto pro-

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

grediatur! defendite, *oro*, Joannem *innoxium*, *defendite! Poterat facile* Joannes Franciscus *ictu velut uno præcidere omnem calumniarum*, *ac suspicionum occasionem*, *si pauperum (quod amici suadebant)* Apostolatum *reliquisset. Verum tametsi illatæ graviter ei doluerint injuriæ*; *hic tamen dolor haud fregit ejus patientiam. Mansit invictus inter verbera*, *inter neces*, *inter calumnias*, *semper sibi constans. A suscepto haud destitit* Apostolatu, *totus licet in eum infernus conspirârit. Est nempe Apostolorum: si consistant adversum eos castra (ut ait David) non timere*; *sed per gloriam*, *& ignobilitatem: per infamiam*, *& bonam famam*, *teste Apostolo*, *Dei honorem semper procurare.*

II. Pars subdivisionis. S. Joannes Franciscus Regis patienter tulit adversitates à virtutibus illatas. *Illud longe adhuc gravius animum ejus sauciarat*, *quod ipsas etiam virtutes*, *maxime obedientiam*, *id est Præpositos*, *& charitatem*, *sive socios domesticos*, *homines certe probos*, *& sapientia conspicuos*, *à vitiis*, *seu hominibus improbis*, *in se*, *adversitatibus premendum*, *viderit concitatos. DEUS*, *ceu omnium Dominus*, *Viros Sanctos suo pro arbitrio per illos ducere calles potest*, *qui ei magis arriserint; at Præpositi*, *utpote homines*, *in regendis Sanctis etiam hominibus*, *tritas magis vias tenere debent. Licet Sancti DEUM*, *ejusque gloriam sincere spectent*; *Sanctorum tamen moderatores haud facile sinere debent*, *ut communes Viri Sancti virtutum excedant limites. Sanctorum*

pru-

prudentia sæpe egreditur fines hominum prudentiæ; at superiores, communem humanæ prudentiæ ordinem secuti, Sanctis leges ferre debent, quarum imperio, & obedientiæ viri postea sancti se conforment, oportet. En Apostolum inter adversitates ab ipsis etiam virtutibus, seu probis hominibus, quamvis innoxie illatas, vere invictum patientia! Joannes Franciscus, *Divino spiritu actus, in hoc suo pauperum* Apostolatu, *sectabatur rationem (quod Sanctis persæpe usuvenit) adeo novam, ac insolitam, ut communis prudentiæ limites excedere videretur: periculum erat, ne viri etiam sapientiores, hac specie offensi, imponi sibi crederent, ac sinistram de* Joanne Francisco *opinionem conciperent, non sine aliquo famæ Societatis detrimento. Præterea: periculosius perditas mulierculas ad frugem reducendi labor non parvum ordinis nostri Præpositis timorem incutiebat, ne per eum aditus ad murmura, ad calumnias aperiretur, quemadmodum fuerat re ipsa apertus. Quapropter, si citius è collegio egrediendum erat, si tardius (quam inter nos assolet) revertendum, ut perditas ejusmodi oves inquireret, vel inventas ad ovile traduceret: aut si parte in his aliqua prædiți, pro suo in prædam affectu, vel parentela, quiritarentur, & reclamarent: Præpositi, tantorum tumultuum inquiete vexati, asperis persæpe verbis, & amaris reprehensionibus, clam & publice; in* Joannem Franciscum *animadvertebant: domo egredi, operari, cum pauperibus agere, certum in tempus prohibebant, ut his, velut remediis, ho-*

CAPUT II. ARTIC. V. §. II.

minum linguas, & dicteria temperarent, suspicionis vel umbram removerent. Quid hic Joannes Franciscus? Victusne patientia? Fatendum est: acerbe, nec sine quadam interiore animi intemperie, rem admodum sentiebat: nam viris etiam Sanctis sensus inest, eo interdum gravior, quo ad exercendam eorum virtutem consultò à DEO immittitur major. Conabatur ille quidem virtutis studio hunc sensum omni, quo licuit, modo reprimere; haud tamen ita poterat, ne ex ipso, quam acriter sentiat, viri vultu legeretur; imo in febrim incidit improvisam: cum ad ægri cujuspiam graviter decumbentis, obsequia vocatus, majorum imperio domo prodire vetabatur. Prodidit etiam responso, cuipiam amicorum reddito, qui teneriore affectu, & humana prudentia ductus, à suo eum Apostolatu avocare nitebatur. Secutusne consilium? secutus; sed Ignatii Parentis, quo cum dicere auditus: si in meo positum foret arbitrio, velsine mora subire cœlum, vel in terris degere, ut alii, mea interim opera, & laboribus adjuti, subeant cœlum; ita animo sum comparatus, ut hic potius consistere velim ad pauperes, omni impendio juvandos, quam beatam, licet vehementer anhelem, patriam introire. Hinc jam colligite: quantus in Joanne Francisco hic doloris sensus esse debuerit? Apprime is perspectum habuit, quid DEUS, quid cœlum, quid æterna beatitas foret? Jam à puero cœlestibus collustrationibus insueverat; jam paradisi delicias Virginis Beatæ, sibi aspectabilis, conspectu prægustarat; & tamen huic tam in-

ingenti, tam magno cœli bono laboris Apostolici desiderium anteponit, an non arduum, an non difficile evenerit Joanni Francisco, *cum in desiderio tam justo, tam sancto, tam ardenti, viderat ab obedientiæ virtute adeo se constringi? Profecto id perinde erat, ac ignem jam in flammam erumpentem, ne urat, velle prohibere. At licet ista acerbe senserit* Joannes Franciscus; *acri tamen huic sensui nunquam consensit; sed invicta rem omnem, quod Viri est Apostolici, tulit patientia. Noverat obedientiam omni victima esse potiorem: nam* victimâ aliena caro; obedientiâ autem voluntas propria mactatur, *ut ait Gregorius. Mactavit suam* Joannes Franciscus *voluntatem: cum eam religiosæ obedientiæ duris licet imperiis promptissime submisit; ne verbum, quo se purgaret, opposuit, inflictas à Præpositis pœnas (si tamen in Virum innoxium latæ, pœnæ sunt dicendæ) summa, qua potuit, patientia toleravit.*

EPILOGUS.

Enumeratio. *O virum sanctissimum! O insignem pauperum Apostolum! vere mirabilem charitate, invictum patientia!* Mirabilem charitate: *quoniam extra urbes in montibus difficillimis (ut ante dixi) rigidissima hyeme, non sine gravissimis incommodis, solo DEO in periculis protegente, animarum cœlo asserendarum causa, tam arduos in erudiendis pauperibus Apostolicos pertulit labores.* Invictum patientia: *quem nec vitia, nec virtutes: id est: nec dura Præposito-*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. I.

rum frangere imperia, nec improborum calumniæ, verbera, neces unquam vincere potuere.

Affectus per Apostrophen. *O Beate Apostole! bonum certamen certasti, cursum consummasti, reposita tibi est corona justitiæ, quam legitime certanti justus reddidit judex. Tene coronam, tuæ* invictæ *mercedem* patientiæ: *& quoniam multos pauperum, ac rudium ad justitiam erudisti, fulge in cælo lucidissimi instar sideris,* mirandæ charitatis *tuæ radiis circumfusi. Hoc enim est præmium, à DEO per Isaiam tibi promissum: qui erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. At, cum ita fulseris, tuæ illius mirabilis charitatis, & invictæ patientiæ aliquos, in nos etiam, radios demitte; ut iis perstricti, tuo discamus exemplo, vera Deum, & proximum charitate diligere, & adversa omnia invicta tecum patientia tolerare. Dixi.*

ARTICULUS VI.

DE PANEGYRI SACRA PER ADJUNCTA ANTECEDENTIA, COMITANTIA, ET CONSEQUENTIA.

§. I.

Præcepta hujus modi.

SExtus Confirmationis Panegyricæ modus est per adjuncta *antecedentia*, *comitantia*, & *consequentia*, sive per narrationis *initium*, *medium*, & *finem*. Quid hæc sint, explicuimus Tomulo (*a*) priore.

I.

a) *Tom. II. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1. Num. 2. p. 243.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. 1.

I. Usurpatur hic modus, cum ab alicujus facti particularis historia Sancti laudes repetuntur. Verbi causa: Sanctæ *Catharinæ* fortitudinem probares a publica disputatione, cum quinquaginta Philosophis, habita; eleganter hujus confirmatio instituetur per narrationem ab adjunctis, hanc disputationem antecedentibus, comitantibus, demum hanc disputationem consequentibus. Hoc porro fiet, si ante diligenter dispicias, ac determines, quæ circumstantiæ ad narrationis initium, quæ ad medium, quæ denique ad finem pertineant.

II. In hoc modo eadem ferme curanda sunt, quæ in narratione diximus observari oportere. Quanquam fieri potest, ut antecedentia, per artem, & leges narrationis, oratorie referantur; comitantia vero, vel etiam consequentia, per alium amplificandi modum; verbi causa: prius adjuncta quasi compendio adducantur; postea eorum præcipua exemplis Biblicis, vel aliis, ad rem pertinentibus, exaggerentur, amplificentur, cum apodosi ad propositum panegyricum; quod semper ex omnibus his adjunctis rite inferatur, aut probetur, vel saltem illa ei accommodentur. Utriusque idea habetur in paradigmate.

§. II.

Paradigma hujus modi.

HUjus sexti adornandæ Confirmationis Panegyricæ modi paradigma præbet

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II. Panegyris sacra de Sancta *Catharina*, Virgine Alexandrina, quam hic subjicio.

ORATIO.

Sententia Sacra. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Prov. 31. v. 10.

Thema Orationis: *Sancta Catharina, Virgo Alexandrina, est mulier fortis.*

Partitio Thematis: 1. *Fortis: mentis sapientia, qua devicit Philosophorum sapientiam.* 2. *Fortis: animi constantia, qua devicit Cæsaris Maximini potentiam.*

EXORDIUM.

Ingressus à contrario. *Imbecillitas, sive illa sit intellectus, sive voluntatis, adeo communis est mulieribus, ut hæc dos earum veluti propria esse censeatur. Adferte, si potestis, fortem virili mente, & animo fœminam; quid? nisi quoddam naturæ, à communi cursu aberrantis, prodigium adferetis. Parcite bonæ mulieres! Si rem, auribus fortasse vestris ingratam, ac creditu difficilem, videor attulisse. Non meum, sed Divini spiritus pridem hoc de vobis est effatum, qui apud Salomonem, de re quasi rarissima, solicite percunctatur:* Mulierem fortem quis inveniet? *Ac ut rem omnino raram, nec nisi in ultima mundi thule reperiendam, hanc esse avem significet, confestim respondet:* Procul, & de ultimis finibus pretium ejus. *Magna igitur laus, magnum encomium, si cui mulierum ex vero tribui queat.* Mulier fortis.

De-

Descensus cum propositione. *Advertite jam* chari Auditores, *quanto laudis encomio Virginem* Catharinam *hodie sumpserim celebrandam. Est hæc Virgo illa, toto quondam oriente celeberrima, de qua perinde, ac olim Sapiens de sua, merito dicere possum:* Mulier fortis, *cujus pretium procul omnino, ac de ultimis tantummodo finibus, venit repetendum.*

Partitio thematis: *Hanc porro præclaram* Catharina *fortitudinem, in eo maxime exhibuit genere, in quo cæteræ plerumque mulieres mentis, & animi excelsioris inopia solent esse imbecilliores. At* Catharina *suam in utroque probavit fortitudinem. Erat mulier fortis mente, fortis animo. Maximinus equidem Cæsar multis egit, ut hanc in ea mentis fortitudinem infirmaret: quinquaginta Sapientissimos, quos è tota Ægypto habere poterat, Philosophos ad eam, disputatione pervincendam, congregavit; verum omnibus superior exstitit* Catharina; *vel ipsam perspicacissimam Philosophorum devicit sapientiam. Ubi hac se nihil arte profeciisse videret Maximinus; vertit arma ad debellandam ejus animi fortitudinem, qua postmodum devicta facilius mentem expugnandam credebat. Quare potissima amoris, ac timoris tela corripit; sed excelsam* Catharinæ *constantiam, nec ista vincere potuere: superior exstitit vel ipsa Maximini potentia. Verbo: fuit* Catharina *mulier fortis mentis sapientia, qua Philosophorum devicit sapientiam. Fuit fortis animi constantia: qua Maximini Cæsaris superavit potentiam. Ordiamur.*

PARS

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

PARS I.

SANCTA CATHARINA MULIER FORTIS MENTIS SAPIENTIA, QUA PHILOSOPHORUM DEVICIT SAPIENTIAM.

Prima divisionis pars probatur per narrationem Oratoriam, ab adjunctis antecedentibus, comitantibus, & consequentibus petitam; sive (ut alii dicunt) per initium, medium, & finem narrationis.

Eja! agite, Auditores, lustremus primum gloriosæ illius pugnæ arenam, in qua Virgo Catharina *cum quinquaginta delectissimis Philosophis fortissime dimicavit, ac immortali sua gloria victoriam retulit tanto celebriorem, quanto nobilius est pugnare mente, quam corpore, minusque mulier tam mente fortis esse putatur, ut de tot, & quidem sapientibus, viris victoriam possit reportare.*

I. Antecedentia, sive initium narrationis. *Alexandria, ab Alexandro, Rege quondam fortissimo, urbs hoc nomine compellata, erat tunc Cæsaris Maximini, in Ægypto commorantis, sedes, idolorum domicilium, totiusque ethnicæ superstitionis quoddam veluti propugnaculum, ea tempestate, tota Africa famosissimum. Hæc fuit glorioſi hujus certaminis, & victoriæ theatrum: non sine singulari Divinæ Providentiæ consilio constitutum, ut quemadmodum Crux Christi Hierosolymis, in urbe totius Judææ celeberrima, de mundo, ac dæmone triumphavit; ita* Catharina, *Christi cultrix fortissima, Alexan-*

xandriæ, in urbe Ægypti nobilissima, defixo Crucis Christi trophæo, immortalem de gentilitate victoriam reportaret. Incolebant eam Christiani quoque, sed perpauci; at in paucis etiam patuit, quid Christi virtus possit, nimirum: in ipso etiam gentilitatis regno, vel cum paucis pugilibus, innumeram ejus multitudinem valeat debellare. Hi gentilium furorem veriti, primum tectis se suis solicite continebant, ne quam insanienti populo injuriæ occasionem darent; sed timor postea versus est in audaciam, tanto majorem; quanto amplius antea timuere. Dolebat Maximino, vel perpaucos hac in urbe Deorum inimicos reperiri; dat edictum, ut singuli Alexandrinæ civitatis incolæ idolis sacrificarent; ni extrema velint supplicia experiri. Spectate jam oculis Auditores, quantus ethnicorum frequentissima hac in urbe factus sit concursus! Certe, ubi destinatus ab Imperatore venerat dies, innumeræ statim Diis parantur hostiæ, sacrorum confluunt administri, delubra adornantur, plebs passim effusa: alii victimas ducebant, alii per vicos, & plateas gentile Numinibus carmen concinebant. Et quid Christiani? O miseros, & infelices! (si tamen miserum est pro Christo infelicem esse) metu perculsi, se latebris abdunt, ut quo probrosius, eo inde gloriosius extrahantur. Ferarum ad instar suis in cavernis taciti delitescunt; verum gentiles, jussu Imperatoris, tota eos urbe solicite odorantur. Vidisses tunc satellites, totidem veluti canes venaticos, ingenti latratu totam per urbem discurrentes, ut Christianos, ceu feras,

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

ras, è latebris excuterent: vel certe, tanquam leones, terribili rugitu circumeuntes, ut invenirent, quos devorarent. Atque ubi repererunt, incredibili jubilo, quemadmodum canes, capta jam præda, incendi solent, confestim ad fanum adducunt, ut vel victimas, vel thura, Diis adolerent. Feceruntne? fecerunt; sed metu in audaciam verso, acerras everterunt, idola conspuerunt, victimas conculcarunt, atque ultima potius subire tormenta, quam impia exequi jussa, se paratos esse palam edixerunt. Quid tunc Maximinus? Velut leo ira inflammatus, confestim dat in mandatis, ut quotquot Christiani Diis victimas offerre contempserunt, Deorum facti victimæ, extremis suppliciis maclarentur. Quare pars gladio perimuntur, pars rotis franguntur, pars igne concremantur. Et quid hæc inter Catharina? *Visa rei atrocitate miseram Christianorum sortem miserata; tametsi corpore virgo foret tenera, ætate annos nondum decem, & octo nata; at quoniam spiritu erat valida, virtute perquam matura, divinis, humanisque scientiis adeo exculta, ut eruditissimum quemque superaret; animo generoso, DEI amore, ac odio Idololatriæ perquam inflammato, parata ad ipsam, si sors tulerit, necem, quibuscunque tormentis perpetiendam, paucis comitata ancillulis, per medias ethnicorum turmas, ad ipsum, Diis tunc in templo thura offerentem, adit Maximinum.* Catharina! *quo properas? ergo fidem, quam DEO spopondisti abjicere paras? ergo idolis, spreto vero Numine, sacra facere cogitas? Regrede-*

re,

re, Catharina, *regredere: noli fidere viribus, noli constantiæ. Mulier es*: mulierem porro fortem quis inveniet? *Quod suscepisti, res est periculi plena; scriptum autem est*: qui amat periculum peribit in illo. *Frustra est*: Catharina *divino spiritu roborata, in DEO Optimo Maximo confisa, progreditur, perque medios satellites ad ipsum recta contendit Imperatorem. Vos, non dubito, putatis, ad hunc Tyranni tam atrocis aspectum, confestim eam exhorruisse? exhorruisset enimvero, nisi divina mentis fortitudine prædita mulier exstitisset. Vos linguæ officio, ut Cæsarem affaretur, præ timore, destitutam fuisse creditis? fuisset; nisi Divinus Patris Spiritus voces, quas loqueretur, ei suffecisset. Hic nempe illud Christi impletum est* (a): Ad Præsides, & ad Reges ducemini, propter me, in testimonium illis, & gentibus; cum autem tradent vos: nolite cogitare: quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. *Locuta est* Catharina, *Divino spiritu, mentis suæ fortitudinem animante*: non enim vos estis *(ait Christus)* qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Et ita quidem (quod stupete) locuta est, ut Maximinum, summum orbis terrarum Imperatorem, hostem Christiani nominis infensissimum, hominem non ferum, sed ipsam feritatem, in maximo ethnicorum, sacra facientium, conventu sacrilegii ausa sit accusare, immanitatis coargue-*

a) *Matth. 10. v. 18.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

guere. *Postea: sapientissimis Christi fidem rationibus ita adstruxit, ut persuasisset; nisi Maximinus, Christianorum pestis, & exitium, ad tam valida* Catharinæ *momenta, mentem, & aures penitus obstruxisset. Heus (inquit) Imperator! quid agis? Ergo tu, cujus potentiam orbis admiratur, hæc ex auro, argentoque conflata, quæ si volueris, in mensæ tuæ abacos statim commutare potes, simulacra, Deorum loco habes, & adoras? Has tu mutas è lapide imagines, ab hominibus, ut tu es, mortalibus fabricatas, quas in singula momenta confringere vales, tibi vitam, ac regnum impertiri posse credis? Ah hisne ligneis statuis, quæ ne à rubigine quidem, aut pulveribus, quo minus obsideantur, exedanturque, se tutos præstare possunt, victoriarum felicitatem expectas? Pudeat Imperatorem, pudeat! coram vilissimis semet lignis, ac lapidibus prosternere, quem orbis universus, ceu Dominum, prostratus veneratur. His, vel certe persimilibus, argumentis adorta est Maximinum* Catharina, *quod heroicæ profecto, ac inter virilis gloriæ decora numerandæ, fortitudinis insigne est monumentum. Meminimus Divum* Georgium *Martyrem decreta Principis voce liberiore perstrinxisse: meminimus beatissimum* Laurentium *Tyranni crudelitatem coarguisse: meminimus* Theodorum *Martyrem usque adeo Imperatoris furorem despexisse, ut quo acerbiorem sibi hostem faceret, ipsos etiam Deos male mulctârit. At hi fortes pectore viri fuere;* Catharina *porro Virgo erat ætate tenella, sexu im-*

be-

becillis; & tamen tam facinus audax, & generosum, ausa perpetrare; quid? nisi mulierem ingenti mentis fortitudine præditam esse oportebat? Neque enim tantum animi sibi sumere mulierum ulla auderet; nisi mulier mente omnino fortis esset.

II. Comitantia, sive medium narrationis (a). Sed hæc initia tantummodo fuere præclaræ fortitudinis, quibus, ceu pugnis levioribus, magno illi certamini, & insigni victoriæ, de Philosophis reportandæ, Catharina præludebat. Furebat quidem Maximinus ad tantam puellæ unius se coarguentis, ut credebat, temeritatem; at una eximia formæ illius pulchritudine, & quæ in ea longe adhuc pulchrior erat, mentis sapientia captus, ne gravius statim in eam adverteret, amor, & admiratio severiora tantisper consilia prohibebat. Quare mitioribus cum ea, interim in palatio custodita, consiliis agendum ratus, doctissimos quosque totius Ægypti Philosophos accersiri jubet: DEO ita singulariter providente, ut Catharinæ sapientia, & mentis fortitudo, ex tot sapientissimis Ægypti Philosophis, feliciter superatis, toto glorioſius orbe resplenderet. Ac, ut suos ad certamen pugiles Maximinus accenderet, ingentia præmia decernit, quisquis Catharinam, à Christo abductam, ad cultum idolorum traduceret. At non est consilium contra Dominum. Convenere quidem Philosophi

a) *Amplificatum per exempla Biblica juxta modum amplificandi tertium, & modum deducendæ Panegyris septimum.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

omnino quinquaginta, in ipso Cæsaris palatio, ut majorem victoria ex ipso loco celebritatem acciperet; populo ad spectaculum adeo novum undique confluente, ut triumphi feliciter reportati, quo plures, eo testes forent certiores. Sed quid? deviceruntne Catharinam? *Quis vincat mulierem excelsa mentis fortitudine præditam? Incredibile dictu! quanta perspicuitate, quanta sapientia, omnia Philosophorum, ex ipsis, quos attulerant, Poetis, argumenta confutarit, DEI cœlorum conditoris unitatem, Christi vero Divinitatem, ex admissis Sybillarum carminibus, ita clarissime demonstrârit, ut, quod opponerent, non modo non haberent; sed præterea* Catharinæ *sapientia convicti, omnes ad unum, ipso Cæsare, ac populo inspectante, Christo nomen darent. O insignem* Catharinæ *victoriam! O mentis fortitudinem nullis profecto laudibus ex æquo satis celebrandam! Quam ut melius perspiciatis, dispicite,* Auditores, *singula hujus triumphi adjuncta, atque inde certaminis, & victoriæ magnitudinem æstimate. Primum: quæ vicit, mulier erat; qui victi sunt, viri fuere. Quæ vicit sapiens erat, sed una; qui victi sunt, sapientes fuere; sed quinquaginta. Quæ vicit virgo fuit annis tenera; qui victi sunt ætate jam adulti extitere. DEUS* Jabin, *Chananæorum Regis, potentiam, quoniam populum Israelis vehementer oppressum ibat, decrevit humiliare* (a): Humiliavit DEUS in die illo Jabin Regem Chanaan coram filiis Israel. *Ad hoc porro exequendum, no-*

a) *Judic. 4. v. 23.*

novum delegit bellandi modum: Nova bella elegit Dominus (*a*). *Cujusmodi bella?* *An forsitan novus, & nusquam visus agminum, turmarumque fuerit ordo?* *An nova arma?* *Novæ machinæ?* *Nova stratagemata?* *Nil eorum.* *Quid igitur?* *A parte Chananæorum, qui victi sunt, viri fuere: à parte autem Israelitarum, quæ vicit, mulier erat.* *Ecce novum, ac insolitum, quod Dominus elegit, bellum! Nam ad opprimendam* Jabin *Regis potentiam, non delegit* Barac *Israelitici exercitus Ducem, sed* Deboram, *mulierem, quæ novam, quia à fœmina relatam, de* Sisara *Chananæorum duce, totoque ejus exercitu, victoriam reportavit*: In hac vice victoria non reputabitur tibi, *nimirum Barac*, quia in manu mulieris tradetur Sisara (*b*). *In hac vice, ait; à muliere enim viros vinci, adeo est novum, ut* hac vice, *id est: semel, plura inter sæcula, velut quidpiam inauditum, soleat evenire.* Nova bella elegit Dominus. *Porro si adeo glorioſa fuit, vel idcirco, hæc* Deboræ *victoria: quoniam unius, quadraginta tamen virorum armatorum cohortibus stipatæ, mulieris virtute fuit indepta; quanto majori admiratione dignior censenda est victoria* Catharinæ, *quam mulier una, sed nullo comite, nullis armis, nullis gladiis, sola mentis sapientia, de viris, & quidem quinquaginta sapientibus, est consecuta?* *Vere* nova *hic* bella elegit Dominus. *Victoriæ eo semper major est gloria, quo sunt pauciores, qui vincunt; plures vero, vel certe fortiores,*

a) *Judic. 5. v. 8.* b) *Judic. 4. v. 9.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

qui vincuntur. In Goliath, Gigante Philistæo, semper magnopere fui admiratus modum, quo Saulis *pugiles ad certamen singulare provocabat*: Eligite *(inquit)* ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen (*a*). *Acsi diceret: ex toto exercitu vestro seligite virum, quemcumque volueritis, unum, qui singulari mecum prælio manu ad manum audeat decertare. Eccur, ait, eligite virum, non item viros? Nunquid Goliath statura (ut sacræ perhibent literæ) erat altitudinis sex cubitorum, & palmi? Sua igitur corporis mole, ac proceritate, tres, imo plures, æquabat viros. Quid enim Davidi, Goliam prosternenti, mulieres accinebant?* Percussit Saul mille, & David decem millia (*b*). *Gigantem igitur occidendo decem millia peremit David; & tamen vir, decem millium cladi comparatus, unum solummodo virum singularem in certamen audet provocare? Verum novit* Goliath: *nec Herculem esse contra duos: quantumcunque unus aliquis audax, & validus sit Gigas; haud tamen, vel difficile, virum unum cum pluribus, pari fortitudine præditis, congredientem, posse prævalere, idcirco ait:* Eligite ex vobis virum, & descendat ad certamen singulare. *O quam delusam se hodie cerneret Goliæ Gigantis arrogantia, si ad spectandum* Catharinæ *certamen consurgeret: videret enimvero non plures, sed unam, & quidem mulierem, adversum quinquaginta viros, eosque sapientes, ac idcirco totidem quasi Gigantes, in arenam descendere: cum enim*

a) *1. Reg. 17. v. 8.* b) *1. Reg. 18. v. 7.*

enim quilibet Philosophorum suæ princeps fuerit scholæ, erat eorum unusquisque veluti Gigas; quot ergo sapientes, totidem Catharina *devicit Gigantes: quod certe ejus victoriam multo reddit illustriorem. Durum est æquis utrinque armis pugnare: durius vincere: longe adhuc durissimum, hostem, multo viribus superiorem, debellare.* Catharina *mulier equidem sapiens erat. Sed una; Philosophi sapientes fuere, sed quinquaginta; iique tota Ægypto nobilissimi; & tamen* Catharina *una sapiens, non unum, nec utcunque multos, sed omnes omnino, tot, taleque debellavit sapientes, qui se ab una muliere victos, profligatosque, fateri haud erubuere.* Abimelech, *armata manu oppidum* Thebes *ingressus, cum nihil reliquum, turrim præter, expugnandum haberet: ostio ignem apposuit. Et ecce! mulier una, fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. Quid agit Abimelech?* Evagina [*inquit* (a) *armigero*] gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sum. *Tam probrosum est viris illustribus, cujusmodi* Abimelech *erat, ab una muliere se victum audire, ut elegerit necem potius sibi inferri, quam talem ignominiam sustinere. Quid Philosophi nostri? Hi non modo errorem agnoverunt; sed erroris à* Catharina *se convictos palam sunt professi. Pensate jam Auditores: quanta esse debuerit* Catharinæ *mentis fortitudo? quam insignis victoria? Cum mulier una de tot viris: sapiens una de tot*

a) *Jud. 9. v. 54.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

sapientibus: ætate tenera de tot adultis eam reportavit. Erraſtis enimvero, O pictores, quotquot Catharinam, *in imaginibus hactenus pictam, propoſuiſtis. Debebatis enimvero de quinquaginta Philoſophis victricem, non duabus tantum, virginitatis nimirum, & martyrii, ſed quinquaginta etiam palmis glorioſam exhibere. Addite igitur ejus manibus inpoſterum, non jam duas, ſed quinquaginta palmas, quas* Catharina *inſigni mentis ſapientia, & fortitudine de tot ſapientibus eſt conſecuta.*

III. Conſequentia, ſeu finis narrationis (a). *At nondum ſatis ad prædicandam* Catharinæ *mentis fortitudinem. Solet victoria, haud ita ex initio, aut progreſſu proſpere geſto, quam ex fine, ejuſque fructu, potiſſimum æſtimari. Quid proderit bello feliciter decertare, ſi nullus victoriam belli fructus conſequatur?* Catharina *quinquaginta Philoſophos erroris convicit; quod equidem magnum eſt: ſed cum ita convicerit, ut una Chriſto adjunxerit; hoc profecto majus eſt: & cum hi poſtea, Chriſti amore incenſi, vitam, & ſanguinem profuderint; hoc enimvero maximum eſt: quoniam ſummus, qui eſſe poteſt, victoriæ fructus eſt Chriſtianæ. Magnis celebrantur laudibus* Auguſtini, *Hyponenſium Epiſcopi, habitæ in aſpectu totius Africæ concertationes, quas primum habuit cum* Fortunato Manichæo; *dein cum* Felice *ſimiliter* Manichæo; *poſt cum* Fortunio Donatiſta; *demum cum* Emerito *rurſum* Donatiſta. *In his certaminibus* Au-

a) *Pari modo, ac narrationis medium, ampliſicatus per exempla.*

Augustinum *vicisse erat quidem glorioſum; haud tamen perinde, ac quod victi ſe victos profeſſi, ad fidem, quam negabant, ſint traducti. Hoc certe clariſſimo Eccleſiæ propugnatori tanto victoriam fecit ſplendidiorem; quanto ſæculis omnibus rarius eſt de Hæreſiarchis victorias ita reportare. De* Gregorio *Magno velut grande quidpiam ſacræ memorant hiſtoriæ, quod* Eutichen *ſingulari certamine victum ad Eccleſiæ gremium traduxiſſet; at quot ſunt, qui victi equidem ſunt; haud tamen traducti? Victus aſpectante Papa* Zephirino *à* Cajo Proclus Montaniſta; *an etiam traductus? Victus in concilio Antiocheno* Paulus Samoſatenus; *an perinde traductus? Victus ab* Archelao Manes Manichæus; *at nunquid traductus? Victus à* Cyrillo *Alexandrino* Neſtorius, *à* Maximo Pirhus, *à* Cæſario Julianus, *ab* Hieronymo Helvidius, Jovinianus, Vigilantius; *an propterea ab erroribus ad fidei veritatem traducti? O quam glorioſa eſt victoria tua* Catharina! *Viciſti quinquaginta Philoſophos; verum ita viciſti, ut vi, ac ſublimitate certaminis tui victos traduxeris ad Chriſtum, rejectis idolis, profitendum. Hoc enimvero* (a) *perinde eſt, ac quod ſacræ de virga Aaronis ajunt* (b) *literæ:* Devoravit virga Aaron virgas eorum. *Non eſt quidquam, quod æque theatri hujus Alexandrini typum præferret, ac iſtud famoſum Mem-*

a) *Amplificatio per exemplum à novis difficultatibus amplificatum, juxta modum Tomul. I. pag. 711. relatum.* b) *Exod. 7. v. 12.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

pheos in Ægypto, in quo barbarus Pharao prælusit Maximino. Stabant illinc Moyses, & Aaron; isthinc Magi totius Ægypti: Rege, & aula eventum præstolante. Quid fit? Tulit Aaron virgam, projecitque, ut præceperat Dominus, coram Pharaone, & servis ejus: & ecce! versa est in colubrum. Quid Pharao? vocat sapientes, magos, & maleficos, ut incantationibus, & arcanis Ægyptiacis, eadem exequerentur. Quare projecerunt singuli virgas suas, & ecce! versæ sunt in dracones. Verum stupete! Devoravit virga Aaron, virgas eorum. *Hic jam sistamus parumper, Auditores, ac dispiciamus: cur sacræ inquiunt literæ:* devoravit? *Ergo non satis erat Magorum serpentes à Moysis serpentibus occidi, ac interimi; sed præterea oportebat eos devorari? Cur ita? Dicam; at prius sinite, ut explanem, quod de Petro, Principe Apostolo, memorant acta Apostolorum. In civitate* Joppe, *apud Simonem Coriarium, versabatur Petrus. Sub horam orationis sextam ascendit domus superiora, ut ab arbitris remotior, ardentius DEUM illic precaretur. Ecce! in mentis excessu, cœlo aperto, videt vas quoddam, magnum velati linteum, quatuor initiis, id est: angulis, vasis ad instar, vel utris quadrati, constructum de cœlo in terram submitti, quo omnia quadrupedia, & terræ serpentia, & cœli volatilia fuere comprehensa. Repente fit vox ad Petrum:* surge Petre, occide, & manduca (a). *Quid* Petrus? *occidit? manducavit? Imo ani-*

mam-

a) *Actor. 10. v. 13.*

mantium immundorum horrore correptus, absit, inquit, Domine: quia nunquam commune, & immundum manducavi. Verum quid times, O Petre? occide, manduca! Hoc imperat Deus: quod ille porro imperat, hoc perpurgat; quod perpurgat, cave dixeris commune, & immundum: libere occide, occide, & manduca! Manducasset enimvero, nisi DEUS, vase in cœlum recepto, hac manducatione grandius quidpiam, ac divinius intellexisset. Vas linteum est Ecclesia: quatuor initia sunt quatuor evangelia, quibus per quatuor mundi plagas dispergitur Ecclesia: animalia sunt homines: munda Judæi; immunda gentiles, è quibus conflatur Ecclesia. Hos ergo Petre occide, & manduca, id est: ab erroribus gentilitatis abductos, quasi occide: & ad Ecclesiæ corpus, ac gremium adjunctos, quasi manduca: quemadmodum cibus comestus vertitur in substantiam comedentis. Non meum, sed Divi Gregorii, rem ita (a) *explicantis, est effatum:* Ipsi *(inquit)* primo Pastori, quasi hujus leænæ ori dicitur: macta, & manduca. Quod mactatur quippe, à vita occiditur: id vero, quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo, & manduca dicitur, id est: à peccato eos, qui vivunt, interfice, & à se ipsis illos in tua membra, id est: in novam Societatis Ecclesiæ vitam converte. *Jam advertite: quomodo* virga Aaron devoravit virgas eorum? *Nempe: pugna hæc Mosaicorum serpentum cum serpentibus magorum fuit imago,*

a) *Apud Corn. à Lapide in Cap. 10. Actor. Apost.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

& figura illius pugnæ, & victoriæ, quam sapientia Christiana de gentilibus solet reportare. Non satis est autem in fidei certaminibus hostes occidere, id est: erroris convincere; sed præterea opus est devorare, manducare, & aggregare; quemadmodum (ut ante dixi) cibus manducatus vertitur in substantiam manducantis: Occide, & manduca. *Hujusce modi fuit victoria* Catharinæ. *Non solum illa Philosophos occidit, id est: erroris palam convicit; sed præterea eos devoravit, id est: à falsa sectarum suarum superstitione ad veram Christi fidem, quam impugnare contendebant, convertit: ex membris Diaboli Christi membra effecit: in Ecclesiæ corpus, fuso postea sanguine irrigatum, cooptavit. Verbo:* Virga Aaron virgas eorum devoravit. *Quod ubi Maximinus conspexisset, incredibile dictu est, quanto protinus furore exarsit. Jubet confestim rogum exstrui, ac quinquaginta Philosophos una eo injici. Quid illi? flammas conspicati, Virginis Sanctæ pedibus affunduntur, multas inter lachrymas ardenter orant, ut admissorum in cæcitate criminum veniam impetraret. Virgo autem* Catharina *cum videret mendacium à veritate, vanam humanæ Philosophiæ sapientiam à Christi sapientia, falsos Deos à vero DEO debellari, ingenti gaudio perfusa, primum DEO Præpotenti gratias agere, tum eos corroborare, solari: futurum, ut, hoc igne ab omni prorsus labe expiati, recta cœlum petant. Ita evenisse miraculo DEUS comprobavit: nam Christiani sacra busta clam collecturi, reperiunt eorum corpo-*

pora, ne pilo quidem desiderato, salva, & integra perstitisse.

Complexio I. partis. *Quis jam non videat? quis non obstupescat? in hac victoria, sive ejus initium, sive decursum, sive exitum spectemus, insignem Virginis fortitudinem? Desine jam ergo sapiens, desine, percunctari:* Mulierem fortem quis inveniet? *En* Catharinam! *mulierem illam, licet ætate teneram, sexu imbecillem, mente tamen vere fortem, non de ultimis (ut dixisti) mundi finibus repetendam; sed Alexandriæ, urbe Ægypti notissima, inveniendam. Quam Divina sapientia ea prædidit mentis excelsitate; ut immortalem de quinquaginta Philosophis victoriam sit consecuta. Vere mulier fortis etiam animi constantia, quam nec Cæsaris Maximini, barbara licet, potentia valeat superare.*

Digressio moralis. *Insigni vestro, O mulieres, opprobrio, & documento, quæ, innata vobis inconstantia, mentes omni arundine geritis mobiliores, quas vel minimo tentationum impulsu partem in omnem sinitis agitari, pravis cupiditatibus abripi, non sine gravissimo (ut sæpe fit) integritatis, & pudicitiæ vestræ, ac, quod inde consequitur, salutis detrimento. Profecto de vobis merito sapiens quærere potest:* mulierem fortem quis inveniet? *nec Divinus aliter respondere poterit Spiritus; quam* procul, & de ultimis finibus pretium ejus.

PARS

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

PARS II.

SANCTA CATHARINA MULIER FORTIS ANIMI CONSTANTIA, QUA CÆSARIS MAXIMINI DEVICIT POTENTIAM.

Altera divisionis pars probatur syllogismo tripartito, subdivisionem complectente: Ad expugnandam animi constantiam potentissimi arietes sunt amor, & furor. Utrumque adhibuit Cæsaris Maximini potentia; attamen nec amore, nec furore potuit Catharinam ab animi sui firmitate dimovere. Ergo Catharina fuit mulier fortis animi constantia, qua Cæsaris Maximini devicit potentiam.

Postquam Cæsar Maximinus nihil se memoratis artibus profeciſſe videret in mentis ſapientia Catharinæ *devincenda; voluntatem aggreditur, qua expugnata facilius (ut dixi) mentem quoque expugnandam credebat. Verum in cautem incidit Marpeſiam. Etſi ſæviſſimis fuerit fluctibus impetita; ſtat tamen conſtans, & firma, nullis à propoſiti firmitate motibus dimovenda.*

Major. *Sunt amor, & furor, bini, validiſſimi profecto, arietes, ad animi murum in viro unoquovis, etiam fortiſſimo, pertundendum.* Minor. *Omnem quidem Maximini potentia moverat lapidem, ut tenerum* Catharinæ *animum ad ſuum arbitrium inflectere poſſet. Evocavit eapropter in ſuppetias amorem, ſimul & furorem, ut eorum potentiſſimis auxiliis* Catharinæ *conſtantiam debellaret; ſed ea fuit invictæ*

Mar-

Martyris fortitudo; ut nullis, seu amoris, seu furoris, artibus ab animi sententia potuerit avocari. Quod certe tanto est admirabilius; quanto illud in tenella virgine videtur esse incredibilius.

I. Pars subdivisionis: S. Catharina ab animi constantia non potuit dimoveri amore. *Amor in eo potissimum elaborabat, ut* Catharinam *blanditiis caperet, promissis deciperet, spebus deliniret. Quid* Catharina? *an blanditiis capta? an promissis decepta? an spebus delinita? Sunt spes, & blanditiæ adeo potentia ad expugnandos, mulierum præsertim, animos armorum genera, ut nisi excelsa quadam fortitudine sint præditæ, facillime iis capiantur. Reflectite* (a) *vos in vosmetipsas, O mulieres! Quoties procacioris cujuspiam adolescentis, aut viri, blandimentis corda vestra expugnantur? Quoties oblatis munusculis decipiuntur? pecuniis corrumpuntur? vana conjugii spe, ac promissione, non sine æterno famæ, ac pudicitiæ vestræ detrimento, deluduntur? Non opus est hoc tristibus, unde unde conquisitis, exemplis comprobare. Utinam, utinam nulla posset hæc urbs, hic locus, hoc templum, hic auditorum concursus, rei hujus aliqua fortasse præbere monumenta, nunquam satis deploranda! Nil eorum cepit* Catharinam. *Aggressus est quidem eam Maximinus & blanditiis, & promissionibus, ac, ut iis validius ageret, prius bonis eam paternis spoliavit, de gradu avitæ nobilitatis deturbavit, in carcerem*

a) *Amplificatio per moralem digressionem juxta modum amplificandi quartum.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. I.

rem conjecit, dierum undecim inedia maceravit, ut sic, sine opibus, sine honore, sine cibo, sine auxilio, ad incitas redacta, recogitaret, quarum nempe rerum jacturam fecerit sua pertinacia, quidque metuendum haberet, si Cæsaris iram porro contemneret; quid sperandum vero, si tam tenere amanti, ac blandienti, obtemperaret. At prius, quam ipse amoris artes adhiberet, Imperatricem ablegat. Hæc miseram præclaræ puellæ sortem miserata, omnibus blanditiis, & machinis quam fortissime egit, ut eam à Christi cultu avocaret. Sed, O miram DEI benignitatem! longe res aliter cessit, quam illa cogitabat; Cæsar vero cupiebat. Nam, quæ se victricem fore credebat, en ipsa erroris est convicta. Quæ Virginem ab se ad Christum ejurandum impellendam existimabat; ecce ipsa, Virginis sanctæ Divina prorsus eloquentia, ad Christum profitendum est compulsa. Præcessit ad martyrium, à quo dehortari volebat, ut postea lætior eam Catharina consequeretur. Similiter subiit carcerem Dux militiæ Prætorianæ. Quidquid ars amandi, ac blandiendi habet periculosius, atque accommodatius, ad eos, qui sibi minus cavent, decipiendos; id omne adhibuit ad constantiam Catharinæ labefactandam. Verum, O summam hic quoque DEI potentiam! Istud etiam longe evenit secus; quam putabatur. Nam & hunc Divino Spiritu validis adeo momentis aggressa est Catharina, ut abjectis idolis, persuaso Christi cultu, Martyrem effecerit gloriosum. His inopinatis eventibus ne statim in arena ad extremam delabere-

tur

tur crudelitatem Maximinus, prohibebat insanus, quo perdite Virginem deperibat, amor, persuasitque, ut mitiora prius amoris remedia ipsemet pertentaret. Educitur ergo è carcere ad ipsius conspectum Imperatoris, maximo, qui esse poterat, apparatu. Adventantem conspicatus Imperator (miremini!) assurgit, obviam procedit, sereno vultu, ore renidenti, verbis, quam poterat, blandissimis affatur. Regium thalamum exhibet, nuptias offert, sceptra, purpuram, coronas ostentat: orat, promittit, jubet, minitatur. Et quid Catharina? *Hisne artibus capta? stupete! ætate licet esset tenera, sexu fragilis, corpore imbecilla, nihilominus ut suam Cœlesti Sponso, quem in carcere aspectabilem habere promeruit, fidem conservaret, stupente mundo, frendente tartaro, plaudente cœlo, incredibili constantia contempsit blandientis Tyranni fucatam benevolentiam, sprevit promissa, rejecit coronas, verbo: Tyrannum omnibus in se amoris artibus depugnantem vicit, exarmavit. Hæc nempe Christianæ virtus est fortitudinis, ut, si altas in hominum animis radices agat, nullis valeat machinis superari.*

II. Pars subdivisionis: S. Catharina ab animi constantia non potuit dimoveri Maximini furore. *At quodnam se se oculis nostris spectaculum objicit* Auditores? *En! video Maximinum ab amore in furorem versum adversus* Catharinam: *ut, quantum antea amabat, tantum modo aversetur. Videns spem suam evanuisse, conatus in irritum recidisse, pudore sus-*

sus-

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

funditur, quod ab una muliere victus contemptusque esset; quem tamen orbis veretur universus. Quare in furorem actus, infirmiorem hominis partem, corpus nempe, adoritur, omnibus, quæ furor cogitare potest, suppliciis excruciandum. O Superi! possumusne tam tetrum, tam tragicum apparatum, vel fingere, quin horreamus? Duarum ante horarum spatio, quam ad destinatum educeretur supplicium, crudelissimi carnifices, sine ullo miserationis sensu, tenerum Sanctæ Virginis corpus, acerrimis flagellis, acutissimis ferreis pectinibus, cataslis, equuleis dirum in modum dilaniarunt, adeo, ut Catharina, *virgo utpote tenerrima, in his cruciatibus animo sane concidere debuisset; nisi Divino spiritu roborata, mulier omnino fortis extitisset. Post: ad constitutam crudeli supplicio arenam producitur: cingunt latera circumfusi satellites, vultus ferocitate animi atrocitatem superantes: vinctis post terga manibus trahitur, atque ad supremam pugnæ stationem profertur, ubi jam rota feralis eam operiebatur. Vos putatis* chari Auditores, *Catharinam viso apparatæ crudelitatis instrumento terrore correptam in sua cepisse nutare constantia? Erat quidem rota hæc novæ molis inventum, ferreis aculeis, acutisque novaculis præfixum, quæ secretis machinamentis, & lento motu efficere debebat, ut in omnibus simul membris Virgo torqueretur. Videbatur eam ipsa barbaries, non ab alio, quam à rabie, ac furore movendam, excogitasse. Exhorruerunt quotquot in eam oculos vel leviter conjecerunt; sola* Catharina *timoris*

expers

expers intrepide intuebatur. Sed ostendit, quid prœpotens possit DEUS? Molem hanc formidandam momento, velut vas quoddam figuli, confregit: tanquam vas figuli confringentur, *inquit Joannes* (a). *Audito hoc prodigio desistitne à furore Maximinus? imo, velut leo, magis irritatus, jubet extemplo Sanctæ Virginis caput amputari, quod illa securi ita generose subjecit, ut majori constantia jerientis ictum visa sit excepisse, quam satelles armatus crudelitate intulisse. O eximiam* Catharinæ *fortitudinem! O constantiam nunquam satis admirandam! Dignam! quam novis, ac illustribus à morte prodigiis rursum exornet DEUS. Statim, ac lictor cervicem abscidit, lac cum sanguine effunditur: adsunt Cœlestes Spiritus, qui sanctum Divæ corpus, ne impuris manibus contrectetur, in montem Sina deportent, quod in gloriæ cumulum Angelicis postea concentibus honoratur.*

EPILOGUS.

Cum repetitione, motu, & morali digressione. *O magne DEUS! quam admiranda est potentia tua in tuarum infirmitate creaturarum. Quod, oro, dignius admiratione prodigium esse potest; quam videre Virginem* Catharinam, *ætate, sexu, viribus infirmam; tuo tamen sapientiæ spiritu ita animatam, ut doctissimorum quorumque Philosophorum sapientiam queat superare? Sic tua cœlesti gratia repletam, ut Cæsaris Maximini, seu perdite amantis, seu*

a) *Apoc. 2. v. 27.*

CAPUT II. ARTIC. VI. §. II.

crudeliter furentis, potentiam valeat exarmare? *Hæc est profecto mulier illa fortis, quam sapiens in ultimis tantum mundi finibus ait esse quærendam; at nos eam in urbe Alexandrina reperimus, præclaro nobis exemplo futuram, è qua disceremus, quam nos mente, quam animo, fortes esse oporteret. Ast heu! vereor magnopere, ne fortasse hujus suæ fortitudinis paucos admodum habeat* Catharina *æmulatores. Quomodo enim perferemus Tyranni cruciatus, qui nescimus verbum quoddam asperius silentio præterire, injuriam dimittere, contemptum tolerare? An promittere possimus nos fortes, firmos, constantesque perstituros, qui cuticulam delicate fovemus, crucem vel minimam refugimus, adversitate etiam modica dejicimur. Immortales certe DEO præpotenti agamus gratias, nullos modo tyrannos reperiri, qui fidem persequerentur. Non tot profecto minis opus esset, nec tanto supplicio-rum apparatu, ut illam ejuremus: cum levis cupiditas, exigua nominis existimatio, modica voluptas sæpe à virtutis tramite nos abducant. Quid fieret, si gravior tempestas, & procella cervicibus nostris impenderet? Quare Christiani fortes estote; ut, animi constantia in levioribus probata, graviora perferre valeatis, Dixi.*

ARTI-

ARTICULUS VII.

DE PANEGYRI SACRA PER LOCUM RHETORICUM, VEL AMPLIFICATIONEM.

§. I.

Præcepta hujus modi.

SEptimus deducendæ Sacræ Panegyris modus esse potest: per locum quemdam Rhetoricum, vel amplificationem, qui modus adhiberi poterit in Panegyribus vulgaribus, & brevioribus.

I. *Per locum Rhetoricum*, Loci Rhetorici varii sunt; huc deserviunt tres potissimum: enumeratio partium, opposita, & comparatio. 1. *Enumeratio partium.* Hujus ideam habes in Panegyri de Sancto *Francisco Assisinate*, ubi prima subdivisionis pars [nam eodem modo principalis etiam divisio adornari potest] tractatur per locum enumerationis partium in Orationis parte altera: S. *Franciscus Assisinas* rerum Christi amore relictarum centuplum accepit in terris: reliquit Patrem, centum in terris accepit Patres: reliquit Matrem, centum in terris accepit Matres: reliquit fratres, centum accepit fratres: reliqult sorores, centum accepit sorores &c. Elegantior est modus iste: si enumerationi fundamentum præbeat Scripturæ, vel Sancti Patris sententia, cum figura repetitionis, vel conversionis, maxime complexionis conjuncta.

CAPUT II. ARTIC. VII. §. I.

2. *Oppoſita.* Verbi cauſa: *S. Ignatium* laudares a zelo in hoſtibus Eccleſiæ retundendis: eleganter hoc inſtitues à contrapoſitis, ſive diverſis, ſibique oppoſitis, hoſtium, & Ignatii ſtudiis. Ita tertiam Panegyris ſuæ partem de *Sancto Ignatio de Lojola* adornat *Spiritus Fleſchier* Epiſcopus *Nemauſienſis.* Hujus modi ideam habes in parte Orationis tertia de Sancto *Ignatio* ſuperius jam allatæ. Hic etiam modus eleganter ornatur per figuram complexionis. 3. Fit per *Comparationem* unius cum altero, ut quod unus fecerit, idem alterum in eodem, vel pari, aut ſimili genere feciſſe oſtendas.

II. *Per amplificationem.* Duplicem modum adfero: 1. *Per adjuncta virtutum*, de quibus Tomulo (*a*) egimus priore, ſive cum virtus aliqua expenditur per ſenſus animi internos, vel corporis externos. Ut ſunt: intellectus, voluntas, memoria. Item: oculi, os, lingua, auris, manus, pedes &c. Actum quidquid ex rebus vitæ actis eo referri poteſt, brevius, vel fuſius percenſetur: allatis pluribus, vel pauciori-bus, hujuſmodi adjunctis; item ſervato, vel permixto eorum ordine, ut oratori libuerit. Rudem hujus amplificationis ideam habere potes in Panegyri de S. *Franciſco Aſſiſinate*, ubi, ab hujuſmodi adjunctis virtutis paupertatis, pauper fuiſſe oſtenditur.

a) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 2. Art. 7. §. 1. Num. 4. pag. 248.*

tur. Utere modo hoc; si tamen placet. 2. *Per exempla Biblica*, vel alia, cum apodosi ad propositum Panegyricum. Hic modus plerumque usurpatur, cum panegyricum dicendi argumentum est sterilius: vel certe cum membra divisionis probantur singulari quopiam sancti facto, vel exemplo, quod initio breviter refertur, postea exemplis Biblicis, vel aliis, pluribus, vel paucioribus, ex loco similium, vel dissimilium, aut contrariorum ductis, & ad rem pertinentibus, exaggeratur, urgetur, amplificatur. Per hunc amplificandi modum suas plerumque Panegyres adornat *Vieira* celebris Orator Lusitanus.

§. II.

Paradigma hujus modi.

SIngulorum, de quibus in hoc agimus articulo, paradigmata dare longum foret; solius amplificationis per exempla Biblica, aut alios Scripturæ locos, ideam damus ex *Antonio Vieira* (a), cujus Panegyrim de *Sancto Antonio*, hunc in modum elaboratam, contraximus, & arti hodiernæ magis appositam reddidimus.

ORATIO.

Sententia Sacra I. *Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum*

a) *Vieira parte 3. Serm. 7.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

mum, & quærit diligenter, donec inveniat? Lucæ 15. v. 8.

Sententia Sacra II. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Matt. 5. v. 15.

Thema Orationis: *Sanctus Antonius perditarum assertor animarum.*

Partitio Thematis: I. *Animarum carnis concupiscentia perditarum.* II. *Animarum rerum habendarum cupiditate perditarum.*

EXORDIUM.

Propositio (a). *Stabilita igitur utriusque Sacræ Sententiæ consensione, nec ego thema Evangelio conformius invenire, nec vos conducibilius aliquid desiderare poteratis, nec ipse Sanctus gratius aliquid, ac istud, exigere valebat. Hoc igitur esto sermonis argumentum:* Antonius perditarum assertor est animarum. *Ac ut animæ nostræ ab hac* Antonii *luce, omnibus equidem, uni tamen amplius, minus alteri, necessaria, opportunum salutis remedium percipiant, per eundem, tanquam Divinæ Matri perquam familiarem Cœlitem, supplices gratiam imploremus, ut eam bonus, ejus interventu,* DEUS *largiatur.* Ave MARIA &c.

Introductio ad partitionem. *Quemadmodum autem omni mortifero peccato perditur* DEUS;

a) *Ingressus, & descensus hujus Orationis refertur Tomulo I. pag. 430. repetere brevitatis causa præterimus.*

DEUS; ita nullum lethale dari crimen potest, quo non perinde perdantur animæ. Infinitus essem, si persingula scelerum genera progrediendum mihi foret, ut meæ Orationis propositum comprobarem. Quemadmodum drachma in uno tantum domus angulo fuit perdita; tametsi in pluribus perdi locis potuisset; ita mihi sat erit, si Divum Antonium *è duobus potissimum sceleribus, in quæ homines maxime prolabi; animæ vero plerumque perdi solent, perditarum assertorem animarum demonstravero. At quæritis: quænam ista sint peccata, in quæ prolabimur tam crebro, non sine gravissimo salutis detrimento? Advertite: quid sanctum hodie Evangelium dicat?* Mulier habens drachmas decem: *Mulier ait, & drachma. En bini illi scopuli, in quos toties allisæ merguntur animæ,* mulier, & drachma. *Alii perduntur per drachmam, sive pecuniam; alii per mulierem. Illos rerum habendarum excæcat cupiditas; istos carnis depravat concupiscentia: utrumque vitium adeo hominibus domesticum, & familiare, ut totum pene orbem malo suo involvere videatur. Ad cœlestem æternæ beatitudinis cœnam suos Evangelicus Paterfamilias convivas invitavit. Veneruntne? Primus ait:* villam emi (a), habe me excusatum; *alter ait:* juga boum emi quinque, rogo te, habe me excusatum. *Ecce in utroque rerum cupiditas! Tertius ait:* uxorem duxi, & ideo non possum venire. *Ecce carnis concupiscentia! Utrumque maxi-*

a) *Lucæ 14. v. 19. & 20.*

CAPUT II. ARTIC. VII. § II.

mum profecto hominis impedimentum, quo à cœlesti convivio plerumque animæ excluduntur.

Partitio: *Cum igitur bina hæc vitia sint quasi radices, unde cætera pullulant, & promanant: quemadmodum primi mulier Evangelii ad drachmam inveniendam accendit lucernam; ita alterum quoque evangelium eandem lucernam exhibet in candelabro jam accensam, ut intelligamus: Divum* Antonium Patavinum *esse lucernam, id est*: perditarum assertorem animarum, per quem animæ seu carnis concupiscentia, seu rerum cupiditate perditæ inveniuntur. *Hæc erunt bina Orationis capita. Favete.*

PARS I.

SANCTUS ANTONIUS ASSERTOR ANIMARUM CARNIS CONCUPISCENTIA PERDITARUM.

Prima divisionis pars probatur exemplo, ex vitæ actis deprompto, quod postea aliis scripturæ exemplis, & locis, ad rem pertinentibus, declaratur, urgetur, amplificatur.

Ordiamur à perditis carnis vitio animabus. Ad hoc commonstrandum non opus est conquisitis unde unde argumentis agere; unum tantummodo exemplum in medium adducam, ex quo satis superque admirabilem sancti Assertoris virtutem poteritis contemplari. Erat Monachorum unus aliquis, usque adeo acribus carnis tentationibus pulsatus, ut nec severiora jejunia, nec graviores corporis afflictationes, nec cætera, rigidio-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

dioris licet, pœnitentiæ opera, quicquam præsidii misero attulerint, ne his luctis, eo periculosioribus, quo magis domesticis, crebrius vacillaret; imo devictus palam succumberet. Videte! quantum arbores corruptioni obnoxiæ debeant metuere; cum nec ipsæ, & quidem in paradiso positæ, cypressi ab hoc vitio sint eximiæ. Quid igitur Monachus? Pro extremo tandem remedio ad Divum confugit Antonium, *Virum jam tum & doctrinæ, & sanctitatis fama conspicuum, cui omnia totius vitæ actæ crimina ex ordine recognoscit, conscientiæ vulnera detegit, pravas animæ affectiones aperit, verbo: remedium petit. Quid* Antonius? *Absit! ut imprudentum quorumpiam conscientiæ arbitrorum more hominis miseriam fuisset admiratus; minus, ut acerbe coarguisset; probe gnarus: quid olim in ea Christi* (a) *verba:* caro autem infirma, *pronunciârit* Tertullianus: *infirmitatem istam fortem esse violentiam. Monachum magna prorsus audit benignitate, solatur, opem adpromittit; at cujusmodi opem? Mente parumper collecta, surgit, seque in cubiculi recipit penitiora: ubi tunicam, qua amictus erat* Antonius, *exuit, ac, ut Monachus induat, præcepit; certus: nusquam futurum, ut deinceps vel minimo carnis motu pertentaretur. Ita evenit. Ah utinam, Auditores, hoc stupendum* Antonii *factum æqua satis lance sciretis ponderare!*

I. Exemplum Biblicum. *Judæi* Stephanum, *primum Ecclesiæ Martyrem, lapidatu-*

a) *Matth. 26. v. 41.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

ri, ut sacræ perhibent literæ, vestimenta ad pedes adolescentis deposuere, cui nomen erat Sauli, *post in* Pauli *nomen commutatum. Divus* Bernardus *ait: hæc indumenta, ad Sauli pedes deposita, non fuisse lapidantium Hebræorum; sed Stephani lapidati. At quo istud* Bernarde *argumento? Quem in finem? duplicem reponit: primum ex parte hominum; post ex parte DEI. Ex hominum parte eo consilio, ut illa custodiret. Ex parte vero DEI, ut Stephani vestimentorum virtute* Saulus *converteretur. Audite* Bernardum (*a*): Deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis, qui ad tactum sacrarum vestium erat convertendus. *Sublimis certe foret hæc* Bernardi *commentatio, ac de* Stephani *vestium virtute sensus profecto præcellens, si eventus comprobasset; at novimus rem secus evenisse. Tantum abest, ut hac vestium custodia* Saulus *fuerit animo commutatus; imo videntur* Stephani *lapides furorem, ac duritiem potius; quam vestimenta fidem, & sanctitatem, conscivisse. Videte! quid à* Stephani *morte de* Saulo *sacræ perhibeant literæ?* Devastabat Ecclesiam per domos, intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam (*b*); *imo obtenta à Principibus Sacerdotum potestate, plenus minarum, ac cædis, in Domini discipulos, acceptis ad synagogas epistolis, abiit in Damascum, ut illic hujus viæ viros, ac mulieres, id est: Christianos, in vincula conjiceret, Hierosolymam perduceret, neci traderet,* Chri-

a) *In Caput 7. Actor. v. 57.* b) *Actor. 8. v. 3.*

Christi nomen toto, si posset, orbe exterminaret. Ita Saulus; *donec ipse Christus, cœlo delapsus, hominem Damasco appropingvantem prostravisset, prostratumque meliora sapere docuisset.* Apodosis ad propositum Panegyricum. *O Dive* Antoni! *quam te DEUS non præ magnis solum, sed etiam præ maximis Ecclesiæ Sanctis voluit illustrare? Ad martyrium anhelasti; nec tamen obtinuisti. At quid obstat, hoc tibi à Deo negatum esse? Video laureolam istam esse tibi commutatam, quando non aliis solum martyribus: sed ipso etiam principe martyre, fecit te hac in re glorioſiorem. Nam vestimenta* Stephani *tetigere* Saulum; *at* Saulus, *ut fuit, mansit* Saulus. *Erat legis Christi inimicus; mansit. Erat Ecclesiæ persecutor; mansit. Erat Christi hostis; mansit. Erat denique* Saulus; *mansit* Saulus. *Tua vero vestimenta, O* Antoni, *mox ut tentatum contigere Monachum, in alium extemplo virum commutavere. Fuit impudicus; factus est pudicus: fuit infirmus, factus est firmus: fuit inquietus; factus est tranquillus: fuit homo; evasit Angelus. Tanta vis, tamque singularis in liberandis hoc à vitio animabus perditis assertori nostro virtus inest!*

II. Exemplum Biblicum. *Josephum in Ægypti captivitate adeo perdite Hera sua,* Putipharis *uxor, adamarat; ut cum tentatis omnibus lenociniis castissimum Juvenem nulla posset arte ad flagitium pellicere; extremum apprehensa vestimenti lacinia, integerrimo ejus pudori ausa est vim inferre. At* Joseph relicto in manibus

ejus

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

ejus pallio fugit, & egressus est foras (a). *Jam perpendite* Auditores: *an mulier, libidinis monstrum, hoc castitatis spolio manu retento, de sua quidpiam lascivia remiserit? An castior evaserit? An patrandi sceleris fœditatem agnoverit? Imo vero in furorem acta, magis est roborata. Sacræ quidem literæ haud innuunt, è quo panni genere* Josephi *pallium fuerit consutum; at si e sacra* Antonii *tunica fuisset confectum, credidero fortasse, ut primum scelerata mulier Ægyptia illud manibus contrectasset, confestim castus pudor, quasi venas per omnes in ipsum fœminæ cor pervasisset. Verum absit, ut* Joseph *pallio suo hanc virtutem prodigiosam inesse credat; quin potius, quod impudicis manibus sit contrectatum, magnopere veretur, ne sibi, ut Sanctus ait* Ambrosius, *pallii contagione libido adhæresçat:* Contagium (*inquit* Ambrosius) Joseph judicavit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incendia transirent. *Nunc discrimen* Josephum *inter*, & Antonium *notate.* Apodosis. *Palliô* Josephi, *quod impuris Ægyptiæ manibus pollutum fuerat, libido affigi poterat* Josepho; *tunicâ* Antonii, *quam Monachus induerat, castitas adhæsit Monacho. Vitia esse contagiosa: malum est morbis omnibus commune; at virtutes esse contagiosas in solo* Antonio *docuit experientia. Nunquid multos vidistis ægros, qui suis morbis valentes infecere? At quem vidistis valentem, qui sua valetudine ægro sanitatem restituisset?*

a) *Gen. 39. v. 12.*

isset? Joseph *sanus à morbo Ægyptiæ insici pertimuit; Monachus æger* Antonii *sanitate sanitatem accepit, & quod stupendum magis est! accepit solius tunicæ contactu*: ad tactum sanctarum vestium erat convertendus, *ait* Bernardus. CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

III. Exemplum Biblicum. *Altius progrediamur; sed petita prius à benignissimo JESU reverenter venia, quem Divus in suo gestat sinu* Antonius, *ut ejus vestimentorum liceat meminisse. Ad complenda sacrarum literarum oracula, Christi, jam in crucem acti, vestimenta milites inter se divisere*: Diviserunt sibi vestimenta mea (*a*). *Erant autem forma, & modo Hebræis usitato, primum tunica interior, insutis manicis ad usque talos protensa, super quam vice pallii aliud exterius positum erat indumentum. Hoc milites sibi diviserunt. At mirandum! Etsi hæc sanctissima Filii DEI vestimenta manibus contrectarint, etsi singuli parte obtenta semet fortasse præcinxerint; nemo tamen ullus fidei lumine collustratus est cum Longino: nemo pectus percussit cum centurione: nemo dixit cum latrone*: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. *Quod fecerunt, hoc unum erat: diviso exteriore vestimento, ad interiorem, tunicam nimirum, sunt progressi, ut altera Prophetiæ pars compleretur*: Et super vestem meam miserunt sortem (*b*). *Hæc tunica (ut sacræ inquiunt literæ) cum fuerit* inconsutilis, *Sanctæ Virginis, (quod pie creditur) mani-*

a) *Psal. 21. v. 19.* b) *Loco citato.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

manibus contexta, non eam milites partiti sunt; sed miserunt sortem, ut uni tantum, cui sors accideret, obtingeret non divisa. Qualem evasisse putatis fortunatum hunc militem, qui Filii DEI tunicam non tantum manibus contigit; sed illa fortasse semet induit? Ego equidem ita existimo: illum fidei lumine confestim debuisse collustrari: mox eodem in loco humi prostratum Christi Divinitatem profiteri: illico ad crucem provolare, ut pendentem inde JESUM solveret, cui ante affixerat, vel saltem urbem Jerusalem ingredi, alta illic voce prædicare: hominem ab se crucifixum verum esse Messiam, esse Filium DEI, esse filium Jacob, eademque cruenta adhuc tunica manibus ostentata, vel conto affixa, cœcum Israëlis populum percunctari oportuisse: Vide: utrum tunica filii tui sit, an non (a)? Ista fieri debuisse judicassem; at nil eorum factum esse scimus: miles mansit, quemadmodum ante fuit: mansit gentilis, mansit infidelis, mansit barbarus, mansit Christi carnifex, ut erat, inhumanus. Quid jam nos dicemus, Auditores, qui ad hanc Christi, & Antonii tunicam suspensi, attonitique hæremus? Non aliud profecto, quam illud Davidis exclamemus oportet, mirabilis DEUS in sanctis suis! Nihil horum mirabilium Filii sui tunicâ patravit DEUS; at, Superi! quantam tunicæ Antonii indidit virtutem? Eo certe, quo Monachus eam induit, momento, quasi omnes in se virtutes complexa fuisset, confestim luxuria mutata est in pudicitiam, rebellio in sub-

a) Gen. 37. v. 32.

subjectionem, morum dissolutio in modestiam, animi perturbatio in tranquillitatem, intemperantia in sobrietatem, imbecillitas in fortitudinem, caro in spiritum, natura humana non in naturam (quod minus foret) sed in gratiam prorsus Angelicam est conversa. Grandius enim est Angelum esse in carne, quam sine carne: Angeli quippe, quod ne tentari quidem valeant, non virtuti, sed naturæ adscribant felicitati. Hanc ipsam grandem prærogativam tunica Antonii *Monacho impertivit. Nam eodem, quo ea indutus est, temporis punctо, ceu vestis reverentia ductus, Dæmon fugit, nec unquam deinceps libidinis tentatione eum lacessivit. Privilegio certe raro, quo nec ipsos Christi Apostolos novimus esse exornatos!*

IV. Exemplum Biblicum. *Christus Redemptor, è mundo discessurus, præcepit discipulis, ne de Jerusalem prius egrederentur, quam virtute ab alto induerentur:* Quoad usque induamini virtute ex alto (a). *Hoc postea expletum est die Pentecostes, cum audito repente de cœlis sono, tanquam advenientis Spiritus vehementis, repleta est domus, ubi erant sedentes, & apparuerunt dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Chari Auditores! *Quem, oro, hujus divinæ, ab alto demissæ, virtutis fructum Apostolos fuisse consecutos existimatis? Illum certe, quod Divina in gratia confirmati, privilegium acceperint nullo unquam tem-*

a) *Lucæ 24. v. 49.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

tempore gravius delinquendi. Quod profecto *grande est; sed an perinde privilegio sint donati, nullas impostorum carnis tentationes persentiscendi?* Neutiquam. *Novimus enim* Paulum, *gentium Doctorem, post acceptum Divinissimum Spiritum, gravissimis, & importunissimis tentationibus fuisse pulsatum*: Datus est *(inquit)* mihi stimulus carnis, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet (a). *Si ergo Apostolos Sanctissima illa gratiarum, ac virtutum indumenta, de cœlo submissa, quibus Divinissimus ipse Spiritus eos in terra induit, nequaquam à tentationibus immunes reddidere; quî, oro, Monachus ille præsidio tunicæ* Antonii *eximius reddi potuit?* Hic certe *non aliud superat, quam ut sublatis in cœlum manibus DEUM præpotentem iterum, ac iterum glorificemus, qui tam mirabili virtute suum honoravit* Antonium, *à quo in terris tantopere DEUS fuerat honoratus. Absit hæc à me temeritas,* Auditores, *ut hæc Divini Spiritus indumenta cum* Antonii *tunica ex æquo velim comparare! Verum attentis, & collatis utriusque effectis, hoc solum ajo: negari haud posse Sancti Spiritus virtute exemptos fuisse Apostolos, ne tentati vincerentur; haud tamen fuisse exemptos, ne unquam tentarentur. Tunica porro* Antonii *exemit Monachum, non solum ne vinceretur; sed ne quidem vel tentaretur.* Paulus, *hoc Divini Spiritus amictu indutus, expers erat peccati; haud tamen stimuli; Monachus autem, tunica* Antonii *amictus, non à libi-*

a) *2. ad Cor. 12. v. 7.*

libidinis peccato solum; sed ab ejus etiam stimulis liber est effectus. Quam inanis ergo, *ac supervacaneus, tuus erat animus, & conatus,* Seraphice Francisce! *cum spiritu luxuriæ tentatus, ad restinguenda ignis impuri incendia, in lacum, glacie horrentem, temet præcipitasti, ut mersum illic hostem suffocares. Memoratu quidem digna est hæc tentatio; quoniam* Franciscum, *alterum veluti in carne* Seraphin *Angelum, caro ausa sit lacessere tentatione. Dignus etiam est memoria* Francisci *animus: quoniam, non attento discrimine, summo vitam periculo objecerit, ne sua castitas periclitetur. Verum labor iste, & ausus, omnino erat supervacaneus.* Quid enim opus erat, O Francisce, *remedio uti tam difficili, quando faciliora supersunt servandæ præsidia puritatis? Si, non officiente tua* Seraphica *virtute, humanas naturæ persentiscis infirmitates: si Diabolus, toties à te victus, tuam vincere pertentat puritatem: si præsidium habes domi tuæ commodum, & expeditum; quid opus est foris quærere tam periculosum?* Francisce! *præcipe, pro tuo in* Antonium *jure, ut suam ille tibi commodet tunicam, & ecce! confestim omnis omnino tentationis expers eris. Permutate ergo, si libet, Viri Dei, tunicas vestras: O quam ingentia semet offerent duo mirabilia! Tunica* Francisci *nihil virtutis habebit in* Antonium; *contra* Antonii *tunica erit* Francisco, *tentationibus exagitato, in præsidium. Ita DEUS gratias dispertit Patrem inter, ac filium: ut Pater sit*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

exemplo fortium; filius verò sit remedio infirmorum!

Complexio I. partis. *Perpendite jam, & videte: an non rectè concludere possimus cum Monacho, antea debili; nunc valido: antea perdito; nunc invento: Divum* Antonium Patavinum *insignem esse animarum assertorem carnis concupiscentia perditarum? Quare*, Auditores, *si vel una est inter vos anima, in hujusmodi proximo perdendæ salutis periculo posita, aut si jam est perdita, vel tam ægre curanda, ut de sua desperet salute: hoc, obsecro, exemplum ob oculos proponat, & quemadmodum Monachum secuta est semet perdentem; ita sequatur remedium inquirentem. Confugiat, oro, ad* Antonium, *perditarum assertorem animarum. Est hoc ejus officium, est privilegium, à DEO divinitus ei concessum, ut quisquis sincero suam illi animam animo commendet, remedium flagitet, opem petat, præsidium inquirat, re ipsa etiam inveniat:* Donec inveniet eam.

Digressio moralis. *Porro unum est adhuc necessarium, sine quo res omnis, quam estis tentaturi, fructu est caritura. Mulier Evangelica drachmam domi suæ perdidit, domi suæ quæsivit, domi suæ invenit. Anima quoque perditur; sed non perinde ubi perditur, ibi invenitur. Cætera ut inveniantur, illic quæruntur, ubi perduntur; ast anima non illic quæratur, ubi perditur, secus nunquam invenietur; imo (quod amplius est) rursum, magisque perdetur. Ter Christum abjuravit, ter animam perdidit* Petrus.

trus. *Et prima, & altera, & tertia perdendi occasio mulier erat. At nostisne, quo eam modo rursum invenit* Petrus? *Suos in eum oculos conjecit Christus; tum* Petrus *verbi recordatus:* priusquam Gallus cantet, ter me negabis: *ut perditam felix inveniret animam, non eo, ubi perdidit, loco quæsivit; sed* egressus foras flevit amare. *Hoc vobis agendum est etiam,* Auditores, *quotquot animam perdidistis, ut eam rursum inveniatis. Egressus est* Petrus *foras; egredimini & vos de loco iniquitatis, relinquite peccandi pericula, deserite occasiones, sit anima vestra solis instar, qui non in occasu, sed in ortu est inquirendus. Sol perditur in occidente; at invenitur in oriente; sic anima, hoc perdita modo, non se amplius perdendam metuat, posteaquam semel fuerit inventa.* David, *qui suam perdiderat animam, quid ait?* Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras (a). *Quasi diceret: per DEI gratiam tantum remotus reddor à peccato, quo sum perditus; quantum distat ortus ab occidente. Ita agat, quisquis animam salvam esse cupit: non foras modo egrediatur cum* Petro; *sed cum* Davide *tam longe à se faciat iniquitates; quam distat ortus ab occidente. Hujus cautionis neglectu animæ perditæ, licet sint inventæ, rursum amittuntur. Si* Petrus *priore, ubi Christum negaverat, loco porro perstitisset: quemadmodum ter antea; ita tricies postea, Christum fortasse abjurasset. Ter ad com-*

a) *Psal. 102. v. 12.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

plendum Christi oraculum; tricies ob peccati, quam fugere debuisset, occasionem. Hinc primum, quod egit, erat: eam declinare: Et egressus flevit amare.

PARS II.

SANCTUS ANTONIUS ASSERTOR ANIMARUM, RERUM CUPIDITATE PERDITARUM.

Altera divisionis pars probatur rursum exemplo, ex vitæ gestis deprompto, quod aliis Scripturæ locis, & exemplis iterum illustratur, exaggeratur, amplificatur.

Animæ perduntur non carnis solum concupiscentia; sed rerum etiam habendarum cupiditate. Vidimus, in quo primi vitii, paulum ante memorati, remedium consistat; jam videamus, quam potens sit assertor animarum peccato cupiditatis perditarum; quod uno satis sit rursum exemplo comprobare.

Ea tempestate, qua Divus Antonius *totam pene Italiam prædicando peragrarat; quemadmodum Christus fama miraculorum ipsos Joannis carceres pervasit*: Cum audisset Joannes opera Christi; *perstmiliter fama prodigiorum* Antonii *ad ipsas usque latronum spelunças penetravit. Duo supra viginti fuere ejusdem sceleris socii, qui latrociniis sylvas oberrabant. Quid fit? Repente audiunt tantam* Antonii *eloquentiæ Divini spiritus vim inesse, ut qui dicentem vel semel exciperet, fieri vix*

posset;

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

posset, ne corde compunctus sapiat meliora. Incredibile hoc latronibus esse videbatur. Quare rei veritatem in se ipsis comperturi, positis larvis, ac velis, aulicos induti, recta contendunt ad Ecclesiam, ubi Antonius *ingenti fervore ad populum perorabat. Et ecce! nondum* Antonius *sermonem finierat, jam in alios fuere viros commutati. Omnes animo compuncti: omnes priorem vitæ rationem aversati: omnes apud* Antonium *confessione expiati: omnes latrocinia, cruentas cædes, sunt detestati. Nemo ullus ambigere potest è thaumaturgis, de quibus maxima quæque miracula perhibentur, unum esse* Antonium. *At si patrata ab eo prodigia singillatim percensere velimus; mea certe sententia, principem locum obtinerent hi viginti duo fures, una die, una hora, ad frugem revocati. Non enim sunt animæ adeo à sanitate abhorrentes, quam furum, & latronum, omnem plerumque medicinam respuentes.*

I. Exemplum Biblicum. *Res est observatu dignissima. Etsi Christus Servator multa dixerit adversus omnia pene scelerum genera; nihil tamen uspiam legitur, furibus, ac latronibus prædicasse. Pervolvite, si lubet, singulos sacri Evangelii scriptores: an quidpiam de hoc invenietis? Meminit equidem Christus in sermone de bono latrone, in parabola de Samaritano, in Evangelico de servis vigilantibus loco, furum; at quod iis prædicasset, nuspiam reperietis. Totum, quod de furibus eum fecisse legimus, id unum est; eo, quo, solenni pompa*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

Hierosolymam ingressus, Rex à turbis acclamatus erat, die, facto è funiculis flagello, omnes è templo ejecit vendentes, & ementes: Domus mea *(inquit)* est domus orationis; vos autem fecistis eam speluncam latronum (*a*). *Christus fures flagellando, verum est explevit officium Regis; at Christus non Rex tantum, sed una Magister, una Doctor, una veritatis prædicator erat:* Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion, montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (*b*). *Si latrones, si fures è templo exegit, ceu Rex, eccur etiam non iis in templo prædicavit, tanquam legis prædicator? Si causam rei nosse cupitis, ajo: fures exitiale hominum esse genus, in quibus amplius proficiunt verbera, quam verba; prædicationis porro fructus est morum commutatio: homines vero furtis assueti, adeo sunt pertinaces, ut nunquam, aut certe vix, vel raro saltem, aut difficile admodum corrigantur. Ipsa hoc rerum experientia, quinto statim post die, iis circumstantiis comprobavit, quæ omnem omnino superant admirationem.*

II. Exemplum Biblicum. *Maximos inter mundi dies referendus est, quo Christus Servator, pro humani salute generis, in monte passus est Golgothæo. Hoc eodem die tres fuere fures, & latrones: duo ad Christi latera in cruce positi; tertius (quod majus est) ex Christi fuit latere, id est: è collegio discipulorum. Mortuus est latro bonus, mortuus latro malus, mortuus fur*

a) *Matth. 21. v. 13.* b) *Psalm. 2. v. 6.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

fur etiam Iscariotes. Quis vero horum trium fuerit animæ exitus, si ex me quæritis, ajo: latro bonus pœnitentiam egit, malus in malo perstitit, Judas, *in desperationem actus, laqueo nece vitam terminavit. Ita isto salutis die, quo Divinissimus Servator quinque saluberrimos gratiæ suæ, ac misericordiæ fontes mundo aperuit, è tribus, quos attuli, furibus, unus tantum salutem hausit; cæteri æternum interiere. Contra die illo, quo ad Divum* Antonium, *è pulpito audiendum, duo, ac viginti latrones confluxere, omnes ad sobrietatem sunt reducti; quo quid grandius esse potest? Si* Antonius *è furibus viginti duobus septem tantummodo, tertiam nempe latronum partem, sapere docuisset; rem fecisset oppido grandem, dignamque admiratione; at cum omnes omnino (ut repetam) fures, & latrones resipuerint; credite: res hæc tanta est, tamque admirabilis, ut ejus exemplum nusquam (si recte memini) perhibeatur. Perpendite, quæso, paulisper,* Auditores, *trium istorum latronum, in Christi morte seu salutem, seu interitum; & confestim, quam mira sit illa, per* Antonium *facta, latronum conversio, intelligetis. Quis, oro, perverso prædicavit latroni? Nunquid prædicavit patientia, & innocentia Christi? Nunquid prædicavit tam verbo, quam exemplo, suus in scelere, & supplicio comes, & socius? Nunquid prædicavit sol obscuratus? Nunquid scissæ prædicarunt petræ? Nunquid prædicavit, omnium Oratorum maximus, mors: & quidem non una, sed tres prædicarunt mortes,*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

mors nimirum Christi, mors socii, mors ipsius latronis mali? At quoniam nec ipsa DEI Filii patientia, & innocentia; nec socii latronis boni adhortatio, exemplum, & conversio; nec solis obscurati miraculum; nec scissarum petrarum portentum; imo nec ipse mortis horror, sub oculos positus, in malo profecerint latrone; quanta, oro, virtute eloquentia Antonii *prædita esse debuerit, cum tantum ad duos, & viginti latrones convertendos pondus habuerit, & momentum?*

III. Exemplum Biblicum. *Sed à malo latrone ad* Judam *progrediamur.* Judas *perinde, ac cæteri Apostoli, Christi audiit prædicationes; imo septem consulto sermones ad eum direxit convertendum, qui certe, totidem veluti sagittæ, in Judæ pectus ex composito intortæ, quo breviores; eo esse debuissent validiores: quo secretiores; eo nervosiores: nec tamen quidquam Christi profecit eloquentia; mansit* Judas *in suo obfirmatus scelere, Christum vendidit, & laqueo se suspendit. Quam admirabilis esse debuerit* Antonii *facundia, quæ non speciatim; sed universe: non ex proposito; sed fortuito: non septem sermonibus; sed uno, latrones aggressus; omnes tamen ad frugem reduxit. Enitet nempe hic Divinæ virtus gratiæ, cuius pretium ut intelligatis, ponderate: quid Christus in* Juda, *quid* Antonius *in furibus egerint convertendis?* Antonius *ad eos traducendos ceptum jam ante sermonem solum est prosecutus; Christus ad* Judam *reducendum non generatim modo, sed etiam*

tiam particulatim, tot admonitiones instituit: sceleratos præterea ejus pedes lavit, sacro illum corpore pavit, osculanti faciem præbuit, amicum compellavit; & tamen Christus, nec adhortando, nec genua submittendo, nec pedes lavando, nec suo illum corpore pascendo, effecit, ut Judam *à proposito deterreret. Quid dicendum est de* Antonio? *qui uno tantum sermone duos ultra viginti fures à sceleribus deduxit? Voluit nempe DEUS duobus his exemplis palam facere, quousque humana progredi possit durities, & quid divinæ efficere valeat virtus gratiæ. Hoc porro est mirandum: quod DEUS humani cordis pervicaciam in Christi sermonibus; Divinæ autem gratiæ vim, & efficaciam, in* Antonii *prædicatione voluit commonstrare.*

IV. Exemplum Biblicum. *Sapuit* Dismas; *sapuerunt etiam duo, ac viginti latrones. Sed quantum actæ pœnitentiæ inter utrosque fuit discrimen! Non ego hic memorare volo magnæ illius diei, qua* Dismam *scelerum pœnituit, prærogativas; non loquor de Christi, ab eo visi, & auditi, nec de Virginis sub ejus cruce stantis, præsentia, vel crucis umbra. Nec de cœli, terræque prodigiis, eo die patratis. Nec adfero terram Christi sanguine recens irrigatam, quæ in arido etiam trunco longe felicius, quam* Aaronis *virga poterat flores, fructusque germinare. Hæc certe singula ejusmodi rerum fuere adjuncta, quæ, siderum instar, de cœlo influentium, multum poterant conferre ad latronis fidem, pœnitentiamque facilius maturandam.*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

Nil horum est in latronum conversione. Præter sola, nulloque exteriore Cœli influxu roborata, Antonii *verba, nihil quidquam erat, quod latronum pœnitentiæ pondus addidisset. Vel hinc ergo luculente patet, quantum* Dismam *inter, & hos latrones, conversionis discrimen intercedat. Verum aliud ego à vobis volo ponderari* Auditores, *quodque factam ab* Antonio *latronum conversionem, sicut difficiliorem, ita multo reddit admirabiliorem. Cum* Dismam *latronem scelerum pœniteret; is jam captus, jam à custodibus stipatus erat. Quid latrones? fuere liberi, nulli judicum tribunali, nulli custodiæ mancipati.* Dismas *latro jam tum ad necem damnatus erat; imo jam ipsum necis supplicium tolerabat: mortem in momenta operiebatur: habebat manus cruci affixas, nec amplius poterat porrigere ad furta, vel latrocinia. Latrones contra, quemadmodum ante, ita tum, & liberius vivere, & furtis, si voluissent, poterant indulgere. Quid consequitur? quam conversi ab* Antonio *fures vere, ac proprie, vitam immutarunt, furti occasiones deseruerunt;* Dismam *vero latronem vita fortasse magis, & occasiones, videntur deseruisse. Haud est difficile, ut latro, etiam obfirmatissimus, ad frugem revocetur; cum propalatis jam flagitiis se videt in furcam, vel in rotam, propediem agendum. At converti à vita, tam abnormi, integram latronum cohortem, ad unius auditæ concionis impulsum; hoc enimvero ut difficultate, ita omni plenum est admiratione: quod ingentem* Antonii *facundiæ gloriam parit.*

Com-

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

Complexio II. partis: *En iterum Antonium animarum non carnis solum concupiscentia; sed rerum etiam cupiditate perditarum, vere assertorem! Injurius vobis forem*, chari Auditores, *si hoc latronum exemplo, vel potius duobus, ac viginti exemplis, vos à furtis dehortarer. Probe novi: hoc in mundo nullos dari officio fures; sed tantum dari officia, furti occasionibus multum obnoxia. Totum rapere, vel partem uni alicui furto sufferre, aut rem alienam injuste retinere, nolle nomen expungere, quamcunque specioso titulo coloretis; perinde singula ad septimum Decalogi præceptum videntur attinere. Quapropter quocunque demum modo animam cupiditatis scelere perdidistis, vel ei propediem perdendæ obnoxii estis: confugite, oro, ad* Antonium Patavinum, *ut ejus ope, ac patrocinio, perditam rursum animam inveniatis*: Donec inveniat eam.

Digressio moralis. *At hic etiam unum est necessarium, sine quo animas vestras, rei alienæ laqueo captas, nunquam expedietis. Mulier Evangelica, ut perditam inveniat drachmam, accensa lucerna everrit domum*: Accendit lucernam; & everrit domum. *Nemo ullus est salutis æternæ percupidus, qui hora saltem mortis res furto sublatas reddere non esset comparatus; sed domum everrere plerique perhorrescunt. Nunquam sine lachrymis possum meminisse: à multis hac in regione ultimas condi voluntates, quibus hæredes ad persolvenda, quandoque centum etiam cruciatorum millium, nomina obstrin-*

CAPUT II. ARTIC. VII. §. II.

stringuntur. Relinquunt domos variis cimeliorum generibus refertas, arcas bene ditatas, fundos egregie locupletatos, è quibus facile vitæ decursu contracta nomina expungere potuissent; haud tamen voluere; donec ad mortis confinia deducerentur; tum, confecto testamento, Christi in crucem acti simulacrum arripiunt, ac in ejus osculis animam exhalant, spe amicorum firmissima: eos Pauli instar è vita decessisse. At quæ sana spem istam promittit Theologia? Ab omnibus certe aranearum telis, ac pulveribus, prius animæ domus est everrenda, ut sperata eam salus ingrediatur. Quid agit Zachæus *Christo domum ejus ingrediente?* Ecce, *inquit*, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & siquid aliquem defraudavi; reddo quadruplum (*a*). *Quid Christus?* Hodie *(ait)* salus huic domui facta est. *Singula ponderate! primum, inquit Christus, salutem domui esse factam; at quando? Non certe, dum Christus domum intravit; sed cum* Zachæus *omnia se redditurum spopondit. Non igitur ingressa est salus Christo ingrediente, sed alieno inde exeunte. Postquam* Zachæus *animæ domum everrit, dimidium pauperibus addixit: si cui fraudem intulisset, se redditurum recepit; tum enimvero drachmam perditam invenit, tum salutem obtinuit*: Hodie salus huic domui facta est. *At dicetis: ultima cavebimus voluntate, ut sua unicuique debita fideliter restituantur. Sed quæro è vobis Auditores: dum paternas jure hæreditatis adi-*

a) *Lucæ 19. v. 8.*

adiistis facultates, reliquitne Pater nomina? *reliquit. Nunquid ea quamprimum dissolvenda testamento commendavit?* *commendavit. An ea expunxistis?* Quid *hæretis? Respondete? Nunquid vetera nomina novis iterum nominibus accumulastis? Si igitur vos ultimam Patris vestri voluntatem explere detrectastis, an vestram à filiis vestris exequendam existimatis? Erratis enimvero, erratis, si id futurum arbitramini.* Quare *agite cum* Zachæo : Zachæus *non alteri damna commisit sarcienda; verum ipsemet sarsit. Non dixit: reddam; sed* reddo. *Non dixit: postea; sed* ecce, *id est: statim. Et quoniam non expectavit crastinum; idcirco Christus dixit:* Hodie salus huic domui facta est.

EPILOGUS.

Videor mihi satis jam, superque demonstrasse Auditores *: quantus perditarum sit assertor animarum* Antonius, *seu illæ perdantur carnis concupiscentia, seu rerum cupiditate.* Quid *restat? quam ut animæ in hoc simili periculo positæ ad potentissimum* Antonii *patrocinium confugiatis; non secus, ac carnis illecebris tentatus confugerat Monachus, & rerum cupiditate perditi confugere latrones, ut re ipsa opem, ac præsidium accipiatis.* Jacob *cum Angelo luctatus non ante dimisit Angelum, quam* Jacobo *bene precaretur. O Gloriose* Antoni! *En ad tuos me prosterno pedes! non prius te dimittam, non à te recedam; nisi tuæ me participem reddideris benedictionis, qua præ multis te Sanctis,*

ad

CAPUT II. ARTIC. VIII. §. I.

ad animas cœlo asserendas, exornavit DEUS. *Quemadmodum igitur perditas Monachi, & latronum animas ab interitu vindicasti; ita meam quoque vindica animam, tuo ardentissimo, quo etiamnum flagras, zelo, ut quam illi, eandem ego misericordiam merear obtinere. Illumina, deduc, dirige, doce, hanc quoque perditam animam & quærere, & invenire: neque lux tua, patrocinium tuum, potentia tua, interventus tuus me destituat, usque dum inveniam illam:* Donec inveniat eam. *Dixi.*

ARTICULUS VIII.

DE PANEGYRI SACRA ALLEGORICA, ET PARALLELA.

§. I.

Præcepta modi allegorici.

MOdus Panegyris Sacræ allegoricus est: qui sub metaphora [ut ajunt] continuata Sancti laudes prosequitur. Verbi causa in illud Matthæi: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio; sed super candelabrum:* S. *Antonius Patavinus* est lucerna in domo DEI, quæ 1. Quantum in se erat, fuit sub modio collocata, ut nemini pateret; verum 2. à DEO est super candelabrum evecta, ut omnibus luceret. Sunt, è recentioribus maxime Oratoribus, qui hunc allegoricum, superioribus sæculis usitatiorem, Sanctos laudandi morem improbant. *Vincentius* (a) *Houdri*

a) *Prolegom. 2. Biblioth. Concion. in festa SS.*

dri pridem, ait, *obsoleverunt speciosa illa argumenta, de quibus sermo fuit in præfatione in mysteria, ubi instituebatur comparatio aquilæ, Phœnicis, siderum, templi, lapillorumque pretiosorum, ac similium, quæ in præsentiarum huic sæculo minime sapiunt. Non tamen obstat, quo minus inde allegorica duci possit similitudo ad sermonis ornatum, non vero ad divisionem, ac fundamentum.* Ast contra alii; licet non omnes hujusmodi Panegyres allegoricas probent; haud tamen universe rejiciendas putant: cum Servator ipse, Orientalium mori se accomodaturus, fere in parabolis fuerit locutus, seque jam agricolæ, jam viti, jam agno, jam viæ, jam luci, pastori, januæ, comparabat. Evangelicæ etiam doctrinæ pars magna notissimis parabolis de decem Virginibus, de filio prodigo, de Epulone, de benefico Samaritano, de talentis inter servos distributis, de cœna magna continetur. Si cui proinde Oratorum hic fortasse modus alluberet, aut festi circumstantia, vel Evangelium, unde plerumque Orationis themata promuntur, quodque in multis Sanctorum celebritatibus allegoricum esse solet, ratio ita exigeret, hos ei canones, ac leges præstituo.

I. Ne allegoriæ sint *viles*, & *decantatæ*. Cujusmodi essent, quæ Sanctum *Leoni*, *aquilæ*, *cedro*, *cypresso*, aut *horto*, *lilio*, *rosæ*, vel *soli*, *hespero*, *iridi*, aut *Deucalioni*, *Prometheo*, *Herculi*, & nescio, quibus adhuc sexcen-

CAPUT II. ARTIC. VIII. §. I.

centis rebus comparant, de quibus Tomulo (a) egimus priore. Nam præterquam quod his thematibus allegoricis Sanctos laudandi ratio veteribus sit incognita, recentioribus autem inusitata; insuper academicum quid, & scholam sapit; estque facillima, & solis duntaxat adolescentibus, veræ amplificationis per ætatem nondum capacibus, fortasse permittenda; sacris autem Oratoribus in Templo minime usurpanda, ubi nihil non magnum, nihil non sanctum esse debet.

II. Sit *appositа*. Erit, si sacris literis, vel Sanctorum Patrum, aut Ecclesiæ, vel Pontificum dictis, maxime Evangelio, quod festo Sancti die legi consuevit, fuerit conformis. Omnium autem absolutissima est futura: si Sancti characterem allegorice ab Ecclesia, vel Sanctis Patribus, aut Pontificibus expressum, contineat: vel loci, temporis, solennitatis, aut cæteris circumstantiis fuerit conformata. Non igitur improbare possum allegoricam ejus Oratoris laudationem, qui festo Sancti *Antonii* die, cum salis fodina *Tordæ*, in *Transylvania*, recens erecta, & faustis ex ritu Ecclesiæ precationibus lustrata, ejusdem Sancti honoribus fuisset consecrata, & nomine insignita; Sanctum *Antonium* conformato ad Evangelium, quod de Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, eo die legi solet, themate, *terræ salem*, & *lucem*

a) *Tom. I. l. 1. Cap. 2. Art. 3. §. 1. pag. 39.*

cem compellavit. Nec illud allegoricum alterius Oratoris thema poterat displicere, qui festo *Petri*, & *Pauli* die Sanctos Apostolos Ecclesiæ Principum nomine exornavit: quoniam *Petrus* habet claves Ecclesiæ; *Paulus* vero gladium Ecclesiæ. Aut, qui Divum *Thomam Aquinatem* in illud: *ecce misi te Angelum ante faciem meam*, vere Angelicum Ecclesiæ Doctorem demonstravit: quoniam Angelorum similitudo, ac proprietates, maximopere in eo expressæ, relucerent. Nam hujusmodi themata, præterquam, ut dixi, quod Evangelio, aut sacris literis sint conformia; Sanctorum insuper characterem, per allegoriam ab ipsa Ecclesia propositum, complectuntur. Quanquam non omnia, quæ Scripturæ verbis quomodocunque sunt accommodata, confestim probantur. Cujusmodi erat illud Oratoris, qui in eum *Isaiæ* locum: *saliet sicut cervus claudus*: Sanctum *Ignatium* de *Lojola* cervo claudo assimilavit. Judicio hac in re opus est, & prudentia.

III. Allegoria in ipso statim exordii ingressu, vel descensu proponatur; post in Orationis decursu ita tractetur, ut divisio, aut subdivisio à proprietatibus ipsius allegoriæ sumatur. Prothasis allegorica in argumentationis majore, vel enthymematis antecedente, breviter proponatur; apodosis vero, Sancti laudes complexa, diffusius tractetur. Dixi: *breviter*: sunt enim, qui in explicandis allegoriæ adjunctis ita immoran-

CAPUT II. ARTIC. VIII. §. II.

tur, ut non unam, sed potissimam Orationis partem, imo totum quandoque corpus expleant; Sancti vero laudes vix aliquam ejus partem occupent, pessimo Eloquentiæ gustu.

IV. Allegoriæ proprietates [si fieri potest] ex Scriptura, vel è Sanctis Patribus, aut Scripturæ interpretibus, vel ex probatis authoribus depromantur, eorumque dictis confirmentur. Allegoria semel assumpta ad finem usque retineatur; absit! ut ab ea ad aliam, fusius maxime prosequendam, discedatur; nihil tamen oberit, ornatus, vel brevioris amplificationis gratia, aliam quoque, in modum similitudinis, vel dissimilitudinis, breviter admiscere. Denique hæc allegorica panegyris jam pura, jam mixta esse potest, ad eum, quem post paullum de mixtis panegyribus dicemus, modum.

§. II.

Præcepta modi paralleli.

MOdus [ut eum *Amadæus* vocat] *Parallelus* est per comparationem: cum persona una, vel Sanctus, alteri personæ, vel Sancto, in dotibus, aut virtutibus comparatur. *Parallelum*, à voce græca παραλληλος, idem est, ac mutuus, inter se compositus, è regione collocatus, & æque distans, ut habet glossa vetus. Παραλληλον [unde parallelum] significat alternum, interstitium, ex παρα, & αλληλον, quod significat invicem, mutuo,

tuo, alius alium, &c. ut ait *Hedericus*. Quamvis autem etiam allegoricæ Sanctorum Panegyres comparationem contineant; at plerumque cum rebus, hæ vero cum personis; unde has, ad allegoricæ Panegyris discrimen, voco *parallelas*. Hæc pariter Panegyris species non cuilibet, recentiori maxime Oratori, probatur. *Aures hominum* [inquit Vincentius (a) Houdri] *pati non possunt ultra comparationes illas, diuturno labore comparatas, ac summo studio elaboratas, quæ olim fieri consueverunt, quorumdam Sanctorum cum antiquis Patriarchis, aut Prophetis, quorum similitudo præbebat locum divisionibus, ac transitionibus de uno ad alterum punctum.* Ita Houdri. Si cui tamen fortasse modus etiam iste arrideret; has ei leges servandas constituo. CAPUT II. ARTIC. VIII. §. II.

I. Triplex comparatio esse potest: 1. à Majori: cum unus alteri præfertur. Verbi causa: Sanctus Joannes Baptista plusquam Propheta. Vel illud *Josephi* (b) *Moine* in verba *Jobi* (c): *Vir ille magnus inter omnes orientales*: Sanctus Franciscus Xaverius in Oriente major omnibus in Scriptura laudatissimis Orientalibus. 2. A pari: cum alter alteri æqualis, aut persimilis esse ostenditur. Verbi causa: Sanctus Aloysius est juvenis Angelicus. 3. A minori: cum unus altero inferior esse probatur; sed hoc plerumque ad vituperia refertur.

a) *Prolegom. 2. Biblioth. Concion. in festa SS.*
b) *In Tyroc. Artis Orator. l. 6. cap. 9.* c) *Jobi 1. v 3.*

CAPUT II. ARTIC. VIII. §. II.

II. Cavendum: ne comparationes sint viles, aut vulgares, vel ementitæ, aut nimium paradoxæ. Verbi causa: S. *Xaverius Paulo* Apostolo major in India Apostolus. Sint verbis Sancti Patris, aut Ecclesiæ, vel Pontificis, vel etiam Scripturæ, apte tamen, ac prudenter usurpatis, conformes. Optimum fuerit, si hæc comparatio Sancti characterem contineat. Artificium modi hujus in hoc præcipue consistit, ut deligantur potiores alterius Sancti virtutes, aut dotes, in quibus Sanctus unus alterum vel excellit, vel æquat. Haud est necesse omnes dotes, aut virtutes enumerare; satis est Oratori præcipuas adferre. Quæcunque fuerit, caveat ab omni excessu, vel injuria. *Excessu*: ne ultra meritum comparatio instituatur. *Injuria*: ne Sanctorum unus deprimatur, cum alter sublimius attollitur. Prudens igitur, & æqua sit omnis comparatio.

III. Fieri potest hæc Panegyris *Parallela* non solum in modum similitudinis, sed etiam dissimilitudinis, ac contrarii. Verbi causa: Si *Lazarum* diviti *Epuloni*, *Ignatium Luthero* opponeres, & à contrariis *Luthero*, vel *Epuloni*, studiis collaudares. Prothasis vituperium, apodosis laudem contineret. Hac arte constructam habet (a) Panegyrim sacram *Joannes Pellegrinus Turri*, de Societate

a) *Tom. 1. Panegyri 14.* l' Angelo fra' mortali contrapposto à Lucifero fra' celesti. *Panegyrico in onore di San Tomaso d' Aquino.*

te noſtra Sacerdos Italus, de Divo *Thoma Aquinate*: quem Angelum terreſtrem Lucifero, cœleſti Angelo, oppoſitum eſſe probat. Reliqua hoc in modo ſervanda Panegyri allegoricæ ſunt communia.

ARTICULUS IX.

DE PANEGYRI SACRA PURA, ET MIXTA.

§. I.

Præcepta hujus modi.

PUra Panegyris eſt: quæ nihil ex altera Orationis ſpecie ſeu *Didactica*, ſeu *Morali*, admixtum habet. Hujus exemplum præbet Panegyris de S. *Franciſco Regis* jam allata ſuperius (*a*). Ejus artificium cum nihil diverſum habeat ab iis, quæ jam de Panegyribus diximus hactenus; non eſt, cur ei tractandæ diutius immoremur. Mixta eſt: cum Sancti laudatio cum altero Orationis genere, maxime morali, permiſcetur. Pluribus id modis fieri poteſt.

I. *Modus.* Cum non in epilogo tantum, ſed etiam in cujuslibet partis diviſæ, aut [ſi Oratori libuerit] etiam ſubdiviſæ, complexionibus, poſt peractam rite Panegyricam narrationem, apta, & Orationis, de quo agitur, ſcopo accommodata, digreſſio moralis inſtituitur. Hæc autem inſtitui poteſt: 1. Adhortando ad par virtutis ſtudium. 2.

a) *Tomul. II. l. 2. Cap. 2. Art. 5. §. 2.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. I.

Dehortando à vitiis, ei virtuti, à qua Sanctus fuerat collaudatus, contrariis. 3. Arguendo malos Auditorum mores ex optimis Sancti moribus. Verbi causa: quam differens est vita vestra, Chari Auditores: vos mollem; ille severam egit vitam. &c. 4. Comminando: futurum, ut hic Sanctus, qui suo nunc patrocinio nos protegit, aliquando condemnet ob vitam, à Sanctorum exemplis prorsus alienam &c. 5. Confutando frivolas Auditorum, quas obtendunt, causas, adversus studium Christianæ virtutis, vel Evangelicæ perfectionis. 6. Adferendo praxes, aut media, quibus collaudatæ Sancti virtutes perinde à nobis, atque ab eo, in usum deduci queunt. Optimum fuerit, ad has morum digressiones, in Panegyricis rite instituendas, advertere ad complexiones, & epilogos, à sacris Oratoribus in Panegyribus adhiberi solitos, eosque in adversaria referre, ut subinde Tyro iis commodum uti queat.

II. *Modus.* Cum partitionis inventio ita instituitur, ut unum divisionis membrum sit Panegyricum, alterum Morale, aut viciſſim. Hujusmodi foret, si Sanctum *Joannem Nepomucenum* prima concionis parte laudares à silentio, ob res tribunalis pœnitentiæ sancte custoditas; dein altera orationis parte argueres homines, ob res in tribunali pœnitentiæ sacrilege celatas. Vel de Sancto JESU nomine: *JESU nomen est in se*

super

super omne nomen ; JESU nomen sit apud nos super omne nomen. Item de Sancto Thoma Aquinate: *Summa Thomæ gloria ingenium Deo consecrasse ; summa nostra ignominia ingenium sceleribus impendisse.* CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

III. *Modus.* Cum orationis divisio ita adornatur, ut quodlibet ejus membrum sit panegyricum, simul & morale. Hac arte confectas complures habet Orationes *Josephus Bordoni*, Orator de Societate nostra Italus. Dupliciter autem id esse potest ; primum : ut pars Panegyrica præeat ; postea sequatur moralis ; quemadmodum in Oratione de *S. Stanislao*, inferius adferenda, habetur. Dein : ut moralis præeat ; postea sequatur Panegyris, ut est in Oratione de *S. Ignatio.* 2. Institui potest in modum similitudinis, vel dissimilitudinis. 1. In modum similitudinis : Verbi causa : *Homines, tanquam Creaturæ debent in omnibus quærere DEI, tanquam Creatoris, gloriam, titulo subjectionis ; ita egit Ignatius.* 2. *Homines, tanquam servi, debent in omnibus quærere solam DEI, tanquam Dominatoris, gloriam, titulo fidelitatis ; tam se fidelem præstitit Ignatius.* 3. *Homines, tanquam filii, debent in omnibus quærere majorem DEI, tanquam Patris sui, gloriam, titulo amoris filialis ; talem se filium præbuit Ignatius.* 2. In modum dissimilitudinis, & contrarii, ut habet *Bordoni* de Sancto *Stanislao.* Verbi causa : *Stanislaus, adhuc adolescens, jam mundo nuncium misit ; grandi eorum opprobrio, qui, quanto ætate provehuntur magis, tan-*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. I.

to animum rebus mundanis affigunt magis. 2. *Stanislaus, adhuc adolescens, jam ingentem meritorum cumulum comparavit; grandi opprobrio eorum; qui, quo diutius vivunt, eo magis meritorum inanes, & vacui efficiuntur.* 3. *Stanislaus, adhuc adolescens, jam mori ardenter optavit; grandi opprobrio eorum, qui, quo diutius vivunt, eo magis mortem perhorrescunt.* Denique misceri potest per locum Rhetoricum oppositorum: cum Sancti alicujus acta, cum vitii cujuspiam actis conferuntur per oppositionem periodorum. Hoc modo structa est pars tertia Panegyris Sacræ de *S. Ignatio*, superius allata, ubi Ignatius confertur cum superbis, ac utrorumque discrimen exhibetur.

IV. *Modus* est: cum Oratio Panegyrica Paraphrasticæ permiscetur. Verbi causa: sententiam Scripturæ sumeres explicandam, cujus verba singula, aut præcipua, vel unum verbum, sed multiplici sensu exponendum, tribueret partitionem. Primum igitur in quavis Orationis parte paraphrasim sensus literalis, aut mystici præmittes in modum prothasis; postea applicationem Panegyricam subjicies in modum apodosis, vel utramque, id est: tam expositionem, quam applicationem una confundes, cujus idea habetur superius de Beata Virgine immaculate concepta. Vel prima Orationis parte paraphrasim puram institues; altera autem applicationem Panegyricam prosequeris. Vel denique alio, ex recensitis supra Oratio-

tionis Paraphrasticæ modis, uno quocunque. Verbi causa: Sancto *Aloysio Gonzagæ* Orationem Panegyricam paraphrasticæ permixtam construere velles, in illud *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, partitionem dat diversa vocis hujus *consummatus* lectio. Alii enim legunt consecratus, alii immolatus, alii gloria, & honore coronatus; tu diceres: *Sanctum Aloysium facto in pueritia castitatis voto, DEO esse consecratum*, 2. *Inita in Societate vita religiosa DEO esse immolatum.* 3. *Studio Religiosæ perfectionis consummatum.* 4. *Obita morte Sanctissima gloria, & honore coronatum.* Primum in prothasi exponeres: cur, quidque legatur voce *consecratus*: dein in apodosi applicabis, quomodo Sanctus *Aloysius*, facto in pueritia voto, semet DEO consecravit. Sic de cæteris partibus.

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

§. II.

Paradigma primum modi hujus.

COmplura primi Panegyris mixtæ modi paradigmata reperies hoc Tomulo. Talis est Panegyris de S. *Francisco de Paula*, de S. *Ignatio*, de S. *Antonio &c*; non est, cur iterum novum addamus; secundi autem, & quarti modi idea cum ex ipsis præceptis facile cognosci possit; consulto eam dare præterimus brevitatis causa. Tertius autem modus cum crebrior esse soleat, ejus paradigma ex *Josepho Bordoni* (a). Oratore Italo, hic

a) *Tomo Terzo, Anno quinto, Discorso CLXIII.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

hic apponimus. Est constructa à loco contrarii, ac dissimilitudinis, ubi pars Panegyrica præit; moralis sequitur.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sap. 4. v. 13.

Thema Orationis, *Sancti* Stanislai, *ætate teneri, virtute consummati, gloria magnum est adultis hominibus confusionis, & opprobrii argumentum.*

Partitio Thematis. 1. *Sanctus* Stanislaus *adhuc adolescens jam mundo nuncium misit; contra homines, quanto ætate provehuntur magis; tanto animum rebus mundanis affigunt magis.* 2. *S.* Stanislaus *adhuc adolescens jam ingentem meritorum cumulum comparavit; contra homines, quo diutius vivunt, eo magis meritorum vacui redduntur.* 3. *Sanctus* Stanislaus *adhuc adolescens jam mori optavit; contra homines, quo diutius vivunt, eo mortem magis perhorrescunt.*

EXORDIUM.

Ingressus à genere, simul & contrario. *Si grandia patrare prodigia, uni illi, qui grandibus excellit meritis, proprium est; statim utique perspicitis,* Auditores, *me de virtute quadam jam*

Per la Domenica vigesima seconda dopo la Pentecoste, correndo la festa di S. Stanislao Kostka, de la Compagnia di Gesu 13. Novembre. Hunc ex Italico Latinum reddidit Joannes Baptista Piestyánszki, *de Societate nostra Sacerdos, & Eloquentiæ Sacræ publicus Cassoviæ Professor.*

jam matura, & longo multorum annorum usu roborata, sermonem adornare. Cum auditis laudationem instituo de Sancto, qui est terror dæmonum, arbiter naturæ elementorum, dispensator omnis generis gratiarum: ad cujus nominis invocationem pertinaces paralyses, fatales maculæ, desperatæ cæcitates, supremæ cum mortibus luctæ dissipantur: qui extinctis decem, & octo mortuorum cadaveribus vitam restituit, qui ostensa sui imagine aërem pestilenti veneno perpurgavit, qui vultu terrifico jam supra mœnia, ab hostibus cincta, aspectabilis, feroces turmas in fugam egit, jam in aëre, ac throno splendido, conspicuus, innumerabilem barbarorum exercitum confudit, jam vasta tectorum incendia sola sui præsentia restinxit: ita, inquam, dum virtutem cum tam insignibus prodigiis conjunctam auditis, fortasse vobis in mentem venit vir quidam grandævus, qui, aut in continua rerum cœlestium contemplatione, assiduos inter mentis excessus, adolevit; aut in sylvarum recessibus, asperrimas inter corporis vexationes, totus occaluit; aut in Apostolicis per vastissimas orbis provincias laboribus incanuit.

Descensus ad speciem, & alterum contrarium. *Verum non ita se res habet*, Auditores. *Prodigiosus hic Sanctus, quem, recensitis inclytum miraculis, hodie admiramur, est juvenis, qui nondum exactis decem, & octo vitæ annis cursum suum sancto fine clausit. Est* Stanislaus, *qui, in tenera adhuc ætate, jam cœlo maturus, innocuam sancta morte vitam coronavit. Corrigat itaque mentis sententiam, quisquis ad comparan-*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

randam insignem sanctimoniam improbos longæ ætatis labores censet requiri, nec quemquam meritis divitem in morte reperiri posse putat; nisi in vita complura annorum lustra numerarit. Etiam brevi temporis spatio grandis virtutum thesaurus comparari potest, modo ibi fixa sint corda nostra; ubi veri thesauri absconsa sunt monumenta. Consummatus in brevi explevit tempora multa, inquit sapiens. O si ita uteremur annis nostris, quos nobis ad comparandam perfectionem indulget DEUS, ut exemplo Stanislai brevi tempore longos in ea progressus faceremus: consummatus in brevi explevit tempora multa. Verum recte hic locum illud obtinet, quod scribit sapiens, nimirum: laudem adolescentis mortui esse confusionem vivi adulti, & à juventute celerius consummata longam vitam injusti condemnari: cum Stanislaus paucorum annorum spatio sanctus, & tam magnus effici Sanctus noverit; nos contra, post multa annorum lustra, vel peccatores desinere nesciamus. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam injusti, inquit Sapiens.

Propositio cum partitione. Atque istud ipsum est, Auditores, quod hodie ad nostram utilitatem, è Divi hujus laudibus derivandam, contendere statui. Ajo itaque: Stanislai, ætate tam teneri, virtute tam consummati, gloria, grande nobis non mediocris confusionis, ac opprobrii præbet argumentum. Qui istud? accipite: Stanislaus adhuc adolescens jam mundo nuncium misit:

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

sit: grandi eorum opprobrio, qui, quanto ætate provehuntur magis, tanto animum rebus mundanis affigunt magis; quod primum. Stanislaus *adhuc adolescens jam ingentem meritorum cumulum comparavit: grandi eorum opprobrio, qui, quo diutius vivunt, eo magis meritorum inanes, & vacui efficiuntur; quod alterum.* Stanislaus *adhuc adolescens, jam mori ardenter optavit; grandi eorum opprobrio, qui, quo diutius vivunt, eo magis mortem perhorrescunt: quod tertium erit Orationis caput. Ordiamur.*

PARS I.

SANCTUS STANISLAUS MUNDO NUNCIUM MISIT ADHUC ADOLESCENS; GRANDI ADULTORUM, MUNDI REBUS COR AFFIGENTIUM, OPPROBRIO.

I. Pars Panegyrica. *Magnus mundo adhærendi stimulus semper fuit sanguinis claritudo, vetustas prosapiæ, jus imperandi, fortunarum affluentia, titulorum decus, subsellia dignitatum. Hæc omnia quemadmodum summo in pretio habet mundus, ita summum mundo conciliant amorem, & existimationem. Nihil tamen horum erat omnium, quod in animo* Stanislai *vel tenuem excitaret erga mundum affectionem. Noverat ille quidem, quo in loco, ac numero haberetur à Polonia Stirps ejus inclyta, non minus à vetustate originis; atque à meritorum excellentia, dignitatumque splendore gloriosa. Neque ignorabat Palatinos, Cancellarios, Regni Mareschallos, summos armorum Præfectos, Provinciarum Gubernatores,*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. I.

res, qui suis nominibus magnum Kostkarum genus illustrârunt; tantum tamen abest, ut, illustri hac majorum nascendi conditione elatus, magnifice semet circumspiceret: ut potius amictus modestia, loquendi, agendique circumspectione, ac vitæ, quantum licebat, solitudine semper ostenderet, quantum à fastu, à publicis, splendidisque congressibus, à quovis alio perverso mundi usu abhorreret. Gaudeat, licet, diffluatque Pater suus omnibus, quæ sæculum grandia, & splendida habet, rebus: suggerat Frater libertatis, ac licentiæ consilia: moderator ipse domesticus, cujus institutioni creditus erat, mundi leges inspirare conetur; Stanislaus tamen neque blanditiis, neque minis adducitur, ut mutet affectum: ac ubi alii ætate, conditione, ac indole pares adolescentes, aut in frequentandis palatiis, aut in percursandis amœnis nemoribus, suas ponunt delicias; nulla illi dulcior vacatio, atque horas integras vel in Ecclesia, si licebat, vel in abditissimo domus angulo precando extrahere. Et sane: quantam isthic hauriret voluptatem; abunde prodebant tum lachrymæ illæ, quæ ex oculis tam dulces illi decurrebant; cum flammæ illæ, quæ vultum illius tam luculente purpurabant; denique extases illæ, quæ tam sæpe, abducto à sensibus spiritu, corpus ipsum in sublime attollebant. Quæ omnia propriæ enimvero sunt cordis prærogativæ, quod ab omni erga res corporeas affectione liberum divina non nisi sequatur illicia. Et etiamnum mirabitur quispiam Stanislaum, animo jam ab omnibus mundi illiciis adeo alieno, statuisse sæculum penitus deserere

rere, & clauſtrum quodpiam religioſum, quo ſe abderet, mille ducentorum, & amplius milliarium itinere pedes, mendici habitu, corrogato oſtiatim victu, inquirere? Verum quidem eſt, Stanislaum ad tam generoſum animi decretum impulſum fuiſſe à Virgine Deipara, monitumque, ut Ignatii filiis ſeſe adjungeret in JESU Societate, ac cœlum ipſum prodigioſe concurriſſe, quo nobilem ejus fugam verteret in triumphum: ſeu cum per undas fluminis ſiccum illi veſtigium præberet: ſeu cum veredarios, quos ad eum è fuga retrahendum frater dimiſerat, ſubito attonitos, immotoſque redderet: ſeu cum Genios cœleſtes ad eum cibo Euchariſtico, quem ardenter ſuſpirabat, recreandum extraheret: verum tamen favores tam ſingulares deſerti potius mundi præmium fuere, quam cauſa deſerendi: cum voto, iterum, ac ſæpius integrato, ſe ſe obſtrinxerit, proficiſcendi, ſi res poſceret, ad Indos uſque, vel Japones, quo ſancta ſua deſideria, interjectis earum regionum muris vaſtiſſimis, æternum à mundo ſepararet.

II. Pars moralis. Edicite jam, Auditores: an non tam generoſa mundi fuga, & contemptus, in Adoleſcente tam tenero, juſto pudori, grandique opprobrio eſſe poſſit homini, qui quanto magis annis provehitur; tanto magis creſcit affectu, & mundi æſtimatione? Tanto magis ejus approbat dictamina, ſequitur mores, commendat leges? Non noverat Stanislaus: quid eſſet mundus? neque in ea ætate, in qua poſitus erat, perſpicere poterat ejus fraudes, atque perfidiam: id unum ſciebat, mundum deſtitutum eſſe bonis, quæ amit-

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

animi sui appetitiones satiarent. Quî igitur non jure confundatur, ac erubescat, qui longo usu edoctus, fallacibus mundum promissis imponere, nullam illi gratitudinem, neque candorem, neque constantiam, neque fidem inesse; suis denique sectatoribus præter tædia, anxietates, dolores, ac lamenta nihil rependere, & tamen eum adhuc amat, & amplectitur? Ita est, chari Auditores: *magno eum rubore persundi oportet, qui, cum magis perspectam haberet mundi vanitatem; ni-nihilominus sic ad illum, velut polypus ad saxum, aut hirudo ad corpus, pertinaciter adhæresceit, ut neque alius illi sermo sit in lingua, desiderium in corde; quam ut major fiat in mundo, pluribus affluat mundi bonis, magis in mundo amplietur, ac pingueſcat. O chari* Auditores! *Si lex illa, ad quam* Stanislaus, *etiamnum adolescens, vitam suam exigebat, mentibus nostris defixa foret; non adducor, ut credam, mundum hunc in animos nostros vim tantam habiturum. Cum suadere sancto Juveni pergerent domestici, ut se se mundo conformaret, mundi sensa combiberet, mundanorum hominum congressus frequentaret, ah! nolite, reponebat, nolite, mihi negotium facessere: haud ego sum natus ad res mundi perituras; sed æternas: his unice, non illis, mihi vivere fixum est, & constitutum. Ita est,* charissimi, *si hujusmodi principium adeo verum, adeo solidum, regula nostra foret; nullum profecto mundi illecebræ in corde nostro locum reperirent. Sed, prob malum! ita passim vivitur, veluti ad res caducas; non æternas, in lucem editi essemus:*

quod

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

quod equidem satis indicant indefessi illi crescendi, ditescendi, dominandi conatus: improbæ illæ conquirendarum dignitatum, parandarum amicitiarum, ferendarum clientelarum curæ; quasi vero magni in mundo, ac illustres effecti, teneremus id, ad quod nati sumus. Atque hac opinione tam falsa delusis nobis, quid mirum? si mundus unica sit meta amoris nostri, una cogitationum occupatio, una regula actionum? Verum arbitremur nunc, credamusque, quidquid placet: venturus est certe aliquando dies, quo mundus hic, quem tantopere deperimus, erit deserendus; & tanto majore deserendus cum dolore; quanto ampliore ad illum affectu adhærebamus. Id quod, si nunc minus perspicimus, perspiciemus sane in extremo mortis articulo, nos haud ad res caducas; verum ad æternas fuisse natos, ac istis unice, non illis, vivendum esse. Ita est: intelligemus hæc illâ horâ, sed magna admodum cordis amaritudine: quoniam sero nimis intelligemus.

Affectus apertus. *O JESU mi! ne sine, quæso, ut primum supremo illo momento cognoscere debeam tam grave documentum. Da gratiam, qua illustratus, & adjutus, omnem à mundo, fraudum, ac malitiæ pleno, abstraham affectum. Ah! quæ mihi confusio, cum mente repeto: quam male mei huc usque affectus sunt impensi. Veniam, mi JESU, demisse peto, per sacra illa vulnera, quæ in divinis tuis pedibus supplex adoro; ac firmiter polliceor, fore, ut deinceps exemplo* Stanislai *te solum amem, cujus solius causa sum natus, & cui soli debetur omnis amor.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

PARS II.

SANCTUS STANISLAUS ADHUC ADOLESCENS INGENTEM MERITORUM CUMULUM COMPARAVIT; GRANDI OPPROBRIO ADULTORUM MERITIS VACUORUM.

I. Pars Panegyrica. *S. cui jure debetur illud sapientis encomium*: consummatus in brevi explevit tempora multa; *eum certe arbitror esse* Stanislaum, *Divorum, quod sciam, omnium maxime juvenem, qui altarium honores ab Ecclesia retulerunt. Cursu is brevissimo ad altissimum Evangelicæ perfectionis apicem evasit, atque, paucorum curriculo annorum, heroicæ adeo sanctitatis laborem complevit, ut plurium merito opus sæculorum esse videatur. Pauci erant dies ejus; at pleni, tamque bene exiguo vitæ suæ tempore noverat negotiari; ut ob collectos in ætatis adhuc flore uberrimos solertissimæ senectutis fructus ab oraculo* (a) *Vaticano* parvus adolescens, & magnus Sanctus *meruerit compellari. Possem ego ad ponendam in luce ejus meritorum amplitudinem, ita virtutum illius magnitudinem depingere, ut vos mecum ipsi sub flava ejus cæsarie canos mores, & in parvo corpore grandem animam miraremini. Verum cum temporis angustiæ hoc prohibeant, illud agam, quod assolent mercatores, qui cum omnia pretiosarum mercium volumina emptoris oculis non valent exhibere; satis habent singularum speciem in particula ostendere; ita, velut cursim, pulcherrima* Stanislai *ornamenta percensendo, dicam: quod Divinus de Tobia*

a) *Urbanus VIII.*

Tobia dixerat Spiritus (*a*): cum esset junior omnibus; nihil tamen puerile gessit in opere. *Dicam: quod de S. Malachia doctor scripsit mellifluus:* senem agebat moribus; annis puer (*b*). *Dicam:* Stanislaum *idcirco, quod in fundendis precibus esset prolixissimus, in usurpandis sacramentis frequentissimus, ac tota mente semper in Deo defixus, nomen Angeli, sanctique veneratione retulisse. At moribus quantumvis fuerit innocentissimis, corpus tamen macerat jejuniis, vigiliis fatigat, lacerat flagellis. Caveat lingua minus cauta proferre coram eo verbum, quod redoleat libidinem:* Stanislaus *eo, vel tenuiter percepto, turbatur, impallescit, deficit animo, contremiscit, in terram labitur. Erga Mariam Virginem quæ teneritudo? Eam dilectæ Matris vocitat nomine, quo, vel audito, confestim in lachrymas, gaudii testes, amantissimi filii nomine, solvitur: ejus imaginem vix conspicit; cum amore succenditur, ingeniosus non minus in novis erga illam obsequiis inveniendis; quam industrius in novis ejus cultoribus aggregandis. Amoris erga Deum quæ flammæ? dicere sufficiat, quod transfuso ab anima in corpus ipsum incendio, spoliari veste pectus oportuerit, ardoremque non ferendum imbuto frigida panniculo temperari. Animi demissio fecit eum famulum domesticorum: mansuetudo immobilem exhibebat ad omnem impetum: patientia adversis in rebus mutum; & quæ patientia? Frater, cujus solutiori vitæ vita* Stanislai *adeo opposita, erat veluti quædam continua, gravis-*

a) *Tobiæ 1. v. 4.* b) *In vita S. Malachiæ.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

que objurgatio, vexat innocuum agrestibus verbis, verberat baculo, pulsat pugnis, proterit calcibus, idque, duorum annorum spatio, prope quot diebus; & Stanislaus *non reponit verbum, non prodit indignantis animi signum, tacet, perfert omnia, & quo magis crudelem experitur; eo illi famulatur solertius, diligit impensius. Quid dici potest amplius, quo conficiatur* Stanislaum *paucorum annorum decursu ad venerandam illam pervenisse senectutem, de qua loquitur Spiritus Sanctus: senectutem, inquam, quæ non canitie capitis, non annorum multitudine; verum meritorum copia, virtutumque maturitate efformatur.* Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, *inquit Sapiens* (a).

II. Pars moralis. *Quis jam nostrum*, Auditores, *suum non videt probrum in laudibus* Stanislai? *Ille in ætate adeo tenera cumulatur jam, & plusquam cumulatur, meritis: nos contra tantum jam provecti annis, quæ tandem merita numeramus? Convertamus tantisper oculos in vitam nostram, quam adhuc agimus, invenimusne, quemadmodum* Stanislaus, *annos plenos, vel potius vacuos? Ubi sunt castigationes corporis? Ubi pietatis exercitia? Ubi misericordiæ opera? Ubi virtutes exercitæ, comparatæ, accumulatæ? Ubi sunt? O quot nostrum, si tempus præteritum respiciamus, non sine rubore dicere possunt cum Jobo:* Habui menses vacuos? *In omni*

a) *Sapien. 4.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

mni vita non reperitur aliud, quam pudendum quoddam vacuum, ac pœnitendum. Vacua puritia; quia perdita in crepundiis. Vacua adolescentia: quia contrita in jocis, ac lusibus. Vacua juventus: quia impensa vanitati, & amoribus: ætas ipsa virilis apud multos vacua: quia traducta in mundanis cogitationibus, in terrenis negotiis, utinam! non in vitiosis commerciis, illicitisque oblectationibus; ita, ut complures ex vero dicere queant humili cum Bernardo: Tota vita mea diligenter discussa, aut peccatum est, aut sterilitas. *Et non habemus*, Auditotes, *causam justam erubescendi; cum animadvertimus adolescentem, non plus annis decem, & octo natum, tam divitem meritorum cumulum sibi congerere novisse; nos vero post annos triginta, quadraginta, vel etiam quinquaginta, tam steriles, & vacuos inveniri; ut post tot vitæ annos, quæ bis, terve, quaterve superant ætatem* Stanislai, *nulla adhuc reluceat patientia in adversis, nulla charitas erga proximum, non puritas in corde, non fræmum in lingua, non modestia in sensibus: non demissio: non fervor, non austeritas, non mansuetudo. Et quid prodest*, dilectissimi, *si augeantur latifundia, si obtineantur honores, si accumulentur fortunæ bona; nulla vero merita colligantur? quid, inquam, prodest? Majoresne propterea coram DEO estis; quod improbo plurium annorum labore, virium vestrarum dispendio, rem familiarem in immensum auxeritis? Quod exhaustis lustra per plura gravissimis molestiis dignitatem quampiam adepti sitis? Quod assiduo dimidii*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

propemodum ſæculi ſtudio illuſtre vobis nomen comparaveritis? Edicite, inquam, majoreſne coram DEO idcirco eſtis? Non profecto, non, ſi nullum interea in virtute progreſſum feciſtis, toto tametſi capite incanueritis inter ſplendida munia, & honores: inter commoda & divitias: inter delicias, & oblectamenta. DEUS vos, ceu infantes, aſpiciet: Puer centum annorum moritur. *Ita, nempe, per Prophetam denunciat iis, qui exactis centum licet vitæ annis, virtutum expertes moriuntur. Pueri, centum annorum pueri ſunt, etſi quinquaginta, etſi octoginta, etſi centum annorum fuerint, pueri ſunt. Corporibus quidem, (dicebat etiam Philo) propter temporis longævitatem veteres; animis autem propter ignorantiam, & hebetudinem pueri. Et, ſi noſtro infelici caſu ad vitæ terminum fuerimus devoluti, in tam deploranda pueritia, quod nos, oro, probrum, quæ confuſio manebit? Tunc Divinus Judex, adducto in conſpectum* Stanislao, *vide, objiciet, vide, ad quam excelſum virtutis gradum paucorum compendio annorum poſſit perveniri; & tu longam adeo intra ætatem, ne quidem à vitiis, ſordibuſque te noſti expedire? Omnis vita tua mera erat vanitas, mera dementia, mera ſterilitas, merum ſcelus. Mei* chariſſimi! *meditemur hæc diligenter, quando Sanctus adeo Juvenis, multum admodum ſuppeditat, quod meditemur. Ego ſane id mecum reputo, & quanto reputo amplius, tanto amplius erubeſco.* Stanislaus *vitæ univerſæ non plus, quam decem, & octo annos; religioſæ autem non plus, quam decem menſes natus; & tamen*

nen jam sanctus, jam divinus, jam meritis plenus; ego vero post tot vitæ, ac religionis annos tam tepidus, tam incurius, tam peccatis refertus, tam virtutis, ac meritorum vacuus? O DEUS! quæ confusio, quod probrum?

Affectus apertus. *O JESU mi! quid si ita me comparatum, tuum ante tribunal, stitero; quid, oro, me fiet? Si adducti in examen dies mei ita vacui, ut modo, fuerint inventi; quid tum, ut culpa absolvar, dicere potero? Ah nullum excusationis modum reperiam; nisi modo, cum tempus est, de sanctis operibus, meritisque prospexero. Temporis, quantum satis est, habeo, adsunt occasiones; mea proinde supina fuerit desidia, si tempore, & occasione non recte utar. Quantum confundor, O Chare JESU! cum me annis adeo oneratum; à meritis vero tam male comparatum, nudumque deprehendo. Ah per sacratissima manuum tuarum vulnera te oro, & obtestor! da mihi gratiam, ut* Stanislai *fervorem secutus, virtutum studia sedulus aggrediar, ac reliquo, quod mihi superest, vitæ tempore uberem meritorum messem colligam.*

PARS III.

SANCTUS STANISLAUS MORI OPTAVIT ADHUC ADOLESCENS; GRANDI ADULTORUM MORI PERHORRESCENTIUM OPPROBRIO.

I. Pars Panegyrica. *Qui mortem solo sensus oculo intuetur, cum videt quempiam in optimo ætatis flore suos compleviſſe dies, quantum*

CAPUT II. ART. C. IX. §. II.

damnum est, ait, tam teneram plantam ictu fatali recisam esse! quantum damnum! Non ita reputabat secum Stanislaus, *qui mortem non alio, quam fidei, oculo aspectabat. Ad illa cœlestia lumina, quæ tam clare in ejus mente relucebant, probe videbat: ad æternam vitæ beatitatem aditum non nisi per mortem patere. Et quoniam omnes in ea amores habebat defixos, tantum miseri hujus sæculi finem suspirabat, quantum beatæ principium æternitatis anhelabat. Affectus illi adeo inflammati, qui eum sibi ereptum ad summum bonum transferebant, admodum molestam* Stanislao *reddebant ejus moram, ac dilationem, & cor illud tam tenerum, quo in suam adeo amatam ferebatur Matrem, Mariam, sanctam quamdam in animo* Stanislai *impatientiam concitabat de vultu eam cognoscendi, suumque, ceu filii, amorem ad ejus thronum contestandi. Fidem faciat, nunquam audita animi confidentia, qua* Stanislaus *sua, dum voti damnaretur, desideria proponebat. Currebat (percipite fiduciam filii, Matrisque indulgentiam) currebat, inquam, decimus Augusti dies, qui ante festam Assumptæ Virginis celebritatem quintus erat.* Stanislaus, *die illo spectandi in cœlo Virginis triumphi avidissimus, tantum sumpsit animi, ut literas exararet, quibus sua supplex Virgini vota exponebat, ut se die illa suæ spectatorem gloriæ pateretur. Admiranda amantissimi cordis libertas, & audacia! Literis in sinum reconditis sacram accedit mensam, & quoniam die illo festa Divi Martyris Laurentii memoria agebatur, quem mense illo Patronum sor-*

sorte acceperat, supplicat Sancto Martyri, ut literas suas Mariæ porrigat, contentas iis preces efficaci adjuvet interventu. Finita precatione, quamvis rectissime valeret; non dubitavit tamen, vel vegetus, libere prædicere: se proxima Virginis solennitate fatis concessurum. Nec diu post, rem, ut dixerat, eventus comprobavit.

II. Pars Moralis. *Verum prius, quam istud intelligatis, sinite* Auditores, *ut in nobis, cum* Stanislao *conferendis tantisper nos detineamus.* Stanislaus *in pulcherrimo annorum suorum flore primas inter, easque præclaras, quas de se faciebat, spes, nil magis, ac mortem ardebat; & nos quos de morte sensus habemus? Non ego contendo, non, ut ea exoptetur, ut suspiretur, ut in sancta quadam eam vicinius videndi, præsentem habendi, impatientia vivatur; satis habeo scisciari: an saltem de ea cogitetur? An cum prona eam acceptandi voluntate, quomodo, & ubi Deo visum fuerit, vita ducatur? An saltem eæ præmittantur dispositiones, quæ sunt necessariæ, ne nos obruat improvisa? O quot ex eorum numero, qui Evangelium profitentur, vel ipsam mortis memoriam refugiunt? Vel injectam de ea mentionem citra horrorem non sustinent? Et quanto vivunt diutius, tanto vellent remotiorem. Et hi non habent, unde erubescant? cum spectant adolescentem, qui vix novit, ut ita dicam, quid vita sit, & jam mori desideravit? O si crederent & ipsi, ut olim credidit* Stanislaus, *ad veram æternæ beatitatis vitam mortem esse ostium; non eam profecto tam adverso oculo intuerentur. Ve-*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

rum dicamus, quodres est, Auditores, mors timetur: quoniam paradisus vel non creditur, vel non curatur. O Pater! dicit eorum unus aliquis, & creditur, & curatur paradisus; verum de capienda ejus per mortem possessione, quis, oro, faciet nos securos? Nemo nostrum non ambiret mori, si à morte ad æterna statim gaudia se transiturum certo sciret. Mori optasse Stanislaum facile intelligo: nam generosos ad hoc animos non modo ei faciebat accepta in baptismo, conservataque integritas; sed jam usu noverat, cum Viennæ Austriæ in vitæ periculo versaretur, solo crucis signo ter à se abactum fuisse dæmonem, à quo horrenda mol ssi specie terrebatur. Sciebat, cum suscipiendi Sanctissimi Viatici deesset ei opportunitas, porrectum illud sibi fuisse ab Angelis, præsente Diva Barbara sua Tutelari. Sciebat, ipsam Cœli Reginam, ad se consolandum delapsam, pusionem JESULUM suis in manibus deposuisse, ut eo suum ad arbitrium deliciatus, tenerrimis in illum affectibus indulgeret. Quid mirum itaque Stanislaum cum tam certis pignoribus mortem patienter expectasse? At nos tantis criminibus à vertice capitis ad usque plantam pedis referti, & maculati, violati Divini Numinis plus millies rei, quomodo non timeamus, non mortem horreamus, quæ concluso in tumba corpore tumulare potest animam in abyssò? Sit ita. Verum creditisne vestram vos hoc modo vicisse cautam? Fallimini enimvero. Si mori nunquam possetis, ipse vellem si non deferre, commiserari saltem huic vestræ mortis formidini: at indubitatum

est,

est, vos grandi ei momento semel admovendos; quod ubi evenerit, edicite, oro, dilectissimi, *poteritne mors ejusmodi, quam semper horrebatis, esse tranquilla, & sancta? An non potius accidet vobis tanto tristior; quanto antea apparuit horribilior? Tanto plus expaveſcenda; quanto amplius antea fuit formidata? An non ergo praestat dextro eam nunc spectare oculo, sibique, ut ita loquar, facere domesticam, sæpe eam in memoriam revocando, attenteque meditando? Deest vobis* Stanislai *innocentia? Sufficiatur ejus loco pœnitentia; ac noveritis: cum hac perinde, ac cum illa, dulcissimum esse, mortem oppetere: siquidem tam una, quam altera, in supremo vitæ articulo pronum in suos favores habet cœlum. Videamus istud in* Stanislao. *Commendata Divo Martyri Laurentio petitione sua, Matri Mariæ porrigenda, responsi loco, ipso illo vespere, ægritudinem accepit. Et quamvis febricula videretur leviſſima; nullo tamen majore augmento illi opus erat, quo firmiter crederet, tutoque prædiceret, mortem desiderato die secuturam. Labitur dies unus, & alter: labitur tertius, jamque assumptionis festum aurora illustrabat, & malum eodem placido statu perdurans, nullum humanæ prudentiæ judicandi locum reliquit: esse funestum. Nihilominus* Stanislaus *adesse orat amicos, animi, corporisque curatores, Præpositos Superiores: ab his veniam petit: illis grates reddit: ab istis accipit solatia: omnes de proxima è vivis discessione certos facit. Vix dies abierat dimidia; cum nimis quam verum esse compertum*

est,

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

est, quod æger prædixit. Æstu lethali corripitur, viribus privatur, & decurrens de fronte gelidus sudor clarum exitus vicini indicium præbet. Ah! ergo verum est, Stanislae, *te propediem moriturum? Sic est, moriar, inquit; verum, ut moriar suavius, hanc à vobis supremùm gratiam peto, ut me nuda in humo mori permittatis. At, O chare Angele! eccur tibi est mors adeo pœnitens post vitam tantopere inculpatam? Satis est: iterat preces tam ardenter, ut denique fuerit audiendus, atque in strata humi culcitra deponendus. Quis jam fuerit tunc eius jubilus? Quæ animi teneritudo? Quis fervor? Qui affectus? Dum humili hoc situ, & loco, suprema reciperet mysteria, dum comprecaretur cum sociis, dum dulcia misceret colloquia cum JESU, cum Maria, cum Sanctis suis Tutelaribus, quis hoc satis edixerit? Omnium certe, qui morientis lectulo circumfusi aderant, in lachrymas oculi abiere; ipse autem renidente vultu, fronte serena, non cessat pia figere oscula, jam sacris Crucifixi plagis, jam Matris Virgineæ imagini: atque dum sic piis vacat affectibus ad tertiam usque à media nocte horam; en MARIA, Sanctarum Virginum choro stipata, visendam se præbet, materna ei impertiens solatia. Spectat eam* Stanislaus, *contemplatur, affatur, & in dulci hoc congressu, sibi suavissime ereptus, innocuam animam in Matris charissimæ sinum effundit, atque die illo, Mariæ tam glorioso, triumphi particeps, una, & spectator futurus, recta Cœlum petit. O dulcem! O mortem invidendam! Habes enimvero, O amantissi-*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. II.

tissime Stanislae, *quod te ad eàm incitarat desiderandam!*

EPILOGUS.

En Charissimi Auditores *hoc mortis genere obiit adolescens, annos decem, & octo natus! sicque mori promeruit, quia ea jam ætate mundo nuncium misit, ingentem sibi meritorum cumulum comparavit, nil magis, quam mori, peroptavit. Heu! quam enorme nobis probrum, quam grandis confusio, si post tot vitæ annos, mentem ad hæc nostram non advertimus, nec Sancti* Stanislai *vestigia secuti, eo res nostras loco constituimus, in quo positi nec animum mundi rebus affigamus, nec meritorum inanes efficiamur, nec mortem admodum perhorrescamus.*

Affectus apertus. *O chare* Stanislae! *ad te confugimus; tu nobis impetra, ut vita nostra, quantum esse potest, sit vitæ tuæ perquam simillima, quo mors nostra morti tuæ aliquando evadat conformata. Et quoniam tu efficere novisti, ut vitam adeo brevem mors sancta exciperet; exora nobis gratiam, ut tot præteritos vitæ annos, quos male vivendo perdidimus, deplorare; reliquos autem ad procurandam sanctam mortem impendere valeamus. Et tu, O JESU mi Crucifixe! quem* Stanislai *amor scopum habuit unicum, charissimumque, & in vita, & in morte; per Sacratissimum Divini tui cordis vulnus, quod prostrati adoramus, exaudi preces, quas ille tibi pro nobis porrigit, ut ejus exemplo, potentique patrocinio, Tibi ferventer servire hac in vita; in altera autem te cum illo glorioso magnificare possimus. Dixi.*

§. III.

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

§. III.

Paradigma alterum modi hujus.

ALterum etiam modi istius paradigma damus de Sancto *Ignatio*, in modum similitudinis constructum, ubi Morale præit; Panegyris vero consequitur (*a*).

ORATIO.

Sententia Sacra: *Messis quidem multa; Operarii autem pauci.* Lucæ 10. v. 2.

Thema Orationis: *Sancti Ignatii exemplo Divinæ gloriæ operarii simus.*

Partitio thematis: 1. *Tanquam creaturæ, Ignatii exemplo, operemur in omnibus gloriam DEI, ceu Creatoris, titulo subjectionis.* 2. *Tanquam servi, Ignatii exemplo, operemur in omnibus solam gloriam DEI, ceu dominatoris, titulo fidelitatis.* 3. *Tanquam filii, Ignatii exemplo, operemur in omnibus majorem DEI gloriam, ceu Patris, titulo amoris, ut ajunt, filialis.*

EXORDIUM.

Ingressus a brevi exemplo, & sententia per prothasim: *Tertullianus Jobi, sacris in literis Patriarchæ celebratissimi, laudum summam brevi oratione complexurus, Divinæ illum gloriæ operarium compellavit:* Operarius gloriæ Divinæ.

De-

a) *Vide* Josephum Bordoni: *Tomo secondo, anno terzo, Di corso XCV, Per la Domenica nona dopo la Pentecoste, Correnda la festa di S. Ignazio Lojola, Fondatore della Compagnia di Gesù 31. Luglio.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

Descensus per apodosim. *Non equidem huic gravissimo, justissimoque tam præcellentis laudatoris judicio, ac sententiæ refragor; si tamen integrum est mihi dicere, quod sentio, videtur magnificentissimus hic titulus ex vero convenire in grandem magni etiam illius Viri animam, cujus hodie memoriam solenni religione celebramus. Consulamus, si placet, orbis utriusque, hujus, & alterius toto à nobis oceano disjuncti, notitiam: perlustremus provincias, vicinas æque, ac remotas, an unam aliquam inveniemus, quo* Ignatii *fama non pervasisset? Quæ illum indefessum gloriæ Divinæ operarium non prædicaret? Et certe, quorsum tam ingentia illius studia, quam ad propugnandam longe, lateque DEI gloriam, spectabant? De hac ille, ceu de unico rerum suarum scopo, cogitavit: unam hanc omnium maxime promovit: in hac vires omnes exercuit, seu loqueretur, seu operaretur, seu pateretur. Gloria Divina sermones ejus interpolabat, actiones regebat, calamitates animabat. Huic ille nec finem, nec terminum poni volebat. Hanc in omnibus, & quidem solam, eamque semper majorem sectabatur.*

Propositio. *Quod si ita: quid ego possum agere præstabilius, quam si ex laudabili Optimi Parentis exemplo sermonis capiam argumentum, vos iterum, ac iterum adhortandi, ut pulcherrimo* Ignatii *exemplo Divinæ gloriæ Operarii fieretis.*

Partitio. *At heu! quam exiguus eorum est numerus, qui è messe tam copiosa vitam meritis implerent, mortem vero* benedictionibus, *id est:*

me-

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

meritorum præmiis, cumularent. Hic enimvero dici potest: Messis quidem multa, operarii autem pauci. *At nos*, Ignati *exemplo, vel horum paucorum numerum ingrediamur, ac Divum imitati* Ignatium, *quam maxime contendamus, ut in omnibus DEI gloriam, in omnibus solam DEI gloriam, in omnibus majorem semper DEI gloriam consectemur. Ad primum nos vocat* creatio, *alterum præcipit* subjectio, *tertium suadet* filiatio. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, *inquit Paulus*, sed DEO. *DEO (inquam) tanquam creaturæ Creatori: tanquam servi dominatori: tanquam filii Patri. Tanquam creaturæ*, exemplo Ignatii, *operemur in omnibus gloriam Dei, ceu Creatoris, titulo subjectionis: quod primum. Tanquam servi, operemur in omnibus solam gloriam DEI, ceu Dominatoris, titulo fidelitatis: quod alterum. Tanquam filii operemur in omnibus majorem semper gloriam DEI, ceu Patris, titulo amoris* filialis: *quod tertium erit Orationis caput, favete.*

PARS I.

TANQUAM CREATURÆ, IGNATII EXEMPLO, OPEREMUR IN OMNIBUS GLORIAM DEI, CEU CREATORIS, TITULO SUBJECTIONIS.

I. Pars Moralis. *Tametsi DEUS natura sua per se ipsum sit infinite beatus, & gloriosus; nihilominus tamen id jure à nobis exigit suo, ut in ejus laudem, & gloriam, rebus in omnibus quærendam, toto pectore incumbamus.* Quemadmo-

modum enim conditionem noſtram, ita neque obligationem, qua DEO ſubjicimur, poſſumus inficiari. Et profecto quid juſtius quidquam, quid æquius eſſe poteſt, quam ut creatura ſuum in omnibus laudet Creatorem? Videte ſtellas: quæ tam nitide collucent. Videte campos, qui tam amœne virent. Videte flores, qui tam lætum renident. Perluſtrate oculis omnia, ſeu cœlorum, ſeu aquarum, ſeu terræ, animantia, an non hæc, tametſi rationis lumine deſtituta, DEUM ſuum, quaſi noſſent eſſe creatorem, laudibus quodammodo efferunt, & exornant? Ut non inconvenienter de iis dici queat, quod olim Pſaltes Regius de cœlis pronunciarat: Cœli enarrant gloriam DEI. *Si bruta hoc faciunt animantia, quid, oro, faciendum homini exiſtimatis? Præſertim: cum per Iſaiam Prophetam* (a) *luculente fateatur DEUS: non alium in finem ab ſe hominem eſſe conditum, quam ut eum glorificet:* in gloriam meam creavi illum: *id eſt: divinæ omnipotentiæ virtute ex nihilo produxi.* In gloriam meam formavi illum: *id eſt: meis manibus ex luto Damaſceno corpus ejus finxi.* In gloriam meam feci illum: *id eſt: fragili ejus corpori immortalem ſpiritum eapropter indidi, ut me agnoſceret, me laudaret, me honore, & veneratione proſequeretur. Jam vero percuntemur: quem in finem fructiferas ſerit arbores hortulanus? Niſi ut fructus ferant. Cur ſuis exercitum ſtipendiis Rex alit? Quam ut militent. Nonne Herus mercede famulos conducit, ut pareant? Et De-*

a) *Iſaiæ 23.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

um alium in finem hominem condidisse credetis, quam ut illum laudet, ut glorificet, ut ei, ceu creatura Creatori, serviat, & obsecundet? Seu igitur sitis juvenes, seu divites, seu indigi: sive fortuna utamini secunda, sive adversa: hoc à vobis deposcit DEUS, ut semper, & in omnibus, ejus gloriam quæratis. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite, *inquit Paulus* (a). *At cur ista ego, cur Apostolus à nobis exigit? Eo nempe, ut finem, ad quem creati, formati, facti sumus, contento studio prosequamur. At heu! si aciem oculorum circumferamus: quot numero mortales licebit intueri, qui à suo creationis fine quam longissime aberrant? Licebit intueri nobiles, qui generis conditione, qua illos ultra vulgus rerum Conditor extulit DEUS, ad superbiam abutuntur. Licebit intueri sapientes, literis omnibus cum gloria excultos, qui doctrina, & eruditione, qua DEUS eos illustravit, ad ambitionem exercentur. Licebit intueri quæstores, mercibus, & pecunia copiosos, qui lucro, & compendio ad avaritiam auferuntur. Licebit intueri has matronas, has virgines, scitas profecto, & venustas, quæ corporis elegantia, qua DEUS eas exornavit, vanitatem aucupantur. Ah* dilecti Auditores! *huncne in finem, vitæ, ac lucis usuram accepimus, ut famæ, ac nomini studeamus? Eapropter de abysso nihili extracti sumus, ut fluxis caduci hujus mundi commodis serviamus? Eja* charissimi! *si fortasse à fine descivimus, si conditionis immemores, juri,*

a) *1. ad Cor. 10.*

juri, quo DEO Creatori subjicimur, obstitimus; abeamus in vestigia Ignatii, *& eum, longo licet intervallo, ad DEUM, finem veluti suum, redeuntem comitemur.*

II. Pars Panegyrica. *Erat tempus, quo* Ignatius *mundi gloriæ, & ingenio, plus quam satis, indulgebat. Fuit heros natura, genere, robore, palmis, & facinoribus perquam illustris, qui nihil, quam de nominis fama, egregiis factis exornanda, cogitabat. Verum corde divinitus immutato, dum meliori lumine cœlitus immisso res mundi exploraret, quid non egit, ut se corrigeret, ut à via, qua procul deflexerat, ad rectam reverteretur? Tum in has erupit voces: vale militia! vale aula! vale sæculi pompa! Nihil deinceps* Ignatius *de vobis, sed de negligentia, quam ante in DEI cultu admiserat, reparanda, toto vitæ tempore, Divinæ gloriæ consecrando, cogitabit. Felix specus Manresæ! quæ* Ignatium *pie incultum, pannis obsitum, vili lacerna indutum, aspero fune accinctum, hospitio excepisti! Tu sola potes de catena, qua artus suos cruciabat: de jejunio, quo carnem macerabat: de flagris, quibus se crebrius per diem flagellabat, testimonium perhibere! Tu sola de noctibus, quas insomnes traduxit: de hebdomadis, quas jejunus transmisit: de suspiriis, singultibus, lachrymis, quibus errata sua expiavit, tu, inquam, sola potes documentum præbere. In squallore hujus specus aureum exercitiorum libellum scribere aggressus, quid mirum? quod salutis fundamentum in eo collocavit, ut homo suum, ad quem à DEO*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

creatus est, finem quærat. Et hoc fundamentum, iterum, ac iterum, animo secum reputans, O quoties repetebat: hunc finem intendit Ignatius, *hunc intendit: non ad alium, ajebat, te finem ex nihilo produxit Deus, non ad alium --- Atque tali Divini Spiritus lumine collustratus* Ignatius, *plangebat præterita, disponebat futura.*

Complexio I. partis. *En exemplum nobis imitandum! Eamus & nos in vestigia tanti viri, & ex nobis sciscitemur: in quem finem conditi simus? An ut diem otiosum, & jucundum transigamus? Non certe. An ut studia tempusque in vanis curis consumamus? Nec istud. An ut divitiis, honoribus, sæculi gratiis cumulemur? Absit, O anima! DEUS me creavit, ut illum amem, ut illi serviam, ut illum glorificem. An ista usque exercui? Vixine secundum finem meum? quid DEO gloriæ tribui? Hæc animo dilectissimi serio repetamus; & heu! quanta in intimis cordis nostri penetralibus reperiemus, quæ pœnitentibus lachrymis prosequamur? Quanta! quanta!*

Affectus apertus. *O JESU mi! inter hujusmodi mortales, de quibus ante memini, ego etiam numerum facio. Creatus sum equidem ad gloriam tuam, hoc in mundo inquirendam; at quem à me hucusque honorem, quam gloriam accepisti? Sentio injuriam, qua te affeci, senti curas inanes, de quibus tui immemor inutiliter mentem occupavi. Pudore suffundor, chare JESU! cum repeto, quod à via desciverim, quam debueram assectari. Ast delicti gratiam deposco:*

Scio

scio me eapropter hunc in mundum exiisse, ut te laudem, ut venerer. Quare id contendo, ut possim ea per te dispendia compensare, quæ, dum vixi, scio me perpetrasse: Notum fac mihi Domine finem meum (a)! *Id per vulnera pedum tuorum, quæ adoro, supplex peto, ut quantum mihi in vita tribuisti; tantum à me tibi honoris impendatur.*

PARS II.

TANQVAM SERVI, IGNATII EXEMPLO, OPEREMUR IN OMNIBUS SOLAM DEI, CEU DOMINATORIS, GLORIAM, TITULO FIDELITATIS.

I. Pars moralis. *Jacobus ad obsidendam Civitatem Rabath expeditus, dum arcte illam obsideret, ad eam redegerat fortunam, ut ejus potiundæ spes certissima affulgeret. At Joab nolebat ante Davidis adventum ea potiri; hoc potissimum consilio, ut tota expugnatæ Urbis gloria in Regem redundaret:* Ne nomini meo adscribatur victoria (a). *En fidelitatem (ajunt hoc loco sacri interpretes) Regum Regi, tanquam dominatori, ab homine Christiano, tanquam servo, impendendam! Perge igitur, seu sis inclytus meritis, seu conspicuus virtutibus, seu dotatus naturæ dotibus: at nihil quære seu in verbis, quæ vales dicere; seu in operibus, quæ potes facere; præterquam illius gloriam, cui serviendi conditio te subjecit. Huc omnium, qui familiam, qui opes, qui cæteros labores expedire cupiunt, studia,*

a) *Psalm. 38.* b) *2. Reg. 12.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

dia, & consilia spectare debent. In hac sola augenda literatorum labores, bellatorum fatigia, aulicorum ambitiones, Ecclesiasticorum zelus, occupentur, oportet. Filius tibi educatus est? pro norma vitæ gloria DEI rudi ejus animo instilletur. Grande quodpiam negotium conficiendum est? ad DEI gloriam, ut prospere cedat, referatur. Aliena ab hoc fine consilia raro admodum felicem exitum fortiuntur. Atque hæc est fidelitas, quam à nobis servitus deposcit, ut in omnibus solam DEI gloriam intendamus. Si autem ab hoc fine desciscamus, repugnamus Domino, & jure æquissimo infidelitatis postulamur.

II. Pars Panegyrica. *Ah quam se fidelem DEO præbuit* Ignatius; *nulli certe, quam DEI gloriæ, semper intentus! Videte virum, ipsos quatuor, & triginta annos natum, immixtum contubernio puerorum, & operam latinæ grammaticæ impendentem! At quid, obsecro, huc eum impulit? Gloria certe DEI, quam scientiæ adminiculo proferre cogitabat. Aspicite peregrinum, sine ope, sine ære, ad terram sanctam proficiscentem, & vitam mendicando ostiatim tolerantem! Quid, oro, huc illum adegit? Gloria DEI, quam conversione gentium cumulare peroptabat. Nihil ille, hanc præter, seu in commodis, seu in honoribus, seu in virtutibus requirebat. Hæc, tanquam anima de cælo delapsa, grandem illius animam animabat. Gloria Divina postulabat, ut peregre gentium domo juxta, & patria abiret? Non illum viarum asperitas, non aëris inclementia, non avia, non devia ab itinere re-*

retrahebant. Gloria Divina exigebat, ut convitia, contumelias, opprobria toleraret? Non illum persecutiones, non minæ, non insidiæ ab iis ferendis avocabant. Exurgant improbi, qui maledictis, & criminationibus Ignatium *lacessant: exurgant homines truculenti, qui verberibus pessimum in modum sanctum virum afficiant: nil officit; omnia hæc dulcia illi facit amor, quo ad Divinam Numinis gloriam unice proferendam inflammatur. Sed tamen est aliquid, quod* Ignatio *ruborem conscisit. Ecquid istud? hoc nempe: si de gloria, & laude propria incipiat cogitare. Dignusne sum (ait) cui tantillum laudis, & gloriæ tribuatur, qui tamdiu DEI immemor, exsors virtutum, & ingratus vitam vixi? Ita nimirum ille fidelitatem, quæ solam DEI gloriam postulat, ante oculos, & animum ferebat!*

Complexio II. partis. *Hoc exemplo cur minus, quam muneris ratio ferat, ad sectandas* Ignatii *virtutes animamur? Quod, oro, dispendium rerum nostrarum faceremus, si eas ad DEI, dominatoris nostri, gloriam referremus? Minusne feliciter verterent negotia, si nuspiam alibi, quam in DEI honore asserendo, figerentur? Credite: sæpe melius ex animi sententia res nostræ cederent, si pro eo, ac debent, cœptorum omnium primordia à DEO caperentur. Non litem, non causam perderemus, non jacturam in contractibus pateremur, si ea divinæ laudis emolumento, tanquam sigillo, signaremus. Ipsi patres, & filii: ipsi Heri, & servi multum sibi commodarent, si eorum corda hoc felici Divinæ glo-*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

riæ ſtudio æſtuarent. Quicumque glorificaverit me *(divinum eſt oraculum pridem pervulgatum)* glorificabo eum *(a)*. *Amorem DEUS amantibus, honorem honorantibus ſolet impertiri.* Nimis honorati ſunt amici tui DEUS, *inquit David. Comprobat Iſtud* Ignatius, *quem DEUS, viventem adhuc, in eo gloriæ faſtigio collocavit; in quod ille DEI nomen efferre conabatur. At æquum eſt, ut fidem aſſerti hujus ſcripturæ exemplis approbemus. Uſquamne gentium profapiam invenimus, quæ fortuna uſa fuiſſet benigniore, quam filii Noe, Sem familia? Huic, dum diviſio terrarum ageretur, portio cæteris pinguior obvenit; unde poſtea Viri Maximi, & Principes Patriarchæ prodiere, quæ* virum illum orientem, *incarnatum nempe DEI Filium, è ſtirpe ſua prognatum eſſe gloriatur. Magnum donum! ſed vos iſtud* benedictioni, *qua ſuos Sem impertivit filios, attribuendum exiſtimatis? Non refragor. Agite tamen, ut hanc* benedictionem *belle, ut decet, cognoſcatis. Hæc erat non Sem ipſi, ſed DEO Sem attributa:* Benedictus Dominus DEUS Sem *(b)*. *Aſt* benedictio, *DEO Sem attributa, Sem ipſum bonis omnibus cumulavit.* Dilecti Auditores! *deſideratiſne, ut contubernia veſtra, Domus, & proles veſtræ, parem huic* benedictionem *ſortiantur? Agite, & prius benedicite DEUM contubernii veſtri, ac prolium veſtrarum.* Quando enim DEUS benedicitur, tunc uberior ab illo ſolet benedictio dari iis, propter quos ille

a) *1. Reg. 2.* b) *Gen. 9.*

ille benedicitur, *inquit Augustinus* (a). *Usque adeo verum est: nil eorum perdi, quæ Deo impenduntur! Quid igitur nos, proni in terram mortales, non altius à terra animum erigimus? Cur non studia, vigilias, contentiones Divino Nomini devovemus? Eja subeat aliquando animum cogitatio digna servo Regis Regum, ac Principis terrarum! Juremus illi fidelitatem, quam alioquin debemus!* O mi DEUS! *exclamat sæpe Ignatius*, O mi DEUS! si te homines nossent. *Et verum re ipsa ajebat: nam si Deum mortales probe nossent, non illi suam in rebus fluxis operam collocarent. Dicerent: quærant alii, quod libet; ego vero nil volo, nisi DEUM: nil amo, nisi DEUM: nil desidero, nisi DEUM: nec ullam admitto in animum cogitationem, quam in procuranda DEI gloria occupatam.*

Affectus apertus. *O chare JESU! fac, obsecro, ut nostri muneris, ad procurandam Nominis tui gloriam obstricti, partes rite cognoscamus. Fac, ut desideremus tibi servire, & in tui gloria Patris, quam à nobis flagitas, promovenda unice occupari. Accende lumen in cordibus nostris, quo nostri perpetuo muneris partes contemplemur. Quod per plagas manuum tuarum ardentissime obsecramus. Admitte, mi chare JESU, ut nobis in genua pervolutis peccatoribus liceat cœleste illud canticum, quod nomini tuo beati simul concinunt, hic in terris integrare:* Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & virtutem (b)!

a) *Hom. 29. in Gen.* b) *Apoc. 4.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

PARS III.

TANQVAM FILII, IGNATII EXEMPLO, OPEREMUR IN OMNIBUS MAJOREM DEI, CEU PATRIS, GLORIAM, TITULO AMORIS FILIALIS.

I. Pars Moralis. *Filius Patri bene affectus, nil perinde desiderat, quam ut suus in omnium honoribus Pater habeatur. Hoc autem desiderio tanto magis tenetur, quanto majore parentem amore veneratur. En tertium Christiani officium, quo Deo, ut Patri, obstricti sumus! Prapotens DEUS, qui cupit, ut eum loco Patris habeamus, vult, ut omnem ei laudem, honorem, gloriam deferamus. Quid non agit, ut suum in nos animum, & amorem contestetur? Æquum est igitur, ut nos etiam dignos tanto parente filios nosmet præbeamus. Duobus autem suum potest filius in patrem amorem contestari. Primum: summum, quem potest, Patri honorem exhibendo. Dein: optando, ut suum alii etiam non dissimili honore Patrem prosequantur. En geminam rationem, qua Patrem nostrum cœlestem honoremus! Primum: ut nihil studii, nihil diligentiæ in illustranda, & provehenda ejus gloria prætermittamus. Dein: ut mortales cæteros ab omni dulcissimi Patris offensa avocemus. Nostrum est ejus gloriam promovere, majestatem adorare, potentiam admirari, justitiam timere, misericordiam exaltare, magnitudinem prædicare, providentiam laudare, munificentiam quanta possumus maxima gratiarum actione exornare. Sed quoniam omnia nostra studia oppido sunt exilia, si cum*

ma-

magnitudine, & benevolentia tanti Patris in contentionem vocentur; id debemus votis omnibus exoptare, ut cæteri etiam nobiscum ad DEUM laudandum concurrant. Concurrant Sacerdotes in altari, concurrant Principes in throno, concurrant Judices in tribunalibus, concurrant justi cum perseverantia, peccatores cum cordis compunctione, *cum reditu hæretici, cum conversione gentiles. Nonne istud est, quod Christus volebat, cum orare nos doceret hunc in modum:* Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum? *Si bene intelligimus, quod dicitur, an non illud est, quod oramus, ut non modo à nobis, sed etiam ab aliis, quanto potest maximo studio,* Pater noster sanctificetur, honoretur? *Consistamus hic paulisper, & ad cor nostrum descendamus. Præstamusne hoc, quod orando petimus? Præbemusne nos filios DEO dignos? Nitimurne ad gloriam Patris nostri promovendam? Cupimusne, ut quævis illum creatura honore, quam potest, maximo prosequatur?*

II. Pars Panegyrica. *Videamus jam* Auditores, *quod egerit* Ignatius; *ut de* filiali *ejus in DEUM amore nobis constet. Cepitne quodpiam aliquando consilium, quod non ad majorem DEI gloriam pertineret? Quibus non ille virtutibus vitam exornavit, ut DEI glorificandi desideria expleret? Ornavit humilitate, quam voluit illibatam; ornavit charitate, quam voluit incensam; ornavit sui afflictione, quam voluit perpetuam; ornavit zelo, quem voluit ardentem, ac indefessum. Ut autem à cæteris etiam mortalibus*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

bus major in DEUM gloria redundaret, quod ille studium, quem laborem neglexit? Quis ordo, quis status, quæ ætas, quis sexus, ad quem ardor illius, & amor non pertigisset? Quis locus, ubi ejus pro DEO studium non versaretur? Invise, si placet, Nosocomia: hic afflictos solatur. Perlustra carceres: hic egentibus subsidia, torpentibus stimulos ad DEI amorem impertitur. Accede ad morientium lectulos: hic docet, hic animat morituros. Major DEI gloria exigebat, ut sacras in ædes major nitor, munditiesque, induceretur: induxit Ignatius. Major DEI gloria postulabat, ut homines crebriore Sacramentorum usu uterentur: promovit Ignatius. Major DEI gloria deposcebat, ut in cœnobiis rigidioris disciplinæ observantia haberetur: obtinuit Ignatius. Seminarium Provinciæ erectum cupiebant, ubi in literis, ac virtute florentior ætas adolesceret: erexit Ignatius. Pudorem virginum salutari claustro à corruptela interceptum volebant: intercepit Ignatius. Ac idcirco, cum ardor illius Romæ, urbis gentium, limitibus contineri nequiret; erupit in omnem, qua late patet, Europam, ac velut torrens quidam urbes, oppida, vicos, non sine incredibili fructu, inundavit. Sustulit enim scandala; acediam, abusus, pravas consuetudines, &, quæ inde nascuntur, vitia delevit, abrogavit. Nondum satis. Quantos in uno Xaverio Apostolos ad Indos, ad Japones ablegavit? Imo, ut in longinquas, & toto mari à nobis sejunctas terras, & venturas etiam in ætates, curam suam porrigeret, minimam Societatem JESU

hunc

hunc in finem erexit, ut non minus suam, quam aliorum, salutem curaret; in hoc se filios Ignatio *dignos testaturi, si ubique, & omni tempore, novas ad DEI gloriam accessiones adjicere nitentur. Sed neque hic satis* Ignatii *amor in DEUM se probavit; nisi eo illum impelleret, ut dicere audiretur*: si optio mihi daretur, mallem beatitudinis incertus vivere; & interim Deo, & proximorum saluti servire; quam certus ejusdem gloriæ statim mori. *Atque isto, haud scio, an luculentius aliquod non dicam fingi; sed vel cogitari possit amoris argumentum?*

Complexio III. Partis. *Dispicite jam* Auditores, *quibus indiciis, qua significatione, nostrum in majorem DEI gloriam studium contestamur? Quem laborem, quam industriam, quod opus, eo consilio susceptum, ut Divino honori studeamus, possumus exhibere? Certe eundem, quem* Ignatius, *Patrem habemus; cur non igitur*, Ignatii *exemplo, in nobis, aliisque, majorem ejus gloriam promovemus? Heu! quam metuo, ne perinde nos, ac olim Hebræos, cum se Patris nomine compellatum audiret, cæli Conditor coarguat*: si Pater ego sum, ubi honor meus (a)? *Nunquid bene hæc in nos dicta conveniunt, qui pro paterna ejus benignitate non pietatem, sed ingratitudinem: non gloriam, sed ignominiam rependere solemus, ut verissime de nobis verbis Isaiæ conqueri valeat*: Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me (b). *At enimvero haud æquum est, in die tam so-*

a) *Malach. 1.* b) *Isaiæ 1.*

CAPUT II. ARTIC. IX. §. III.

solenni, & jucunda, tristium adeo querelarum memoriam refricare. Recordemur chari *mei Auditores: nos filios DEI esse: pareamus amori filiali, qui nos suo obstringit jure, ut Patrem cœlestem, optimum juxta, & maximum, modis omnibus honoremus. Major ejus gloria sit finis nostrarum actionum, anima affectuum. Si aberrantes ab hoc fine, & scopo, Patrem optimum offendimus; hac spe, & cogitatione sustentemur: quod bonitas tanti Patris parata sit criminum veniam dare; modo veros nos illi filios porro exhibere satagamus.*

Affectus apertus. *Sit ergo JESU, sit istud, quod filii officium suo à nobis jure deposcit. Fixum est: id deinceps satagere, ut debiti partes persolvamus, ac idcirco sancte pollicemur, omni nos studio, & conatu ad tuam Nominis gloriam, longe, lateque proferendam, incubituros. Per plagas lateris tui, quas profunda demissione veneramur, suscipe obsecro, corde paterno ad te confugientes; & concede, ut veros nos tibi filios, honoris, & gloriæ tuæ studiosos, dehinc præbeamus. Tu vero, Magne Divinæ gloriæ* zelator, *Ignati! impetra à DEO, ut te hoc in pio, & salutari conatu imitati, maximo DEUM studio glorificemus in terris; ut una tecum postea majorem Magni gloriam DEI videamus in Cœlis. Amen.*

CAPUT

CAPUT III.

CAPUT III. ARTIC. I. §. 1.

DE RELIQVIS SACRARUM PANEGYRUM SPECIEBUS.

PRæter Sanctorum laudationes, hactenus explicatas, sunt etiam aliæ Panegyrum species, quæ à diversitate occasionum, in quibus ejusmodi orationes haberi solent, diversa nomina sortiuntur. Sic Oratio de natali Principum vocatur *Genethliaca:* de obtenta victoria dicitur *Epinicia*; si ob adeptum quodpiam beneficium gratiæ referantur, compellatur *Eucharistica;* si de nuptiis instituatur, est *Epithalamia*: si in funere defuncti laudes prosequatur, est *Epicedion*, seu *Funebris.* Ex his in Eloquentia sacra tria sunt cæteris usitatiora; *Genethliaca*, *Eucharistica*, quorsum refero *Epiniciam*, denique *Epicedion.* De his solum hoc capite agam.

ARTICULUS I.

DE ORATIONE SACRA GENETHLIACA.

§. I.

Præcepta Orationis Sacræ Genethliacæ.

ORatio *Genethliaca*, sive *Natalitia*, à voce græca γέννα, quod genus, progeniem, vel γενετὴ, quod nativitatem, ortum significat, originem trahit. Est ejusmodi dictio, quæ in publica ob natum quempiam, & quidem his temporibus non nisi Principem, cele-

CAPUT III. ARTIC. I. §. 1.

lebritate instituitur. De hujus primum agam inventione, postea de dispositione, demum de elocutione.

I. *De inventione.* Ad inventionem hujus modi Sacræ Orationis duo pertinent: primum sententia sacra, dein thema, & partitio. Ut sacer *Genethliacus* a profano, vel Academico discernatur, & sacræ obtineat nomen Orationis, quædam ei sententia sacra, è scripturis Divinis, fundamenti instar, præmitti solet. Hæc porro apta, & oportuna sit, oportet. Cujusmodi fuerat in Nativitate *Leopoldi* Archiducis, *Caroli VI* Imperatoris, & *Elisabethæ* Imperatricis, nati recens filii, ab *Agriensium* Episcopo, Comite *Gabriele Antonio Erdödi*, in concionis *Genethliacæ* argumentum assumpta, illa *Lucæ* sententia: *Uxor tua Elisabeth pariet filium.* Vel alterius Oratoris, qui in natali Serenissimi Archiducis *Josephi*, ad *Genethliacum* festo Nativitatis Divi *Joannis Baptistæ*, in Templo eius honori consecrato, adornandum, deprompsit ex diei Evangelio illud *Lucæ* 1: *Erit gaudium, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Vel quod *Franciscus Peickhart* in concione *Genethliaca* ejusdem Archiducis *Josephi* usurpavit ex illo *Geneseos* 39: *Benedixit Dominus Domui - - propter Joseph.* Optimum fuerit, si sententia sacra characterem contineat, aut circumstantiis loci, temporis, diei, vel personæ Patris, Matris, aut nomini nati parvuli, vel aliis, fuerit con-

conformata, aut ex Evangelio ejus diei, quo celebritas *Natalitia* agitur, fuerit desumpta. Cum vero Oratio *Genethliaca* duos maxime affectus habeat excitandos gaudium, & spem; ita thematis, & partitionis ratio adornetur, ut utrique, vel alterutri affectui excitando deserviat. Aliquando intendere potest Orator solam laudem, & gratiarum actionem DEO dandam, cujus singulari beneficio Princeps exortus est. Partitio autem duci potest ab omnibus circumstantiis, quæ ad gloriam Natalis conferunt. Et quidem I. à *Parentibus*, quorum laudes jure quodam hæreditario pertinere videntur ad prolem. Sit exemplum in illud Gen. 15: *Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo ipsum habebis hæredem:* 1. *Hæredem Matris.* 2. *Hæredem Patris.* 3. *Hæredem Avi.* 1. *Matris: clementiâ.* 2. *Patris: justitiâ.* 3. *Avi: religione.* Vel: *Hæredem regnorum, quæ regat; hæredem virtutum, quibus regat.* II. Ducitur *à tempore*, quo nascitur, cujus tres sunt partes: 1. *Præteritum*, quod natalem anteit: quorsum referuntur oracula, præsagia, vaticinia, somnia, desideria, preces, vota, tam privata parentum, quam publica populorum, necessitas prolis, præsertim, si parentes, diu steriles, ea caruerunt. 2. *Præsens;* ubi consideratur primum dies, quo quis nascitur, cui nempe Sancto sit consecrata, quibus rerum memorabilium eventibus clara? Dein hora, tempestas, quid fausti, & lætitiæ

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

contineat? Demum plausus, gaudium ex nato Principe exortum; contra metus, ac tristitia hostium. 3. *Futurum*, quid nempe incommodi avertat; quid contra spei, felicitatis parentibus, populis, Ecclesiæ adferat, vel promittat. Ita *Petrus Miell*, Societatis nostræ Sacerdos, in suo *Genethliaco Leopoldo* Archiduci, *Caroli VI* filio, *Tyrnaviæ* adornato, elegantem ab hoc triplici tempore duxit partitionem: *Leopoldi* Archi-ducis exortus est longe optatissimus: 1. *Ob metum præteritum, quo nos liberavit.* 2. *Ob præsens gaudium, quod attulit.* 3. *Ob spem futurorum bonorum, quam excitavit.* III. Ducitur partitio ab *augurio*, quod à variis circumstantiis: ut à genere, à majoribus, à parentibus, ex facie, corporis habitudine, ex futura parentum educatione, moderatorum institutione, à signis, portentis, victoriis, aliisque prosperis eventibus, peti potest; vel denique a *nomine*, in quo attenditur significatio; dein cur, quomodo, à quo, cujus in memoriam imponatur. Ita *Franciscus Peickhart* in Genethliaca Archiducis Josephi, Regii Principis, celebritate, partitionem prompsit ab augurio, ex nomine deducto, in illud Geneseos 39: *Benedixit Dominus domui --- propter Joseph*: *Josephi* Archiducis exortus magnam futuræ felicitatis ex suo nomine spem facit: quod Hebræis *accrescentem*; Ægyptiis *Salvatorem* significat. IV. ducitur partitio a *spe* eorum, quæ parvulus agere potest,

vel

vel deberet. *Quis putas puer iste erit?* 1. *Erit amor suorum*, 2. *terror hostium.* Item: *Erit Rex Regnorum, Pater populorum, Vindex hostium.* Vel: *Erit Pater justitiâ, Mater clementiâ, Avus Religione.* V. Sumitur partitio a *gratulatione*, vel *gaudio* eorum, ad quos nativitas quoquo modo pertinet. Ita *Carolus Porreé Genethliacum* adornat *Galliæ Delphino*, quo gratulatur: 1. *Parentibus, prole masculâ auctis.* 2. *Puero, felicibus auspiciis nato.* 3. *Populis, voti compotibus.* Vel: *Josephus Juvencius* in ortu Ducis Burgundiæ gratulatur. 1. *Ludovico Magno Nepotem.* 2. *Galliæ Delphino filium.* 3. *Regno decus, & præsidium.* Item *Gabriel Le-Jay* in natalibus Sereniſſimi Ducis Britanniæ. 1. *Gratulatur Ludovico Magno, cujus sinceram, constantemque religionem hoc præmio DEUS remuneratur.* 2. *Gratulatur populo Gallico, cujus fidele in Regem obsequium ea mercede compensat DEUS.* Vel Anonymi Oratoris in illud: *Multi in nativitate ejus gaudebunt*: In nativitate Sereniſſimi Archi-ducis *Josephi* 1. *gaudent Augusti parentes ob natum hæredem.* 2. *Gaudent subjecti populi ob natum Principem.* 3. *Gaudet Ecclesia Dei ob natum columen.* Optimum fuerit Orationis *Genethliacæ* argumentum determinare ex circumstantiis, eam antecedentibus, vel comitantibus, aut consequentibus, seorsim, vel ex his simul omnibus.

II. *De dispositione.* Exordium erit lætitiæ, & gratulationis plenum. Verbi causa: *Quod bonum, felix, faustum, fortunatumque sit;*

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Quanta vos lætitia affici oporteat Auditores? &c. Vel ab aliqua temporis, loci, personæ circumstantia. Vel ab assumpta Sacra Sententia. Aut ex relatis Tomulo priore fontibus uno. In confirmatione diligenter advertendum ad partitionem, & cum confirmationis argumenta ex iisdem, unde partitiones, fontibus sumantur, iis erunt accommodanda, ac inde repetenda. Plerumque continet laudes parentum, majorum &c. Vel institui potest per exempla Biblica, proposito accomodata; aut per adjuncta actionum: *quis, quid, ubi* &c, ut diximus de Panegyri Sanctorum. Epilogus, ac complexiones varia complecti possunt: 1. Affectum gaudii in animis Auditorum excitandi. 2. Spei de bono potiundo, quod hic Natalis promittit. 3. Adornari potest gratiarum actio DEO ob natum Principem. 4. Fieri possunt vota, ac preces ad DEUM pro salute, longa vita, ac felicitate recens nati. 5. Gratulari possumus parentibus, populis, Regno, Ecclesiæ, &c. 6. Per apostrophen ad parvulum, precari ei possumus fausta omnia; vel adhortari eum ad æmulanda majorum vestigia, sectandas virtutes, &c. Vel denique institui potest digressio moralis ad subjectos populos.

III. *De elocutione.* Forma hujus Orationis desiderat elocutionem castigatam, argutam; sed argutiis, cum sacra sit, temperate adhibitis. Deposcit figuras, admiratio-

tionem, lætitiam, ſpem excitantes. Amplificationes ſint è ſacris fontibus, ad rem pertinentibus. Non igitur poſſum non improbare eorum his temporibus Oratorum morem, qui, licet publice in Templo, ſacro certe loco, ſacram ad populum dictionem adornare deberent; ſuos tamen Genethliacos profanis Authorum exemplis, aut veterum Philoſophorum dictis farciunt, nullam è Scripturis Divinis amplificationem adhibent. Quod licet in Academica celebritate ferri poſſit; haud tamen in exedra ſacra, & Eccleſiaſtica; quo nihil non ſanctum adferri debet. Denique poteſt hæc Genethliaca Oratio eſſe mixta cum Morali, præſertim, ſi ad rudiores, vel mediocres Auditores, vel etiam ad doctiores; forma tamen mediocri, fuerit inſtituta. Ita *Pius Manzador* Tom. I. Conc. 23. *Genethliacum Caroli* Archiducis pertractat hoc bipartito themate: ortus Caroli Archiducis novum felicitatis argumentum præbet terris Auſtriacis, quod unuſquiſque facile pervidebit, ſi 1. diligentius perpenderit: *quantum felicitatis mundus obtineat ex bonis Principibus.* 2. *Quam bonos Principes ſemper habuerit in Archiducibus Auſtriacis.* Vel etiam dici poteſt de poteſtate, dignitate, aut munere Principum. Vel de obedientia, fidelitate, amore populorum erga Principes; at tum *Genethliacus* morale argumentum continebit.

CAPUT III. ARTIC. I. §. I.

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

§. II.

Paradigma Orationis sacræ Genethliacæ.

SAcram Genethliacam Orationem de nato Archiduce Josepho habet P. *Vienini* de Societate nostra Orator Italus, dictam Florentiæ in Hetruria Italico sermone. Habet etiam de eodem Principe Teutonice scriptam [ut ante meminimus] *Franciscus Peikchart*, pariter Societatis nostræ Sacerdos; nos aliam [velut Hungariæ opportuniorem] ab Anonymo confectam, damus in exemplum. Est Panegyris pura.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Lucæ 1. v. 14.

Thema Orationis: *In Nativitate Serenissimi Archiducis Josephi multi gaudent.*

Partitio Thematis: 1. *Gaudent Augusti parentes ob natum hæredem.* 2. *Gaudent subjecti populi ob natum Principem.* 3. *Gaudet Ecclesia DEI ob natum columen.*

EXORDIUM.

Ingressus à narratione Evangelicæ historiæ cum proœmio, juxta Tomulum priorem. *Habent hoc illustres magnorum parentum nati recens filii, ut quemadmodum ingentem nativitate sua futuræ felicitatis spem promittunt; ita incredibilem, dum nascuntur, in hominum animis pariant lætitiam. Hæc porro tanto interdum major esse solet; quanto minus sterili è thalamo*

mo eventura credebatur. Revocate in memoriam Joannem, *Christi præcursorem, quo nemo ullus inter natos mulierum surrexit major. Superi! quantum mira ejus nativitas, cujus annuam prorsus opportune, hoc in Templo, ejus honoribus consecrato, hodie agimus celebritatem, gaudii attulit argumentum?* Erat *(inquit* Lucas *hodierno* (a) *in Evangelio) temporibus* Herodis, *Regis Judææ, Sacerdos, nomine* Zacharias. *Huic uxor fuit* Elisabeth, *de filiabus magni quondam Sacerdotis* Aaron: *conjuges ambo religiosissimi; at steriles, ætateque jam provecti; ardentibus attamen precibus identidem cœlum fatigantes, ut tandem aliquando desideratum diu, multumque filium obtinerent. Accidit: ut* Zacharias *Sacerdotii munere functus, incensum Domino adoleret. Quid fit?* Ecce *Angelus Domini stat à dextris Altaris incensi, ita Sacerdotem, metu perterritum, affatus: Ne timeas (inquit)* Zacharia: *quoniam exaudita est deprecatio tua. En! uxor tua Elisabeth pariet filium, & vocabis nomen ejus Joannem*: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.

Descensus per apodosim. *Hoc ferme ipsum cum Serenissimo, qui bene nobis, ac feliciter nuper exortus est, Principe evenisse videmus. Augusti equidem conjuges haud fuere steriles: nec enim una jam fœmella prole bonus uterum Matris Excelsæ fœcundavit DEUS. At fœcunditas ista futuri spem hæredis fecit quidem; haud item explevit:*

a) *Lucæ* 1.

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

vit: nam in Regum liberis non solum numerus, verum sexus requiritur, qui regalis plerumque solii hæres esse solet. Quid agunt? Ad pia, ut sunt Principes piissimi, ac religiosissimi, vota, & sacrificia Deo facienda convertuntur; probe gnari: nullis facilius, quam religionis artibus, difficiles, ac tardos in vota Superos posse inclinari. Et ecce! exaudita est eorum deprecatio. Princeps Augusta peperit filium, quem vocavit Josephum. *Et est gaudium magnum, & exultatio*, & multi in ejus gaudent nativitate. *Ut primum enim lætum hoc nuncium terras nostras quaquaversum pervasit; confestim visa est nova rerum facies, facta ingens animorum commutatio, pulsa de vultibus mœstitia, siccatæ in oculis lachrymæ, recessit solicitudo, versa omnia in pompam, jubilum, & exultationem. Jubilum sonabant in urbium mœnibus grandiores belli machinæ, jubilum sacra æra in turribus Basilicarum, jubilum nocturni ignium splendores, jubilum populus universus, vultu, oculis, voce, gestu, fuit contestatus. Ipsa hodiernæ celebritatis pompa, quæ tametsi serius, opportune tamen, in hanc* Joannis, *Christi præcursoris, annuam Nativitatis memoriam dilata, celebratur, quid aliud est? quam primi illius jubili ardens impetus, qui tantisper restinctus, hodie rursum apud nos accenditur, & ad significationem lætitiæ non vulgaris denuo suscitatur.*

Propositio cum partitione. *Jam si torrens ille voluptatis, qui terras, ac regiones nostras inundat, tantæ est plenitudinis, ut etiamnum redun-*

redundet; indulgete mihi, Auditores, *ut me ad ipsum, unde derivatur, fontem transferam: agitabo illum, & commovebo, ut crescat porro, & jubilum in animis nostris magis & magis suscitet, & accendat. Est quippe hic jucundissimus Serenissimi Principis, ac futuri Regis nostri exortus tam amplum non unius gaudii argumentum, ut ad ejus, tanquam novi cujuspiam sideris in Cœlo exorientis, ac refulgentis spectaculum, & admirationem universi exciantur, vereque de illo, ceu futuræ felicitatis prænuncio, perinde, ac olim de Joanne, humanæ salutis præcursore, dici valeat:* multi in ejus gaudent nativitate. *Joannis nativitas gaudium attulit parentibus, attulit vicinis, attulit ipsi, tanquam Sacerdotis filius, Judæorum synagogæ. In exortu recens nati Principis nostri gaudent Augusti parentes, gaudent subjecti populi, gaudet Ecclesia DEI. Augusti parentes ob natum hæredem: subjecti populi ob natum Principem: Ecclesia DEI ob natum columen. Ordiamur.*

PARS I.

GAUDENT AUGUSTI PARENTES OB NATUM HÆREDEM.

Prima divisionis pars, continens affectum gaudii, probatur Enthymemate subdivisionem à loco enumerationis partium continente: Gaudet Avus, gaudet Pater, gaudet Mater; ergo gaudent Augusti parenrentes ob natum hæredem.

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

Nihil perinde (a) *conjugibus, hæredum percupidis, seu viri sint, seu fœminæ, tristius quidpiam evenire consuevit; quam si thalamum videant suum nullo masculæ prolis, futuri subinde hæredis, fructu fœcundari. Aspicite Annam, Samuelis Matrem, O DEUM! quos non illa fletus edebat? quibus non doloribus premebatur cor ejus,* quod Dominus conclusisset vulvam ejus? *Quam amaro ad Dominum animo orabat flens largiter, ut sacræ ajunt literæ? Quæ non vota faciebat, ut filium obtineret?* Domine *(inquit)* exercituum! si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus (b). *Hic vero dolor licet in omnium, maxime tamen in Principum, ac illustrium virorum conjugio acerbior esse solet. Quorsum (ajunt) tot nostræ opes? Quorsum tot tituli? Quo coronæ? Quo sceptra? Quo tot opimæ, si nullus superfuetit hæres, devolventur hæreditates? Deficiet stemma nobile, concidet gloria, omnis memoria exstinguetur. Haud dispar nostros quoque sereniſſimos Principes hæredis obtinendi solicitudo tenebat. Videbant enim, si masculæ sobole destituti vita repente fungerentur, suo cum funere totius etiam Augustæ domus una funus esse efferendum: nomen tot sæculis gloriosum tristi sepulchro æternum esse contumulandum: am-*

a) *Ingressus in argumentationem à contrario.* b) *1. Reg. 1. v. 11.*

amplas tot regnorum possessiones, quæ, dum filiorum manibus tenentur, quasi ab ipsis parentibus, vel à morte, adhuc retinerentur, in perpetuum de manibus esse dimittendas. Præterea videbant: suas coronas, sua regna, suos populos ingentibus belli calamitatibus, quasi ad ictum, & metam esse exponendos. Quapropter gravissimo non secus, ac olim Abraham, & Sara: Elcana, & Anna: Zacharias, & Elisabeth *mœrore torquebantur. At postquam singulari DEI ter Optimi Maximi munere votorum compotes sunt effecti, quis dicendo explicet: quanto nati modo felicitas hæredis gaudio perfuderit, seu Excelsum spectemus Patrem, sive Sereniſſimam spectemus Matrem, sive Augustum spectemus Avum.*

I. Pars subdivisionis: Gaudet Avus. *Ultimo Avum nominavi, ut primum intelligatis. Utinam viveret grandis ille, ac immortali memoria dignus Cæsar, Carolus, hoc nomine Rex Hungariæ tertius, & sextus Romanorum Imperator. Proh quanto natus modo nepos illum gaudio cumularet! Tanto certe, quantis antea curis, suspiriis, precibus, votis, ut tandem aliquando nasceretur, animum ejus fatigarat. Nunc accepto in ulnas dulci pondere, ac defixis identidem blande osculis, cum Zacharia mutatis paulum vocibus exclamaret:* Benedictus DEUS Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem stirpis, ac plebis meæ, & erexit cornu salutis in domo mea! *Exclamaret, inquam: nam, obtento feliciter nepote, videret se ab omni metu, cura, dolore jam absolvi, & vota sua prospere*

jam

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

jam compleri. Nam si tristia fas est lætis admiscere, dicere possumus: Augustum hunc nepotem tantopere suo ab Avo fuisse expetitum, ut ejus desiderio vitam quasi posuisse videatur. Angebatur enim gravissime, dum cerneret, nullum sibi filium superstitem esse, à quo dulcissimo Patris nomine posset compellari; illud magnopere exoptabat, ut saltem à Nepote Avi nomen obtineret, qui florentissimam, quinque, & amplius sæculis, gentis Habspurgicæ memoriam dimidia saltem sui parte retineret, lætus ad posteritatem transmitteret, partas pace, bello, tot coronas prospere tueretur. Pervidebat præterea pro insigni, qua præditus erat, mentis sapientia, quibus Respublica, si hærede destituatur, à morte sua calamitatibus esset involvenda. Et quoniam subjectos sibi populos, ceu Pater filios, incredibili amore fuerat prosecutus, omnes eo curas convertit, ut impendentem publicam tempestatem nato hærede, saltem nepote, à cervicibus nostris quam longissime removeret. Sed quid angeris, O Cæsar! Vides, nato jam nepote glorioſas mentis tuæ ideas finem esse consecutas. In eo, nimirum, elaborabas: cum filium non possis, saltem Nepotem magnum efficeres. Hoc de consilio Austriacum sanguinem felicibus nuptiis cum Lotharingico conjunxisti: regna omnia, ac Provincias in Filiam primogenitam traduxisti: tot, tamque solennes legationes instituisti: cum amicis Regibus fœdera, aut nova sanxisti, aut vetera affirmasti. Triumphaigitur, O Cæsar! attigisti tuorum metam consiliorum: habes nepotem, tot votis concupitum,

tri-

triumpha! triumpha! Triumpharet enimvero; nisi his de nepote curis, angoribus, ante, quam gaudii particeps redderetur, vitam sibi quodammodo præcipitasset. At quamvis, Auditores, *jam mundo ereptus haud nobiscum gaudeat in terris; gaudet tamen è loco sublimiore in cœlis, ac cæteris cum Regibus Austriacis sancta init consilia, quî natum recens Nepotem ad omnem Regium splendorem oporteat educare, ut in se uno colligeret dispersas non minus tot Avorum virtutes; quam gloriam, & triumphos.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

II. Pars subdivisionis: gaudet Pater. *Ita fiet. Spondet hoc præcelsa Genitoris hanc in rem admodum intenta Virtus, quo cum Divina idem egisse videtur providentia, quod olim egerat cum Abrahamo. Volebat hunc præpotens DEUS in novi caput populi erigere, promisit ei filium, in quo una cum Patre multam subjecti quoque populi, ac cæteræ etiam gentes, ac nationes acciperent benedictionem*: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ (*a*). *Quapropter jubet eum egredi de terra, de domo, de cognatione sua, ut amorem patriæ, & cognationis, nascituri quondam heredis amori devoveret*: Egredere, *inquit*, de terra tua & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ (*b*). *Haud secus evenit cum Fran-*

a) *Gen. 26. v. 4.* b) *Gen. 12. v. 1.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

Franciſco, Excelſo nati recens parvuli Genitore. Hic, ut paci publicæ conſuleret, egreſſus de terra ſua, ac de domo Patris ſui, Lotharingia, avitam reliquit hæreditatem, ceſſit antiquiſſimi jura patrimonii, patriæ ſuæ, ac domus amorem, communis per Europam pacis, & quietis amori, magnanimo prorſus exemplo, ac heroico ſpiritu conſecravit, venit in terram, Auſtriam nempe, quam ſibi per Carolum Cæſarem monſtravit DEUS. Et ecce! factus eſt in gentem magnam: quoniam in nova rerum ſerie factus eſt pater, & quidem ejuſmodi filii pater, qui fulcrum eſt ſtabiliendæ domus vetuſtiſſimæ, ac nobiliſſimæ; caput autem, & origo alterius in novam Monarchiam erigendæ, ex qua orientur Reges, gentes autem, & nationes benedicentur. O quanto igitur geſtire gaudio te oporteat, Excelſe Genitor, nato hoc recens filio, per quem, & Auſtriacæ gentis ruinas reparaſti, & Lotharingicum ſanguinem, de domo, de patria ſua egreſſum, in gentem magnam provexiſti. Gratias igitur DEO præpotenti immortales age, qui tanto te beneficio affecit, nomen ita tuum magnificavit, ſemen tuum in tantum gloriæ faſtigium evexit.

III. Pars ſubdiviſionis: Gaudet Mater. *Sed Auguſtæ etiam Genitrici regium hoc germen, tantopere deſideratum, magnæ argumentum eſſe debet voluptatis, & quidem tanto majoris, quanto prius amplioris, tot inter dolentis animi anguſtias expectatum, cauſa fuit afflictionis. Vere de illo Auguſta dicere Mater poteſt, quod olim Rachel de ſuo dixerat Beniamino*

no (a): filius doloris mei. *Ipsa enim videbat se ab Augusto Genitore suo delectam, & constitutam esse, ad reparandas paterni thalami ruinas, ad explenda populorum vota, ad stabiliendam publicam regnorum felicitatem; cum igitur primo, & altero excelsi uteri fructu esset fœcundata, perpendite! quantis suspensi animi fluctibus eam agitarit incertus eventus: num Augusti Genitoris spem esset sublevatura, num chari conjugis expectationem expletura, num popu orum votis responsura, num Excelsæ domui suæ perennitatem paritura?* Quis deinde concipiat animi dolorem, *dum se videret terno jam partu factam esse Matrem, nec tamen ullum Genitori suo nepotem, Conjugi filium, stirpi Augustæ hæredem, subjectis populis principem attulisse?* Credite: *meritam in illius animo invidiam pulcherrimus Matris titulus excitarat, cum per omnes Europæ aulas oculos circumferret, & neminem, se præter, conjugem tam infelicem inveniret, quam non filius Princeps pio manuum osculo Matrem salutaret. Viget etiamnum in animis nostris memoria eximiæ illius pietatis, qua vidimus eam celebriora Urbis Viennæ templa eapropter obiisse, prensasse Divûm altaria, concepisse vota, supplicationes instituisse, piorum hominum preces, & sacrificia postulasse; imo ipsammet ardentioribus desideriorum flammis incensam cum sterili Anna orasse* (b): si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, - - dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino.

Quasi

a) *Gen. 35. v. 18.* b) *1. Reg. 1. v. 11.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

Quasi diceret: O Præpotens DEUS! vide meas, quibus immane quantum premor angustias, & dolores! En ego sum illa Matrum infelicissima! quæ nullum uteri mei solatium, sobolem masculam, intueor. Da, obsecro, mihi hæredem, da filium, quem si dederis, dabis Ecclesiæ defensorem. Hæc erant ejus suspiria, quæ afflictam, at una in DEI voluntatem plene conformatam, Matris Augustæ mentem occupabant. Et quis novit? An non jam tum internam DEI vocem audierit, quam Dominus afflictæ Agar per Angelum nunciarat: Concepisti, & paries filium, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam (a)? *Proximus, quem utero gestas fœtus, erit filius afflictionis tuæ.*

Complexio I. partis. *Ita equidem, natus modo parvulus, si præterita spectemus: Avi nempe curas, Patris solicitudinem, Matris angustias, & preces, non parvæ filius afflictionis erat; at, si præsentia intueamur, non afflictionis; sed magnæ filius est consolationis. Habet enim jam Avus nepotem, tot curis desideratum, qui labantem Augustæ gentis Habspurgicæ domum fulciat. Habet Pater filium, tantopere expectatum, qui stirpem Lotharingicam in gentem magnam provehat. Habet Mater hæredem, tot precibus expetitum, qui regali in throno succedat. Plaudite igitur, Augusti Parentes! En parvulus natus est vobis, hæres datus est vobis! Tu tamen cumprimis Augusta plaude Mater; nam te plaudente, & conjux plaudet, & plaudet Genitor.*

Con-

a) *Gen. 16. v. 11.*

Conjux: quem tanti filii tantum Patrem effeciſti. Genitor: cui edito Nepote glorioſum Avi nomen impoſuiſti. Te vero, quod unum maxime in terris optaras, benigno DEI munere tanti hæredis Matrem inauguraſti, plaude! plaude! Verum ita plaude, ut ſubjectos etiam populos in hujus plauſus communionem voces, quibus Principem peperiſti.

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

PARS II.

GAUDENT SUBJECTI POPULI OB NATUM PRINCIPEM.

Altera diviſionis pars probatur ſyllogiſmo tripartito, qui ſubdiviſionem in majore ſtatim complectitur. Ob illum, tanquam natum Principem, gaudent ſubjecti populi, cujus nativitas omnem venturæ calamitatis metum avertit, nec minorem futuræ felicitatis ſpem promittit; ſed talis eſt Joſephi Archiducis, tanquam Principis, nativitas. Ergo ob illum, tanquam natum Principem, gaudent ſubjecti populi.

Major. *Nati felicitas Principis tanto ampliorem populis parit lætitiam, quanto majoribus, ſi non naſceretur, Reſpublica tempeſtatibus, & procellis eſſet involvenda, aut poſtquam natus eſt, ab earum metu eſt liberata, ac præterea ingentibus venturæ felicitatis ſpebus eſt recreata.* Minor. *En populi* Auſtriaci! *tibi cumprimis* Hungaria, evangelizo gaudium magnum: quia natus eſt vobis hodie ſalvator (a)! *In auſpicatiſſimo enim* Joſephi *Archiducis exortu ejuſmo-*

a) *Lucæ 2. v. 10.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

jusmodi natum habetis Principem, qui vere aget Salvatorem. Ejus enim nativitas jam nunc ingentem à cervicibus, & salute vestra, venturæ calamitatis metum avertit; nec minorem posteà futuræ felicitatis spem promittit.

I. Pars subdivisionis: Nativitas Archiducis Josephi ingentem a populo venturæ calamitatis metum avertit. *Ac ut prius de calamitatibus loquamur. Quis nescit? Mortes Principum sine hærede decedentium maximarum, quæ populus subinde pati debet, semina jacere calamitatum. Nunquam solæ Regum emoriuntur familiæ. Quemadmodum si alta ruat Cedrus, plurium post se arborum ruinam trahit; sic populus, & Provinciæ sua plerumque clade Regibus, sine hærede mortuis, debent parentare. Ite per annales: an legetis sine turbis, sine cædibus, à stirpe una ad aliam coronas transiisse? Fatale veluti discordiæ malum projectum fuisset, cum imperii pomum seu à stirpe* Caroli *Magni ad* Conradum *primum, &* Saxones, *seu ab his ad* Francones, *seu inde ad* Svevos, *de manu gentis unius ad alteram transferretur. Et ne procul discedamus, O utinam discedere deberemus, ne tristia hujusmodi domi nostræ haberemus exempla! Recogitate, in quam infames scopulos steriles Regum thalami* Hungariæ *felicitatem impulere? Nolo memorare* Andreæ *Tertii, ultimi, ex Stephani Sancti Regis familia, Principis* Hungari, *tempora, ingentibus belli tempestatibus implexa, ob* Carolum, Wenceslaum, *ac* Othonem, *Reges rivales, de capessenda regni corona acriter*

inter

inter se decertantes. Satis acerbum est vel hodie adhuc meminisse eorum temporum calamitates, quibus à funesta Ludovici II ad Mohatsium clade Hungaria fuit conflictata, dum exortæ Zapolium inter, ac Ferdinandum discordiæ eo rem Hungaram deduxere, ut tota propemodum lamentabili funere esset efferenda; nisi regno, jam jam interituro, regales humeros Austriacæ stirpis potentia, & felicitas supposuissent. Agite populi! age Hungaria! an non his etiam temporibus ex hoc sterilitatis malo idem vobis malum à morte Cæsaris Caroli, nunquam satis deplorandi, fuisset pertimiscendum? Ita vero fuisset; nisi providentissima sapientissimi Principis cura malo huic opportune occurrisset: nisi publico regni consensu filiam, Principem numeris omnibus absolutam, jam ante regnorum hæredem scripsisset: nisi sceptra, coronas, jura omnia feliciter in eam transtulisset: nisi illa (quod rei caput est) edito in lucem hærede, quodam veluti pacis, ac felicitatis pignore, aut obside, cuncta hæc prospere stabiliviſſet, atque sic impendentes capitibus nostris procellas auspicato avertisset. Exurge jam, per nos licet, è tuis Borussiæ finibus Rex Fricerice! appara, quos libet, belli motus, nil à te, nil à cæteris, quos in tuam è Gallia, è Bavaria trahis societatem, sociis hostibus habent Hungariæ populi amplius metuendum! Adstrinxit sibi Princeps Augusta hoc pulchro pignore, quodam veluti amoris vinculo, nunquam solvendo, gentis Hungaræ fidelitatem, ut hoc munere devincta suum vel fuso sanguine pignus sit tuitura. O feli-

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

cem igitur tertium ante idus Martias diem! quæ tantam populis felicitatem peperisti, ut omnem venturæ calamitatis metum avertas, nec minorem futuræ prosperitatis spem promittas.

II. Pars subdivisionis: Nativitas Archiducis Josephi non minorem futuræ felicitatis spem populo promittit. *Ad hanc porro augurandam haud opus est, ut gentilium vatum more stellas, quæ partui falso præesse creduntur, natalitias consulamus, Vel ipsum* Josephi *nomen, magnum certe, & sanctum, quod Hebræo sermone accrescentem:* filius accrescens Joseph (*a*); *Ægyptio autem significat Salvatorem:* vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi (*b*), *ingens profecto, utraque interpretatione, augurandæ felicitatis præbet fundamentum. Habebimus in Serenissimo* Josepho *Principem vere* Josephum, *id est:* & accrescentem, & salvatorem. *Accrescentem, qui sapientia, ætate, gratia, cæterisque tanto Principe dignis virtutibus, ita crescet; ut, dum populos pace reget, magnis eorum felicitatem incrementis sit provecturus; belli vero tempore felicibus eorum salutem adversum hostes, ut Salvator, armis sit tuiturus. Ad populos, pace feliciter gubernandos, nil perinde facit, quam justitia, & clementia, regiæ profecto virtutes, quarum illa, dum suum unicuique jus tribuit, Principem quasi populi Patrem reddit; ista, dum clementer agit, Principem veluti Matrem facit. Illa populos in officio continet;*

a) *Gen. 49. v. 22.* b) *Gen. 41. v. 45.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

tinet; ne à Principis obsequio discedant. Ista efficit, ut tametsi discesserint, rursus in obsequium redeant. Bene divinus Spiritus apud Salamonem (a): Justitia firmat solium; Roboratur clementia thronus (b). *Eja ergo populo* Austriace, *tu cumprimis* Hungarice! *veni, & augustas recens nati Principis tui flexo poplite cunas venerare. Vide, & jacentem parvulum Regem tuum sedulus contemplare:* quis putas puer iste erit (c)? *Eritne, quod sacræ de Josepho ajunt literæ: vir justus?* Joseph autem cum esset vir justus. *Firmabitne justitia solium ejus? Roborabiturne clementia thronus ejus? Eritne, quod sapiens ait:* lex clementiæ in lingua ejus? *Erit. Hoc enim Divina Matris Excelsæ spondet justitia, hoc promittit clementia, propriæ, ac in tesseram, & symbolum relatæ virtutes, quibus nihil illa justius, quam virtutem: nihil clementius, quam vitia, novit arbitrari. Ibi Pater; isthic Mater. Utrumque hic parvulus è maternis, velut cum lacte, suget uberibus, ut vere de eo dici queat: Et* lex clementiæ in lingua ejus. *Est enim ea parentum sanguinis ratio, ut per eum, ceu canalem, recti, pravique semina in posteros transfundantur. Sed etiam populi aget Salvatorem. Ita enim materna justitia, & clementia in parvulum infundentur, ut una spes paterna, & providentia, uni DEO innixa, in eum transfundantur, ut cum Davide* (d) *dicere valeat (quod Patris est symbolum)* in te Domine speravi. *Et*

a) *Prov. 16. v. 12.* b) *Prov. 25. v. 5.* c) *Luc. 1. v. 66.* d) *Psal. 30. v. 2.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

re ipsa non confundetur: Et non confundar, *ait David*; *tametsi gravissimi in illum, & populum ejus, ab oriente, & occidente, ab Austro, & Aquilone hostes insurgant. Transfundetur enim simul in eum avita Cæsaris* Caroli, *Avi sui, Invicti Regis nostri, constantia, & fortitudo. Constantia: ut hostibus firmiter obsistat, fortitudo: ut eos felicibus armis ad internecionem devincat. Erige jam caput tuum* (indulgete Auditores, *ut vatidicam in hoc lætitiæ impetu faciam digressionem*) *erige, inquam, caput tuum, O Silesia!* Non audietur ultra vastitas in terra tua, nec contritio in terminis tuis - -. Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam, *ait* (a) *Isaias. Nam Leo ille terribilis, qui pastore vita functo repente cepit gregem opprimere, desinet tuas vastare terras: natus enim hic parvulus eam Austriacis exercitibus vitam inspirabit, ita veterem in iis martium vigorem suscitabit, ut propediem non una clade tuis è finibus depellatur. Verbo*: minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam, *inquit Isaias.*

Complexio II. Partis. *Triumphate ergo, O subjecti populi! exultate regna! Princeps natus est vobis, ad cujus, velut lucidissimi solis, exortum magnæ impendentium calamitatum nebulæ sunt discussæ; sperandæ autem felicitatis serenior lux affulsit! Erit in* Josepho *Princeps vere* Josephus, *id est: accrescens, & salvator, qui pacis tempore vos reget clementer; belli ve-*

a) *Isaiæ 60. v. 22.*

vero temporibus tuebitur fortiter, & constanter. O magne rerum arbiter DEUS! En tuos proni in terram favores grati adoramus! Distulisti eos equidem; verum ut tanto chariores forent expectatione. Nec enim sciremus, quantum nobis à te bonum modo evenerit; nisi, quantum antea defuerit, sensissemus. O expetendus, & optabilis præ omni gaudio metus, qui tantum in animis nostris lætitiæ locum facis!

PARS III.

GAUDET ECCLESIA DEI OB NATUM SIBI COLUMEN.

Tertia pars divisionis probatur syllogismo quadripartito subdivisionem statim in majore continente. In illo, tanquam in suo columine, gaudet Ecclesia, qui suis illam virtutibus exornabit, beneficiis amplificabit, armis defendet. Hoc faciet Princeps Josephus. Ratio minoris: quia Princeps Josephus est futurus Rex Hungariæ Apostolicus, quorum est proprium DEI Ecclesiam virtutibus ornare, beneficiis augere, armis protegere; quemadmodum fecere omnes Austriaci Principes, qui Hungariæ solium hactenus tenuere. Ergo &c.

Major. *Et quid de te, O Sancta DEI Ecclesia, dicam? Nihilne natus hic Princeps ex communi Parentum, ac populorum lætitia quidquam gaudii in te refundit? O DEUM! qui non refunderet? Habet in hoc Principe Sancta Ecclesia natum sibi ejusmodi columen, quod suis*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

illam virtutibus exornabit, beneficiis amplificabit, armis autem defensabit. Ratio minoris. *Est quidem omnibus Catholicis commune Principibus, ut Ecclesiæ sint columina, & firmamenta;* Apostolicis *tamen* Hungariæ *Regibus, vel ea propter, quia sunt Apostolici, jam inde à Stephani, primi Hungarorum Regis* Apostolici, *temporibus proprium semper est, ac peculiare, ut ad Christi Ecclesiam ornandam, amplificandam, defendendam, præ cæteris mundi Principibus, magis semper sint obstricti. Et re ipsa* Austriaci *Principes, quot quot* Apostolicum *Hungariæ solium tenuere, in eo quam maxime elaborebant, ut huic* Apostolici *Regis muneri quam maxime responderent. Ac ne cæteros adferam, revocate in memoriam* Ferdinandum *hoc nomine II, nati Principis Atavum; DEUM immortalem! quæ non egit, quæ non sustinuit pro Ecclesia Dei? Revocate* Leopoldum I, *nati Principis Abavum; O Superi! quantos non exantlavit labores pro Ecclesia Dei? Revocate* Carolum *Sextum, nati Principis Avum, quis explicet, quibus ille virtutibus, beneficiis, præsidiis ornavit Ecclesiam Dei?* Minor. *Et quid? abludetne ab his pulcherrimis majorum suorum vestigiis* Josephus *noster? Imo superabit; vel certe æquis ita passibus eos consequetur, ut & ipse, Avorum suorum exemplis incitatus, suis Ecclesiam DEI virtutibus illustret, beneficiis augeat, armis denique tueatur.*

I. Pars subdivisionis: Natus Princeps suis Ecclesiam virtutibus illustrabit. *Fatendum*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

dum quidem est non semper Alexandros *à* Philippis, *sed interdum* Caligulas *à* Germanicis, *id est: pessimos ab Optimis procreari. Verum istud quoties evenit; ita præter naturæ ordinem fieri constat, ut in peccatis ejus reponatur. Usque adeo nihil monstro simile magis est, quam filius Patri longe absimilis, hoc est: si pessimo optimus contingat. At de Principe nostro quid? Nisi optima, quibus Ecclesiam ornet, virtutum monumenta possumus polliceri. Ab iis prognatus est parentibus, qui summa in DEUM feruntur religione, in Ecclesiam fide, in subjectos sibi populos amore, in egenos charitate. In quibus in tanta majestate summa est modestia; in tanta semet efferendi opportunitate summa demissio; in tanta luxus occasione summa temperantia; in tot voluptatum periculis summa castimonia. Verbo: omnis, quibus Ecclesia illustratur, virtus Christiana. Et quid? Aliumne poterant filio, quam ipsi habent, spiritum, & indolem indidisse? Hæc porro indoles ab iis formabitur institutoribus, vita integerrimis, ut nunquam corrumpatur: quoniam Christianam non nisi puero pietatem, DEI timorem, peccati horrorem, virtutis studium instillabunt. Ipsi etiam Augusti Parentes partientur inter se illius, Christiane educandi, curas. Sæpe Mater inculcabit, dum ei* Ferdinandos, *ac* Leopoldos *dabit contemplandos: vide fili, unde, & à quibus originem trahas? Ecce! quantis isti virtutibus floruere? quam pii, quam religiosi Principes extitere? Cave à majorum tuorum pietate deflectas. Disce ab eorum ex-*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

emplis quomodo Ecclesiam defendere, religionem propagare, populis debeas imperare. Quomodo supremo rerum Domino, per quem reges regnant, & justa decernunt, *te oporteat servire in spiritu, & veritate. Succedet subinde Augustus Genitor, atque ultimum exhibebit Avum: hæc norma est (inquiet) Christiane gubernandi: hanc fili imitare: sic compones majestatem cum modestia: magnanimitatem cum clementia: generositatem cum probitate: munificentiam cum parsimonia. Sic* Austriaci *vivunt Principes, sic regnant, sic moriuntur. Et hac educandi ratione, an non Principi* Josepho *ea statim jam à puero indoles imprimetur, quam postea seram usque ad ætatem vir etiam retinebit, atque summum Ecclesiæ, virtutibus suis illustratæ, fiet ornamentum.*

II. Pars subdivisionis: beneficiis amplificabit? *Superi! quid video? quæ, oro, se mihi spectandam offert rerum species? En! video magnifica ingenti sumptu templa excitari, video sacrata DEO altaria erigi, video locupletes parœcias instrui, video grandia surgere monasteria, video longum virorum DEO dicatorum agmen progredi. Ecquid ista notant? Si nosse cupis O Ecclesia DEI? Sunt hæc ingentia illa beneficia, quibus Catholicam aliquando* Josephus *noster, futurus Rex vere* Catholicus, *imo* Apostolicus, *auctaurus est religionem. Leget enim in fastis, & annalibus pulcherrima majorum suorum monumenta; imo non leget tantum, sed ipsis etiam oculis usurpabit, quam magnificum Divi-*

no

yo honori, in Sancti Caroli Borromæi *memoriam, Cæsar* Carolus *templum excitarit? Quam pretiosa altaria, & colossos* Leopoldus *posuerit? Quas paræcias, quæ collegia, quæ monasteria* Ferdinandus *erexerit? Quos viros Deo sacratos, ut Catholicam verbo, & exemplo proferant religionem, in suas ditiones* Rudolphus *intulerit? Hæc, inquam, leget, ac videbit, & dum legerit, ac viderit, incitabitur præclaris Avorum facinoribus ad paria pro DEI gloria, pro Ecclesiæ incremento beneficia religioni impendenda. Gratulare igitur Mater Ecclesia! Triumpha Christi Religio! Novum tibi* Austria *columen submisit! Quantum assurges hoc patrono; imo etiam vindice! Qui enim tantis te beneficiis est auctaurus, utique adversum hostes est etiam armis defensurus?*

III. Pars subdivisionis: armis defendet. *Non igitur fortuito, sed Divino prorsus supernæ providentiæ consilio factum esse credo, quod natum recens parvulum Christi Vicarius, Benedictus quartus decimus è sacro baptismatis fonte levârit. Jam tum Augusta puerpera, Ecclesiam universam suo in capite venerata, accipe, ajebat, hunc puerum, & nutri eum. Divino datus est mihi beneficio: ut promissa expleam:* si dederis sexum virilem, dabo eum Domino, *en! dum tibi do, reddo Domino in Ecclesiæ præsidium, ac defensionem. Infunde illi acerrimum, quo in hæreses, in Turcas, infensissimos rei Christianæ inimicos, jam à puero ardeat odium; ut cum adoleverit, atque suas viderit regiones à tot hæresi-*

bus

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

fœdum lacerari, regna ad solium attinentia ab juratis Christi hostibus Turcis occupari: incitetur Apostolico Ferdinandi, & Leopoldi *spiritu ad eas è terris suis evellendas, ad hos vero penitus profligandos. Et ecce! jam nunc video hæreses totis quasi artubus contremiscere. Ad tristem enim* Ferdinandi *II, sectas omnes è* Styria, *e* Carinthia, *ex* Austria *proscribentis, memoriam, velut modo jam persentiscunt: futurum, ut* Josepho *vindice in cæteris etiam, quæ purgandæ supersunt, regionibus templa adimantur, scholæ evertantur, ministri depellantur, verbo: avita Christi Religio veterem in florem reducatur.* Byzantinus, *etiam* Nabuchus *magnopere conturbatur, cum fatalem sibi* Leopoldi *Magni audit injici recordationem. Continuo enim in memoriam redit cruenta ad* Viennam *clades, feralis ad* Mohatsium *strages, funesta ad* Szalankeménium *cædes, misera ad* Szentam *internecio. Præterea redit mœstissima nobilissimarum tot Hungariæ urbium:* Budæ, Strigonii, Ujvarini, Agriæ, Eszekini, Petro-Varadini, Belgradi *recuperatio, & nominis Ottomanici è toto Regno exterminatio; metuit immane quantum, ne gloriosa* Leopoldi *virtute, hunc in parvulum cœlitus transfusa, eadem in cæteris etiam coronæ regnis, Mahometi strages inferatur. Quapropter ab eo, quo natus est, tempore, turbatissimis nocte somniis, ac terroribus sentit semet agitari. Objicitur enim dormienti persæpe symbolum suæ potentiæ, grandis nempe, & aspectu terribilis statua, quam demisso è monte lapillo videt prosterni,*

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

mì, *in pulverem comminui*; *lapillum vero crescere in montem magnum. Hoc ostento vehementer angitur, & turbatur, ignarus: quid portendat?* At *quid angeris O* Nabuch? *Quid Chaldæos, qui somnia explicent, frustra advocas divinatores? Expecta parumper, expecta, donec Regius hic parvulus adolescat: tum videbis: quid somnia portendant?* Quando Austriacus, & Lotharingicus *in corpore illius sanguis efferveſcet: quando Sanctissimum, quo sui majores in Ottomanos arserant, odium, in eo fuerit incitatum: quando Regiam domus suæ lustrabit Bibliothecam, atque illic leget glorioſa Avorum facinora, quæ bella gesserint, quas victorias reportarint? Præterea: quot Christiano Nomini injurias Ottomani intulerint, quomodo populos oppresserint, urbes, & provincias occuparint? Tunc, tunc enimvero videbis: quid somnia portendant? Armabit enim lorica pectus, caput galea, latus gladio, sinistram scuto, dextram hasta, atque sic armatus in aciem adversum te prodibit, ducet exercitus, obsidione premet urbes, prælia inibit, victorias reportabit. Nec ante pedem referet victorem, quam ea sacra loca, quorum se Domus* Lotharingica *Regem scribit* Jerosolymis, *ubi Divina pro hominum salute peracta sunt mysteria, è nefariis manibus eripiat, & Byzantium, male usurpatum, ad obedientiam reducat Vaticani. En! quid somnia portendunt? Crescе ergo, crescе, O puer Auguste, in hanc, quam Ecclesiæ promittis christianæ, spem, & felicitatem! Perfice secundis auspiciis, quæ olim Avi tui glorioſissimi inchoavere.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

vere. Illi hæreses è suis provinciis multa parte proscripsere; tu è toto Austriæ dominatu radicitus exscinde. Illi furoris Ottomanici vires attriverunt; tu penitus contere. Illi imperium concusserunt; tu funditus everte. Illi exitialem Lunæ splendorem multum obfuscaverunt; tu de cæli detractam in æternas, ne unquam porro lucere valeat, inferni tenebras demerge. Hoc à te poscit, hoc sperat sancta Christi Ecclesia, quæ sibi tantum in Te columen, præsidium, & ornamentum, divinitus submissum, magnopere gratulatur.

EPILOGUS.

Continens repetitionem cum affectu lætitiæ, gratulationem, gratiarum actionem, pia ad Superos vota, faustas ad natum Principem adhortationes; complectente. *Quid superat chari* Auditores? *Hoc unum profecto, quod sacræ literæ in Joannis, Christi præcursoris, natali factum esse prodidere. Cum Elisabeth tempus pariendi expleviſſet, peperit filium; ac ubi audiſſent vicini, & cognati ejus:* quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, congratulabantur ei (a). *Et quid nos O chari* Auditores? *Cum audimus Serenissimam Principem nostram, singulari DEI munere, exoptatum tantopere filium feliciter peperisse, non in gaudia, non in gratulationes, non in plausus, non in gratiarum actiones, non in pia ad Superos vota, non in faustas Augusto parvulo precationes effundemur? Effundimur enimvero,*

&

a) *Luca. 1.*

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

& primum magnopere gratulamur vobis, O Augusti Parentes, cum quibus suam perinde hodie Præpotens DEUS, ac olim cum Zacharia, & Elisabeth, misericordiam magnificavit. Dedit enim vobis hæredem tot curis, tanta solicitudine, tot precibus concupitum, ut domum avitam nepos fulciat, ut stirpem paternam filius provehat, ut thronum maternum hæres occupet. Fruimini igitur hoc thalami vestri solatio, tam eximio, quo subjectis etiam populis ingentem gratulandi materiam præbuistis. Habent enim in eo Principem longe felicissimum, qui jam nunc, sua nativitate, magnum ab iis metum propulsavit, & amplissimam futuræ felicitatis, seu pace regat, seu bello tueatur, spem pollicetur; Ecclesiæ vero maximo erit, & ornamento, & patrocinio, & præsidio. Ornamento: suis virtutibus; patrocinio: suis beneficiis; præsidio: suis armis; sive dein hereses lacessat, sive Turcas bello infectetur. Quapropter, O magne DEUS, tuis assisi aris immortales tibi gratias agimus, quod tanto, & Serenissimos Parentes, & nos populos, & ipsam Ecclesiam beneficio non dicam affeceris; sed plane cumularis. Age ergo, O æterne DEUS, ut hoc munus tuum, quod in terris maximum, & optimum contulisti, porro salvum, & integrum conserves, & tuearis; imo æternitati adscribas. Æquum enim est, ut nihil in eum juris humana habeat mortalitas: quem singulari immortalis, ac æterni Numinis datum favore, & consilio intelligimus. Quidquid ab eo gloriose gestum fuerit (quanta autem sunt futura!) tuum semper nobis beneficium me-

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

memoriam repetet, novumque grati animi exiget debitum: & quoniam illud æternum esse volumus; æternum nobis Principem serva Josephum! *Vel, cum æternus esse nequeat, serva diuturnum. Hoc ut porro eveniat, tuas Magne* Josephe, *Christi parvuli Pater olim Nutritie, & Augustæ Domus* Austriacæ *Præstes Optime, preces, & merita interpone! Tuo illum nomini, honori, cultui, patrocinio Augusti devovere parentes, fac, ut ope tua, ac præsidio salvus asservetur. Quapropter tuis eum in ulnis, in brachiis deponimus, quibus olim mundi Servatorem gestasti; tuæ fidei credimus, tuo præsidio committimus, quo Divinum olim pusionem, & sanctam ejus Matrem protexisti. Protege, oro, Augustum hunc etiam pusionem, quod à Te supplici prece Sereniſſimi deposcunt Parentes, subjecti orant populi, Sancta Christi, hæc inter Missarum solennia, petit Ecclesia. Sed & Tu cœlestis Puer, Christi Servatoris præcursor, magne, imo, quia inter natos mulierum nemo te hactenus surrexit major, maxime* Joannes! *Age tuo potenti apud DEUM interventu, ut Augustus hic pusio tecum feliciter,* crescat, & Spiritu confortetur (*a*), sitque manus Domini cum eo (*b*), *ut prospere adolescat, ac ubi adoleverit, populos feliciter pace regat, & bello tueatur. Tu vero, Princeps Sereniſſime, ut hæc auguria compleantur,* circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto glorioſus, & speciosis induere vestibus (*c*)! Circumda tibi decorem,

id

a) *Luc. 1. v. 80.* b) *Luc. 1. v. 66.* c) *Job. 40. v. 5.*

id est: ita crescе in pueritia, ut suavissimorum amœnitate morum tuis natalibus venerationem addas, ac splendorem. In sublime erigere: *id est: in juventute masculæ virtuti majestatem, principe dignam, adjunge.* Et esto gloriosus: *id est: ubi vir imperium capessiveris; ita bella geras, & fœdera ineas, ut à majorum tuorum gloria nunquam desciscas.* Et specioſis induere vestibus: *id est: factis egregiis, & heroicis virtutibus viam aperi, quibus imperii diadema, quod Avi tui, Seni supra denos, cum gloriâ gestavere, ceu hæreditatem ad te reducas. Dixi.*

ARTICULUS II.

DE ORATIONE SACRA EUCHARISTICA.

§. I.

Præcepta Orationis Sacræ Eucharisticæ.

EUcharistica Oratio est, qua ob acceptum insigne quoddam beneficium DEO gratiæ referuntur. Εὐχάριστος enim idem est, ac gratus, memor beneficii; εὐχαριστία vero gratiarum actio, grata animi significatio, beneficiorum grata commemoratio. Creber harum Orationum usus est in Ecclesia, maxime, cum, decantato solenniter hymno Ambrosiano, publicæ DEO ob acceptum beneficium gratiæ dicuntur. Verbi causa: ob depulsam publicam pestis, famis, belli, incendii, calamitatem: ob pacem prospere confectam, ob sæculum feliciter exactum,

CAPUT III. ARTIC. II. §. I.

ob annum, ab emissa professione religiosa, vel à celebrata prima missa, jubilæum, ob coronatum Principem &c. Creberrimæ autem omnium sunt Orationes *Epiniciæ* ob reportatam, de cæso, vel fugato hoste, victoriam: ob urbem ab hostibus acceptam, vel receptam, aut obsidione liberatam. Vel denique cum annua hujusmodi victoriarum memoria celebratur. Atque de his *Epiniciis*, utpote frequentioribus nunc Orationibus, potissimum hic agam; cæteras, cum singillatim prosequi longum foret, consulto prætereo. Illud porro in iis curandum, ut sacræ nomen Orationis obtineant, è fontibus Sacræ Eloquentiæ propriis pertractentur, oportet; secus in profanum, vel Academicum sermonem migrabunt. Sit igitur.

I. *De inventione.* Textus sacer ex quocunque Scripturæ loco promi potest; sit tamen materiæ, *Eucharistica* Oratione celebrandæ, appositus. Cujusmodi forent in *Epiniciis* sequentes sententiæ (a): *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam.* 2. *Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum* (b). 3. *Quibus gestis in hymnis, & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel* (c). 4. *Dies autem* (d) *victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem di-*

a) *1. ad Cor. 15. v. 57.* b) *4. Regum. 19. v. 34.* c) *2. Mach. 10. v. 38.* d) *Judith. 16. v. 31.*

diem. Et his perſimiles. Oportuniſſimæ autem forent, ſi ex diei, qua *Epinicia* celebritas agitur, Evangelio apte promi poſſent. Partitiones ex variis fontibus peti queunt. 1. Ex aſſumpta ſacra ſententia. Verbi cauſa: ſiquis *Eugenio Sabaudo* Principi adverſus Turcas proficiſcenti, & à Pontifice *Clemente* XI gladio gemmeo donato, poſtea ad Belgradi mœnia de Turcis victoriam reportanti, *Epiniciam* adornaſſet panegyrim, belle illud ex libris Machabæorum uſurpaſſet (*b*): *Extendiſſe autem Jeremiam dextram, & dediſſe Judæ gladium aureum, dicentem: accipe ſanctum gladium, munus à DEO, in quo dejicias adverſarios populi mei Iſrael.* Cum hac partitione: *Eugenius Sabaudiæ Princeps Victor de Turcis glorioſiſſimus: qui* 1. *gladium munus à DEO ſanctum, in profligandos hoſtes per Clementem Pontificem accepit.* 2. *Qui hoc Sancto gladio Turcas, infenſiſſimos populi Chriſtiani adverſarios, dejecit.* Vel in illam Dominicæ X poſt Pentecoſten, opportune cum ſolennitate Epinicia concurrentis, Evangelicam ſententiam: *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*, cum hac partitione: *DEUS hoſtem ſemet exaltantem humiliavit; Mariam autem Thereſiam ſemet humiliantem exaltavit.* 2. Ab adjunctis victoriæ. Verbi cauſa in illud Pauli: *DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam.* Victoriam. 1. *Celerem.* 2. *Victoriam inſperatam.* 3. *Victoriam grandem. Celerem:* quia

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

brevi tempore confectam. *Insperatam*: quia primum hostibus propitiam; nobis vero adversam. *Grandem*: quia exigua nostrorum, multa hostium strage, confectam. 3. A laudibus Ducum, & militum. *DEO autem gratias, qui nobis dedit victoriam.* 1. *Magna Ducum prudentia*, 2. *Summa militum fortitudine partam.* Item: *Triumphatum est* 1. *de hoste provido; sed majore providentia.* 2. *De hoste prudente; sed majore prudentia.* 3. *De hoste potente; sed majore potentia.* 4. A gratiarum actione. *DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam* 1. *Gratias DEO Patri, qui suam hac in victoria ostendit potentiam.* 2. *Gratias DEO filio, qui suam hac in victoria ostendit sapientiam.* 3. *Gratias DEO Spiritui Sancto, qui suum hac in victoria ostendit amorem.* 5. Sumuntur partitiones ex locis generalibus: ut à necessario, difficili, utili, &c. Verbi causa: *Expugnatio Urbis Budæ magno constitit labore, ut obtineretur.* 2. *Magnum attulit fructum jam obtenta.* Item: *Hæc victoria magno hostibus est pudori; nobis gloriæ.* Item: *Magno hostibus damno; nobis utilitati.*

II. *De dispositione.* In *exordio* hujus Orationis eleganter ingressus ducitur à *sententia sacra* Orationi præmissa; postea in descensu themati applicata. 2. A communi lætitia ob acceptum victoriæ beneficium. 3. *Ab adjunctis loci, temporis*, in quibus sermo *Eucharisticus*, ac *Epinicius* instituitur. *In Confirmatione* attendendum ad partitionem,

&

& ex quo illa loco, & fonte est deprompta; inde pariter confirmationis argumenta sunt petenda. Cæterum eleganter explicatur 1. victoriæ difficultas à natura loci, arte munitionis, industria, labore, ingenio hostium, in cuniculis struendis, in assultibus instituendis, vel impediendis, in stratagematis inveniendis. Vel 2. Enumerantur ejus commoda, fructus, utilitas Regi, Regno, Ecclesiæ, ex victoria obvenientes. 3. Commendatur belli necessitas, aut æquitas in suscipiendo, diligentia in apparando, virtus in gerendo, celeritas in conficiendo. 4. Laudantur viri fortes in pugna strenue se gerentes, mortem oppetentes. 5. Celebratur bellidux, ac Princeps, cujus auspiciis victoria parta est. Imo ipsi etiam hostes laudibus efferuntur, ut eo magis acceptæ victoriæ beneficium attollatur. Vel Sancto, cujus ope, ac patrocinio victoria obtenta est, panegyris constructur, fiducia in eum excitatur. Denique optima confirmandæ Orationis Epiniciæ argumenta præbebunt circumstantiæ, in quibus victoria reportatur. In complexionibus, & Epilogo excitur gaudium, aut gratiarum actio DEO, victoriarum largitori. Vel 2. fiunt vota pro victoris Principis, aut beliiducis incolumitate, gloria, felicitate. Vel 3. instituitur gratulatio urbi, populo, Principi, belliduci. Vel denique fit apostrophe ad sanctum, cujus ope, patrocinio victoria est relata:

CAPUT III. ARTIC. II. §. 1.

CAPUT III. ARTIC. II. §. I.

commendantur ejus curæ, favori, tutelæ urbs, arma. Vel denique fit apta ad mores digressio. Modi autem instituendæ Confirmationis Epiniciæ esse possunt per aliquam argumentationem, ut syllogismum, enthymema, cum subdivisione, vel sine illa. Aut per adjuncta actionum: quis retulit victoriam, quam retulit, ubi retulit, cur retulit, quomodo retulit, quibus auxiliis, aut quando retulit: ad illum circiter modum, quem diximus de Panegyri Sanctorum superius. Vel per narrationem ab adjunctis antecedentibus, comitantibus, & consequentibus ipsius victoriæ. Aut per exempla Biblica, unum, aut plura, cum prothasi, & apodosi, ut habet *Peickhart* de Vienna, ab obsidione liberata, in qua triplex Divinæ potentiæ stratagema ait reluxisse. 1. *In obcæcatione hostium.* 2. *In dispersione fœderatorum.* 3. *In fortitudine Heroicæ mulieris.* Primum probat *exemplo Samariæ*: alterum *exemplo Jerosolymæ*: tertium *exemplo Bethuliæ.*

III. *De elocutione* Elocutio in hac Orationis specie stylum deposcit narrationi Panegyricæ convenientem. Affectum continet vel gaudii, vel gratiarum actionis. Gaudii affectus exciatur moderate; absit vero, ut hostes mordaciter, vel injurioše lacessantur: id enim dedecet sacri pulpiti sanctitatem, præsertim cum victoria de hostibus Christianis, ac Catholicis reportatur; secus, si de hostibus barbaris, aut hæreticis esset rela-

relata; tunc amplius gaudio indulgeri potest. Amplificationes petantur è fontibus sacris; ne sermo [ut dixi] Academicus evadat. Si concio sit popularis, ad rudiores, aut mediocres Auditores, vel tametsi ad doctiores; forma tamen mediocri habenda, aut ex tempore dicenda; poterit è fontibus moralibus pertractari, aut mixta esse. Verbi causa in illud Lucæ: *De manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi: in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* In exordio breviter narrari potest: quomodo de *manu inimicorum nostrorum liberati simus*; dein reliquo Orationis corpore tractari: quomodo *in sanctitate erga Deum*; postea *in justitia erga proximum servire debeamus*, ut pro tanto beneficio gratos nos exhibeamus. Vel prima Orationis parte dicatur: *quomodo liberati simus*; altera *quomodo servire debeamus.* Vel in illud Davidis (a): *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* 1. *Ad obtinendam victoriam Deus est invocandus.* 2. *Post obtentam victoriam Deus est honorificandus.* Vel denique: *invoca me*, sit prima pars; *eruam te*, sit altera pars; *honorificabis me*, sit tertia pars.

§. II.

Paradigma Orationis sacræ Eucharisticæ.

IDeam Orationis sacræ Eucharisticæ ob relatas de hostibus victorias invenies

a) *Psal. 49. v. 15.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

inter panegyres *Francisci Peickhart* Teutonico idiomate scriptas; nos aliam de *Buda*, è Turcarum manibus erepta, damus in exemplum. Est Panegyris pura.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO, nisi hic alienigena.* Lucæ 17. v. 17.18.

Thema Concionis: *Æquum est, ut solenni gratiarum actione Urbis Budæ, è Turcarum manibus ereptæ, memoria recolatur: quoniam grandis in ea beneficium victoriæ est collatum.*

Partitio Thematis: Quæ 1. *ingenti constitit labore, ut obtineretur.* 2. *Ingentem attulit fructum jam obtenta.*

EXORDIUM.

Ingressus à contrario, & sententia Evangelica: *Ingratitudo est vitium, usque adeo mortalibus detestandum, ut viri, præcellenti etiam virtute præditi, gravissimo eam plerumque animo persentiscant. Ipse Divinissimus Servator Christus, quo nemo jam ullus sanctitate præcellentior esse potest, acerbe admodum tulisse videtur.* Quid egit hodierno in Evangelio, *cum decem leprosis, divinitus ab se consanatis? Cum videret unum tantummodo* Samaritanum *ad dicendam accepti beneficii gratiam rediisse; justo, gravique dolore incensus, ingratitudinem exprobrasse*

brasse perhibetur. Nonne decem *(inquit Christus)* mundati sunt, & novem ubi sunt? *Ergo* non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO; nisi hic alienigena *Samaritanus?* *O ingratos mortales! Beneficia nostis accipere, at pro beneficiis non perinde reddita gratia nostis respondere.*

Descensus ad aliud contrarium. *Alius de te, O* Buda *arcium Regina, & ab his mortalium ingratissimis novem leprosis longe absimillimus, æterni Patris est hodie sensus! Accepisti, si fortasse non grandius, par certe cum leprosis beneficium. Quid enim est Ottomanica tyrannis, ac quædam veluti lepra, ac pestis, quæ à capite ad calcem humana fœdum in modum membra depascit?* *Haud secus Turcica egit tyrannis. Hæc à capite, id est: ab urbe Principe, per reliqua membra, sive arces, & urbes grassata, ad usque calcem, sive ultimos imperii fines, nobilissimum Regni Hungarici corpus est depasta. At singulari DEI ter Optimi, Maximi munere hodie feliciter es mundata. Belle igitur Evangelicum Samaritanum æmularis: cum in publicas, longo supplicantium ordine, effusa gratulationes, debitam DEO Præpotenti gratiam, & cum gratia gloriam reddis. Hic enimvero compleri video, quod sacris in literis de Bethulia, ab Holofernis obsidione cœlitus liberata, legimus memorari.* Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis, ex illo tempore, usque in præsentem diem. *Fuit Buda fortissimum,*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

& *Regni*, & *Religionis propugnaculum. Hæc ab immaniſſimo Holoſerne, id eſt:* Solymano, *Turcarum Imperatore, aſtu verius, quam ferro intercepta: unius, ac dimidii propemodum ſæculi intervallo à Turcis inſeſſa: longis obſidionibus ſemel, iterum, ac ſæpius tentata, nunquam tamen eſt obtenta. Hodie tandem (O vere ſecundum Septembris diem!) glorioſis* Leopoldi *Magni, Cæſaris, ac Regis invicti, armis;* Caroli, *vero* Lotharingiæ, & Maximiliani Bavariæ, *Ducum virtute, anno ſæculi proxime præterlapſi ſexto, & octogeſimo, eam præpotens, ac miſericors barbaro è jugo eripuit* DEUS. *Ab eo igitur tempore* dies victoriæ hujus feſtivitatis, *Innocentii hoc nomine XI, Pontificis Maximi, favore*, in numerum ſanctorum dierum eſt accepta. *Et quoniam, piiſſimo Divi Stephani, Hungarorum Regis, interventu, hanc grandem Rex Leopoldus tulit victoriam, ſanctiſſimæ ejuſdem Regis memoriæ eſt conſecrata. Nunc vero ab univerſo populo Chriſtiano, in tanti gratiam beneficii*, colitur ex illo tempore, uſque in præſentem diem.

Propoſitio. *Quam ergo pie, quam ſancte, quam religioſe agis, O* Buda! *cum à diriſſima Ottomanicæ tyrannidis lepra feliciter purgata, annuam accepti tam grandis beneficii memoriam ſolenni recolis gratiarum actione. Accepiſti hac in victoria ingens à* DEO *beneficium; par eſt, ut ingens viciſſim pro tanto victoriæ beneficio à te gloria detur* DEO, *quod meæ propoſitum eſt laudationis; eo grandius, quo argumentum eſt nobilius.* Par-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

Partitio. *Quemadmodum vero rei uniuscujusque magnitudinem duabus potissimum è rebus, è labore nimirum, & fructu solemus metiri, & æstimare; ita indeptæ victoriæ beneficium tanto semper est majus, quanto illud majori constitit labore, ut obtineretur, & majorem attulit fructum, jam obtentum. O DEUS immortalis! quas tibi utroque de capite agemus gratias, pro tam insigni* Budæ, *de Turcarum manibus ereptæ, beneficio? Dedisti in eo victoriam, sed ejusmodi victoriam, quæ ingenti constitit labore, ut obtineretur: quod primum. Et ingentem attulit fructum jam obtenta: quod alterum erit. Prosequamur.*

PARS I.

BUDÆ CAPTÆ VICTORIA INGENTI CONSTITIT LABORE, UT OBTINERETUR.

Prima divisionis pars probatur syllogismo, subdivisionem complectente. Ne Budæ recuperatæ victoria potiremur, ingentes injecit difficultates: natura loci, ars munitionum, & obsistentium virtus Turcarum; sed hæ difficultates sunt labore Christianorum, tametsi ingenti, superatæ; ergo Budæ recuperatæ victoria ingenti constitit labore, ut obtineretur.

Major. *Infinitus essem enimvero, si grandem illum, qui hac in ardua, at vel ideo per quam gloriosa, captæ urbis* (a) *victoria exhaustus est labo-*

a) *Acta hujus victoriæ deprompsimus ex Ottomanicis Imperatoribus a* Nicolao Schmitt, *Societatis no-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

laborem, pro rei dignitate singillatim dicendo complecti vellem. Illud breviter dixisse sufficiat: in nos ab hac, ne potiremur, victoria prohibendos, unanimi consilio, ac quasi fœdere, & naturam, & artem, & ipsam virtutem, tres veluti hostes acerrimos, objectis ingentibus belli difficultatibus, conjurasse. Natura situ loci; ars munitionibus; virtus *denique*: insigni obsistentium robore Turcarum *conspiravit.* Minor. *Verum, ut ferox intelligeret, ac disceret barbaries: nihil tam difficile, & arduum esse, quo Christiana virtus, DEI Præpotentis auxilio, & virtute adjuta, eniti non possit; eximio Numinis beneficio, & naturam, & artem, & ipsum robur, ac virtutem, licet non sine ingenti (quod fatendum est) labore superavit.*

I. Pars subdivisionis: Labor Christianus naturam superavit. *Natura quidem situ loci adeo fuit inimica, ut nisi magnus ille regnorum, ac imperiorum moderator DEUS, qui manu præpotente dubiam bellorum versat, ac reversat aleam, hostes Ottomanicos, ut olim* Jonathæ Philistæos, *Christianis quasi manibus tradidisset, ut antea sæpius; ita modo actum ferme de victoria exstitisset. Conjicite, si libet, oculos hunc in montem! Videte: quam ingens, quam præceps, quam arduum, quam solido è saxo, natura artifice, elaboratum sit ejus jugum! Quorsum manibus certe, ac pedibus, quodammodo cum* Jonatha, *rependum est vobis; si assultu*

Tur-

stræ Hungaro Sacerdote, eleganti calamo, magnaque cura conscriptis.]

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

Turcas in se proturbare cogitatis. Ascendit autem Jonathas manibus, ac pedibus reptans (a). *Et in hoc præcipiti jugo jacet* Buda, *arx prærupta, ascensu difficillima, quæ pro fossis non quascunque fossas; sed profundissimas etiam valles habet. Pro aquis non quascunque aquas, sed aquarum principem, & omnium Europæ fluviorum ceu Regem, Danubium obtinet. Hic ab oriente pleno, integro, eoque vasto alveo, quodam quasi exercitu, & acie pro mœnibus posita, sic dies, noctesque pro* Buda *excubat, ut ea parte prorsus validam, & ab omni hostium metu, & incursu, penitus tutam, & eximiam reddat. Qua porro meridiem, ac septemtrionem, partemque spectat occidentis, cingitur prealtis montibus, ac profundis vallibus, sub* Budæ *aspectum, & ictum positis, totidem veluti mœnibus, imo arcibus, à natura, eo quasi de consilio, collocatis, ut eorum præsidio urbs* Buda *protegeretur. Hoc situ sic à natura comparata, Deum immortalem! quantum fortitudini Christianæ exhauriendi laboris, quantum superandæ peperit difficultatis, sive Dux* Carolus *aggressionem occidentem inter, & septemtrionem, sive Dux* Maximilianus *assultum à meridie, sive octo* Borussorum *millia cum volonibus ad portam* Vallensem, *sive* Hungari *ad turres flumentanas urbis potiundæ aditum pertentarent. Verum nihil ita inaccessum habet natura, quod non labor Christianus (ut postea diffusius memorabimus) Dei Optimi Maximi virtute adjutus, valeat superare. Ingentem equidem*

a) *1. Reg. 14. v. 13.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

dem ſitus difficultatem viderant Duces; attamen cum Jonatha, *rupem quamdam expugnante, audaciter, voce contenta, clamabant:* Aſcendamus, *ajunt*, aſcendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris (a). *Durum eſt ſcandere præcipitia, durum per ſaxa jugum aſſilire; nihilominus* aſcendamus, *inquiunt*, aſcendamus, *licet manibus, ac pedibus cum* Jonatha *eo adrepere debeamus.*

II. Pars ſubdiviſionis: Labor Chriſtianus artem ſuperavit. *Sed quorſum aſcenditis O Chriſtiani? Non ergo præſentiſſimo diſcrimine naturam cum arte in vos ſociari intuemini? Si una tantummodo cum natura rem gerendam haberetis, author, & ipſe fortaſſe forem, ut eo tute aſcenderetis, quemadmodum rupem aſcenderat* Jonathas. *Sed quoniam naturæ ars præterea, aſcenſui veſtro perinde magnopere inimica, adjungitur; deſcendendum enimvero arbitror, ne operam ludatis, & Chriſtianum fruſtra ſanguinem effundatis. At nec ars tam firma eſſe poterat; ut non cum Rege* Antiocho *fortitudo Chriſtiana* arte difficultatem locorum tentaret (b), *ac etiam contra, quam* Antiocho *accidit, arte ſua ſuperaret. Erat quidem* Buda *ſolidiſſimi operis munitionibus ita firmata, ut jure ambigas: artiſne humanæ, an naturæ ingenio magis eſſet communita? Illud tamen de ea affirmari vere poteſt, quod ſacræ literæ de* Ephron *Civitate in libris* Machabæorum (c) *memoriæ proditum reliquere:*

a) *1. Reg. 14. v. 10.* b) *2. Macb. 13. v. 18.* c) *1. Macb. 5. v. 46.*

re: Civitas magna in ingressu posita, & munita valde. *Qua meridiem ferme spectat, assurgit mons* Gerardi, *qui, elato supra urbem superbo fastigio,* Budam *in fræno cæteroquin contineret; at præterquam, quod ea pars præcipiti sit ascensu, quod castra sub ipso aspectu, & ictu essent locanda; objicitur insuper monti castellum, urbi conjunctum, adeo validum, ut æstimatis ejus munitionibus, nemo sit omnium, qui* Budam *illinc arte prudenter censeret expugnandam. Præsertim, cum septies impugnata, nunquam, nisi semel, castelli timuerit aggressionem. Et licet extima fortasse munimenta caro, quia multo sanguine, imo vita, qua nihil homini carius esse potest, emi possent; at quoniam alia atque alia, continenti serie, velut ex insidiis novi hostes clam objecti, assurgunt, quæ tenui præsidio facile defendi queunt, non sine assilientium strage, quin urbs ipsa quidquam detrimenti patiatur, quis* Budæ *isthinc capiendæ spem promittat? Partem ergo ad septemtrionem, aut occidentem porrectam, aggrediendam esse putarem, huc grandiores belli machinas admovendas, hic muros impetendos, hic mœnia solo æquanda, hinc assultum tentandum, ut victoria Dux* Carole *potiaris. Ast O duram, & ingentibus, quas isthic quoque ars præbet, objectam difficultatibus victoriam! Est enim hac etiam parte urbs per montis latera duplici vetere muro, eoque solidissimo, turribus, & propugnaculis, per intervalla erectis, profundaque fossa ad artem egregie communita. Mons urbis totus propemodum suffossus cæcas*

cry-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

cryptas, furnulos, rudimenta cuniculorum, occultas, vias eruptionum usui futuras, aliaque subterranea opera adversus invadentium vim, artesque habet. Imo regium castellum, quod urbi adhæret, transversis sepimentis magnopere est vallatum, in quod defensores, si forte cedendum urbe foret, extremum semet reciperent, ex eoque receptu Budam, *ceu* Solymam, *aut* Carthaginem, *maximis, quia ultimis, viribus propugnarent. Quin, & plura hujusmodi munitionum genera in ipso regio castello arte sunt constructa, novique à tergo receptus, eo periculosiores, quo tectiores, jam parati, aggressores præstolantur, non sine certa, gravique clade repellendos. Sic ars cum natura junctis viribus* Budam *munivere! Consistamus jam hic parumper* Auditores, *& contemplemur: quid hic* Carolus Lotharingicus, *quid* Maximilianus? *quid exercitus moliatur Christianus? An fortasse, visa* Budæ, *sic à natura instructæ, præclara munitione, ceptum obsidionis opus destituunt? An re infecta receptui canunt? quemadmodum binos ab hinc annos Dux* Carole *ceciniſti. Verum absit hoc à vobis dedecus fortissimi Heroes! Absit hæc probrosa animi dejectio!* Est Dominus [*ait* (a) *David*] fortis, & potens, Dominus potens in prælio: nec est Rex, qui resistat ei, *ut loquitur* (b) *sapiens. In eo sperate: nolite dubitare: aderit præpotens adjutor DEUS: in hoc præsertim, tam ingenti,* Budæ *obsidendæ apparatu, quem Divina Numinis providentia ad bene spe-*

a) *Psal. 23. v. 8.* b) *Prov. 30. v. 31.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

sperandum, veluti signum, videtur sistuliſſe. Adſunt enim fortiſſimæ Bavarorum, Svevorum, Saxonum, Boruſſorum, cæterorumque copiæ auxiliares; has in ſuppetias vocate. Adſunt lectiſſima Ungarorum, totidem veluti leonum, viginti propemodum millia; hi pro aris, & focis acerrime dimicabunt. Adſunt nobiliſſimi volones ex Italia, Hiſpania, Anglia, Germania, certatim confluentes; hi ad ſanguinem, & vitam profundendam ſunt comparati. Adeſt florentiſſimus duorum, & ſexaginta millium armatorum exercitus; cum eo urbem obſidete. Et quidem Tu princeps Bavare à meridie ad Gerardi *montem regium caſtellum impete. Tu* Carole *partem adverſam invade. Vos octo* Boruſſorum *millia portam* Vallenſem *impugnate. Vos* Hungari *turres flumentanas evertite. Habetis ſexaginta belli machinas grandiores, triginta minores, quadragena mortaria, cum peritiſſimis ſtruendorum cuniculorum machinatoribus; his muros, his munitiones ſolo æquate, his aditum aperite. Et ecce! prima duodecim dierum continenti jaculatione jam tantum muri dejectum eſſe video, ut per editas ruinas facilis aſcenſui locus pateat; modo comminutis (quod poſtea factum eſt) lapidum acervis, per montis declivia, vallum à Turcis objectum diſcerpatur. Promotis auſpicato operibus, accerrima plurium dierum verberatione, præcipuum obſeſſorum ſuggeſtum in fronte caſtelli, unde in caſtra Bavarorum immanes machinæ late dominabantur, inter ſtragem hominum, jumentorumque jam eſt exarmatum. Fallentis eti-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

am cuniculi ſuccuſſu major turris unius pars ita eſt proſtrata, ut murus, hac ſuccuſſione labefactatus, primis machinarum ictibus omnino ſit procubiturus. Denique video prima aggreſſione infeliciter tentata, novis iterum quindecim diebus ad mœnia ſuccutienda, ad ſpargenda per urbem latius incendia, grandiores pilas evibrari, quarum una (artene machinatoris, an fortuito? nolo definire) in cellam pulverariam feliciter, quia ingenti hoſtium malo, impulſa, everſis immani fragore ædificiis, diſcerptis mille præſidiariis, & convulſo, inde ab caſtello, ſexaginta paſſuum, muro, urbes, & caſtra inaudita concuſſione perterrefecit. Quid ſuperat O pugiles Chriſtiani? illud enimvero: aſcendamus *jam*, aſcendamus, *quoniam munitionis arte, tantopere labefactata, videtur* Dominus Philiſtæos, *id eſt: Ottomanos*, manibus noſtris tradidiſſe. *Dicamus cum Davide:* in DEO meo transgrediar murum. *Quem re ipſa confeſtim tranſgreſſuri erant; niſi egregia Turcarum virtus ſuo ingenio, robore, induſtria, ingentes aggreſſioni moras, & obices injeciſſet. DEO ſapienter providente, ut luculentius pateret: quid, quantumque Chriſtiana virtus, & labor poſſit.*

III. Pars ſubdiviſionis: Labor Chriſtianus Turcarum virtutem ſuperavit. *Fatendum eſt* Auditores: *Ottomanos, in ſuſtinenda* Budæ *urbis obſidione, omnem omnino virtutem, induſtriam, robur exeruiſſe, ac idcirco omnem, quæ in hoſte etiam commendari deb t, virtutis laudem, & gloriam promeruiſſe. Tu*

cum-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

cumprimis celeberrime Abdi, *sive* Abdurachmanes, *arcis Gubernator, immortali Turcarum dignus es memoria, cui ego,* Auditores, *si* Achmetes *Cæsar forem, auream, pro principe urbis* Byzantinæ *foro, pulcherrimo egregii urbium propugnatoris elogio inscriptam, in perpetuam ferè posteritatis memoriam, & exemplum, statuam collocarem, ut ventura discat ætas, quî oporteat urbes propugnare. Ita nempe præstantissimi Ducis numeros explevit* Abdurachmanes! *Nam muros biennium ante dejectos, ut assurgerent, egregiè rursum instauravit. Nova munitionum opera, ut metus, atque longus virum experientem usus docuerat, veteribus sapienter adjecit. Ære, annona, pulvere nitrato, bellicis machinis, ac cæteris, quæ belli nervus esse solent, adjumentis, ad diuturnum obsidium vir impiger impigre comparavit. Delectis duodecim* Janitsarorum, *seu peditum, trium* Spahiorum, *seu equitum, totidem veluti* leonum, *ut cum Sapiente dicam* (a), fortissimorum, qui ad nullius pavebunt occursum, *millibus urbem fortiter communivit. Hos gravi,* Periclis *instar, acriter tonantis, oratione adhortatus, ad vincendum, aut moriendum, ita inflammavit; ut, edito ingenti clamore, vitam, sanguinem, quibus nihil charius, ac grandius habemus, se impensuros pollicerentur. Et re ipsa dicti ferociam toto obsidionis tempore omnium virtus comprobavit. Quis enim pro dignitate valeat memorare tot illas* Spahiorum, & Janitsarorum

a) *Prov. 30. v. 30.*

CAPUT III. ARTIC II. §. II.

generosas verius, quam felices, eruptiones, quibus jam Bavaros, *jam* Cæsareos: *nunc* Borussos, *nunc* Saxones: *modo* Hungaros, *in parte præsidii flumentana distentos, nocte, dieque assiduo divexarunt; licet majore (ut Turcarum mos est) tumultu, quam damno, imo strage sua plerumque reportata: quoniam obsidentes, nunquam non expediti ad pugnam, diligenter excubias obierunt, & si conclamatum erat, gradu accelerato socios adjuverunt.* Solymannus *etiam* Vezirius, *cum octoginta auxiliaribus Turcarum millibus, castris, non longe à* Buda *(ut funeri propius adstarent) ad* Ersinum *positis, urbi, extremum laboranti, sedulus accurrit, quibus fugientem jam jam ejus animam omni ope retineret. Distributis viritim, primum quinque, postea decem nummis aureis, per* Janitsaros, *per* Spahios, *omni arte in Urbem aditum quæsivit, nec, ut voluit, invenit. Haud procul à* Pauli *valle generoſe quidem, infeliciter tamen, amissis quinque circiter suorum millibus, acie conflixit. Non memoro insigne belli stratagema, quo* Janitsari *militarem tesseram edocti, amictu* Hungaros *mentiti, prætermissis intrepide* Borussorum *copiis, tanta securitate castra petiverunt, ut non ante hostes esse intelligerentur, quam fossæ urbis appropinguarent. Et licet Dux* Caprara *iter præcludere sit conatus; centuriæ tamen aliquot in urbem evasere. Similiter* Spahii, *limphatis persimiles, facto repente impetu, media per tela, & acinaces, licet non sine ingenti cæde, urbem penetraverunt. Tanta Gubernatoris, hoc*

qua-

qualicunque auxilio, diu multumque exoptato, recreati, lætitia; ut defixis per mœnia quatuor rubeis vexillis, & explosis majoribus, minoribusque belli machinis, eam sit magnopere conteſtatus. At teſtare, quantum libet, extremam hanc lætitiam Abdurachmanes. *Hoc certe gaudio, his fragoribus, nullam Chriſtianæ virtuti mœſtitiam, nullum terrorem, nullam moram injicies; ſed animos potius accendes, ut, accelerato conſilio, ſemel, ac iterum quodammodo ruant, non ferantur, in aſſultum. At quo ruitis Opugules Chriſtiani? Vos præſertim nobiliſſimi volones, illuſtri proſapia geniti, è diverſis totius Europæ nationibus confluentes? Parcite vitæ, parcite ſanguini ſecundioribus voſmet rebus ad futurum ſtirpis decus, & ornamentum ſervate. Nondum opportunum victoriæ tempus adeſt: tantiſper expectate: donec alter Septembris dies, felici ſidere, illuceſcat; cui, piiſſimo Divi Regis* Stephani *interventu, captæ gloriam* Budæ *Deus aſſervavit. Secus caro capitibus veſtris cruenta hæc aggreſſio conſtabit. Præterquam enim, quod per immanes lapidum acervos rependum potius vobis erit, quam eundum, Turcæ collineatis ab alto ictibus fortiſſimum quemque veſtrum impune proſternent. Ingentes nitratorum pulverum ſacci devoluti, malleorum perpetua quaſi grando, cuniculi ſoluti, continenti incendio vos atterent ruinis appropinguantes.* Janitſari *ſtrictis acinacibus aggreſſuros cruenta pugna mœnibus ſubmovebunt. Et licet incredibili veſtra virtute, retruſis* Janitſaris, *loricam ſitis recuperaturi, & in medio*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ruinarum, facto è lapidum strue vallo, per saxeam molem in summa eluctaturi: omnis tamen ista saxorum strues, impar ferendo scandentium, pugnantiumque ponderi, repente dissolvetur, vosque vallo exutos à cruenta revocabit aggressione: non alio inde fructu reportato, quam ut mille quadringenti inter cæsos, totidem inter vulneratos, numerentur. At pugiles Christiani nihil his, quos facile pervidere poterant, casibus perterriti, novam rursum impressionem tentavere. O Deum! quantum Christiani sanguinis hoc altero etiam assultu iterum est profusum. Licet post acerrimam inter ruinas pugnam, pulsis hostibus, quam fortissime semet obmunierint; tellus tamen, cuniculis late suffossa, pestemque, & igneos quosdam rivos evomens, plerosque victorum momento absolvit. Et quod horrendum est vel cogitatu! Turcæ pyriorum pulverum saccis, malleolis, fascibus, pice, bitumine, aliaque materia, flammis obnoxia, illitis, murorum ambitus constraverunt, ignem admoverunt, atque tam vastum incendium excitarunt; ut non pauci toto corpore sint ambusti. Vidissetis tunc miseros (quid ajo miseros? Certe in hac ipsa miseria felicissimos dicam verius Christianos) *succensi instar manipuli ardentes, in flammas, ac bustum abire. Sed abite O pugiles fortissimi: erit munerator DEUS, qui propediem cœlestibus aquis vos restinguet. Cæteri autem igniaria peste, undique erumpente, de recepto fuissent cogitaturi; nisi Ducum adhortatione, novisque subsidiis, animati, contumacius in ignem irruissent. Qui postea superatis uno impetu*

ru-

ruinis, duas, attonito hoſte, turres occuparunt; in tertiam, è Jaurinenſi præſidio, miles Hungarus *evaſit, depactoque vexillo, muri extimi, poſt trium horarum acre certamen intercepti, ſignum dedit. At neque hic aliud relatum eſt operæ pretium; ac quod in cruenta diei hujus invaſione, præter ducentos, qui aut aciei ſtructores, aut tribuni, aut centuriones, aut honorarii, nobiliſſimo de ſanguine nati, pugiles extitere, ac præter ſaucios quamplurimos, ter mille diverſarum gentium legionarii mortem feliciter oppetiere. Hic enimvero expletum eſt illud Ezechielis:* repleta eſt terra ſanguinibus! *Tantum nempe laboris impenſum eſt* Budæ, *ut obtineretur! Et quid, fuitne obtenta? DEO præpotenti ſit gloria! Fuit enimvero; ſed tertia tandem aggreſſione, altero ſeptembris die, quo DEI Optimi Maximi ingentes Chriſtiani exercitus labores, & ardentiſſimas Religioſiſſimi Principis* Leopoldi *preces, & vota miſerantis, clementia, atque Sanctiſſimo Divi Regis* Stephani, *DEUM implorantis, patrocinio,* facta eſt manus Domini, *ut olim Samuelis tempore* ſuper Philiſtæos; *ita modo ſuper Ottomanos. Nunc jam ergo, nunc, exurgite pugiles Chriſtiani! Nunc volones accurrite nobiliſſimi! En adeſt felix illa dies, qua* tradidit eos Dominus manibus veſtris! *Et re ipſa video Duce* Barone Aſtio, *Viro fortiſſimo (quia periculorum ſumme avido) primos in utrumque ruinarum latus præſtantiſſimos variarum gentium volones exilire, ut* Budæ, *Urbis enimvero nobiliſſimæ, primum è Turcarum manibus ere-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ptæ, gloria non uni, sed pluribus, iisque nobilissimis gentium, in ea desudantibus, attribueretur. Hos secutus est Comes Oetingius, *qui sexcentorum peditum, &* Spinola, *qui mille bellatorum cohortem non trahebant; sed ultro generose euntem præibant. Pro ruinis, quo* Spinola *ferebatur, ipse Gubernator cum validissimo* Janitsarorum *robore, ut robur ultimum exererent, acriter dimicat, subeuntes collineatis ictibus sternit, his signa inferentes repellit, cæso inter primos* Astio, *ut primus muralem* Budæ *occupatæ coronam, ob ingentia fortitudinis promerita, in cœlis reportaret.* Oetingius, *facto per* Astium *aditu, ad hostes eluctatus, ruinis potitur, ac per ædes viciniores in urbis aream, uno, ac dimidio propemodum sæculo, ab milite Christiano non visam, glorioſe, quia primum, illatus, hostium vires in se avertit, ac* Spinolæ *spatium fecit integro milite impressionem retentandi. Resumpto impetu, in medio pilarum, lapidumque imbre (quem tamen boni avertebant Angeli, ne suos pugiles Christiani, ut David loquitur,* ad lapidem *caput, &* pedes offenderent) *intrepidus enititur, ferroque dispulsis propugnatoribus, semet aggregat* Oetinganis. *Tum conjunctis jam agminibus, ceu duorum torrentium auctu ruptis aggeribus, violentius fertur in* Janitsaros, *validis Christianorum copiis à tergo consecutis. Ita per cædes, per vulnera, in principes eorum est perventum. Quid hic arcis Gubernator? Fortissimum semet, qui semper erat, ad extremum usque Ducem præbet. Unus ille fugæ*

imme-

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

immemor, nunc precando, nunc militem castigando, pugnam accendit, captamque urbem, eo probrosius, quo præda è manibus dimittitur turpius, propemodum eripuisset; ni Janitsari, in arcem delapsi, misere, magno tamen rei Christianæ bono, virum destituissent. Visa non dubia Christianorum victoria, ne urbis florentissimæ tristi casui supereesset, in medios semet hostes concitat, ac circumducto per latam stragem ferro, ut dignum erat Budæ Gubernatore, fortiter pugnans cadit. O Heroem immortalem! Dignissimum enimvero, qui æterna in terris vivat fama, in Cœlis etiam gloria (nisi Turca foret) immortali. Regium denique castellum impetitur magno luctantis Bavari compendio. Nam quanto latius Cæsarei victoriam in urbe explicuere; tanto castelli aggrediendi, & obtinendi, majorem difficultatem injecere; obsessorum reliquiis huc confluentibus, ut cadentis patriæ ultimam veluti arcem extremis, ac idcirco maximis, viribus propugnarent. Perruptis tamen non levibus obstaculis in ardua montis, quo difficilius, eo gloriosius Bavari enituntur. Hostes acriter obsistentes in hortorum, quondam regiorum, angulum compellunt, pugnamque ausos restituere tanto furore invadunt, ut una impressione turbatos in aream, gemino muro circumdatam, retruserint, armisque exutos simul cum arce in suam redegerint potestatem. Sic capta est Buda!

Complexio I. partis. O quanto (quis non videt?) Christianæ fortitudinis labore, quam ingenti sanguinis impendio, donec caperetur!

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

tur! *Triumpha jam ergo* Buda, *avita Regum sedes, fortissimum Christianæ olim Religionis munimentum! Unius, ac dimidii propemodum sæculi jugo premebaris; en præpotens* DEUS *tuam, tanto jam temporis intervallo gementis, sortem miseratus, in pristinam te hodie asseruit libertatem. Triumpha! triumpha! Verum ita triumpha, ut primam* DEO *Optimo, Maximo, vindici, & assertori tuo, pro hoc ipso victoriæ triumpho, gratiam reddas, qui* propter se, & propter David servum suum, *ut olim* protexit, & salvavit urbem *Solymam; ita modo* propter se, & propter David servum suum, *id est: ob ingentia Divi* Stephani, *primi Hungarorum Regis Apostolici, promerita, cujus, utpote Sanctissimi in terra decessoris; in Cælo autem magni præstitis, piissimus Rex* Leopoldus *potentem* [*ut dixi*] *supplex opem imploravit, de manibus Assyriorum, id est: iniquissimorum Ottomanorum te hodie liberavit. Huic inquam immortales gratias age. In hujus dein triumphi communionem voca Magnum etiam* Leopoldum, *Cæsarem invictum, cujus glorioſis armis, consiliis, precibus, servitutem exuisti, accepisti libertatem. Voces* Emanuelem Maximilianum, Bavariæ Ducem, *belli peritissimum, &* Carolum Lotharingum, *Heroem fortissimum, cujus insigni prudentia, fortitudine, bellandi peritia, superatis omnibus, seu* à natura, *seu* ab arte, *seu* a virtute *objectis, difficultatibus, hæc victoria est obtenta. Ingredere jam ergo* Dux Carole *avitam tot Regum Hungarorum sedem,*

mo-

modo equidem Leopoldi *Magni nomine ingredere; sed post paullum tuæ etiam posteritatis, in* Hungaria *regnaturæ, sedem cape! Tuo labore, tuo sudore, regalis hæc sedes est recepta; par est, ut tuus in ea, & sedeat, & regnet sanguis. Et vero erit tempus, ut singulari DEI Optimi, Maximi, labores remunerantis munere, tuus cum glorioso* Leopoldi *sanguine in unum* Habspurgico Lotharingicum *sanguinem sanguis coalescat, qui hanc, quam ingenti majestate assurgere videtis, regiam incolat, summa Regni* Hungarici *felicitate, cui ingentem hæc victoria fructum peperit jam obtenta.*

PARS II.

BUDÆ CAPTÆ VICTORIA INGENTEM ATTULIT FRUCTUM JAM OBTENTA.

Altera divisionis pars probatur syllogismo tripartito subdivisionem continente: Tres sunt, quibus indepta victoria fructum adferre potest: Rex, Regnum, & Religio. Sed obtenta Urbis Budæ victoria ingentem attulit fructum Regi, Regno, & Religioni. Ergo ingentem attulit fructum jam obtenta. Omissa minore, & complexione, sola tractatur major cum subdivisionibus.

Et vero quid prodesset bello feliciter decertare, si nullus victoriam belli fructus consequeretur? Major. *Tres porro sunt, ad quos indeptæ fructus victoriæ potissimum potest attinere: Rex, Regnum, DEUS. Rex, qui victoriam acce-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

accepit. Regnum: ubi eam accepit. DEUS: à quo illam accepit.

I. Pars subdivisionis: ingentem attulit fructum Regi. *Nolo memorare, Auditores, incredibilem illam, quam Rex* Leopoldus, *devictis barbaris, toto terrarum orbe gloriam reportavit. Quemadmodum, ab obtenta de* Holoferne *ad* Bethuliam *victoria*, Judith (a) magna facta est in Bethulia, & præclarior erat universæ terræ Israel; *ita celebrabatur felicibus ubique nunciis fama* Leopoldi, *ut quanto formidabilius ante fuerat Turcarum nomen; tanto majoribus dein incrementis latius* Leopoldo *crescebat glorioſum Magni cognomentum. Multis eum gratulationibus prosecuti sunt Reges, ac Principes; ipse* Innocentius *XI Pontifex Maximus, habita solenni in Vaticano gratiarum actione, summis ea propter lætitiis incessit. Nolo memorare: quantum hæc victoria barbaris metum, ac terrorem incusserit, quam profunde altos, ac tumidos eorum spiritus depresserit. Hoc certe de illis affirmare libet, quod libro Samuelis proditur de Philistæis* (b): Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel, & facta est manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis. *Vel audita propius adventantis Cæsarei exercitus fama, confestim, ut* Philisthiim, plaga magna percussi *à Davide; sic hostes barbari, pannico terrore perculsi, relictis stationibus, imo Urbibus*, fugerunt à facie ejus. *Amplius dico: visis tam*

a) *Judith. 16. v. 25.* b) *1. Reg. 7. v. 13.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

tam *felicibus* Leopoldi *victoris armorum progressibus, coorto repente tumultu, ipsa Constantinopolis, ingenti terrore correpta, vasa ceperat conclamare. Non memoro: porrectos ab hac victoria longius, latiusque Imperii Hungarici fines. Quemadmodum, percussis* subter Betchar *Philistæis*, redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel; Israeli, ab Accaron usque Geth, & terminos suos, liberavitque Israel de manibus Philistinorum (a); *ita, cadente* Buda, *cæteræ quoque arces, ac urbes, cum Transylvania*, Sclavonia, Servia, Bulgaria, *vastissimis Provinciis, conciderunt. Et illo equidem adhuc autumno Duce* Badensi *cecidit* Simontorna, *cecidit* Kapossvarinum, *cecidere* Quinque Ecclesiæ, *cæteraque ad* Dravum *loca. Duce* Veteranio, *partim deletis, partim fugatis, Turcarum, Tartarorumque viginti ferme millibus, cecidit* Szegedinum. *Duce* Scherffembergio *cecidit* Siklosium. Ragusana *denique Respublica in veterem Cæsaris, ceu* Hungariæ *Regis, fidem, & clientelam est recepta. Anno vero proximo insequente, profligatis nova rursum victoria, in campo Mohatsiensi, Ottomanis, cecidit* Agria, *cecidit suis cum urbibus tota* Sclavonia. *Denique* Transylvania *regio dives, & ampliſſima, missio Turcarum fœderi nuncio, firmatis* Leopoldum *inter, ac* Michaelem Apafium, *ejus Principem, pactis, rediit in pristinam Regis* Hungariæ *potestatem. Octogesimo autem octavo sæculi ejusdem rediit* Alba,

à

a) 1. *Reg.* 7. v. 14.

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

à Regibus, quorum primordio ſedes erat, Regalis *dicta*. Lugoſſium Caraffæ, Caniſa Bottyanio, Varadinum Nigrellio, Szigethum Wechio, Caranſebeſſium Veterano, Paſſarovicium Heislero, Semendria Marchioni Badenſi *ſe ſubmiſere. Denique* Belgradum, *celeberrimum ad* Savi, *in Danubium confluentis, oſtia, tota Europa munimentum*, Emanuelis Maximiliani, *Ducis* Bavari, *glorioſa virtute, cum ampliſſimis* Serviæ, & Bulgariæ, *olim utriuſque* Mœſiæ, *regionibus, in poteſtatem eſt redactum. Tantum fructus attulit Regi* Buda! *Nempe: cadente capite facile cadunt membra. At hæc nolo memorare; non eo equidem conſilio, quaſi tot urbes, & Regna, feliciter obtenta, memoratu apta minus, & digna arbitrarer; verum ut ampliſſimam, quam ego maximum victoriæ hujus fructum eſſe autumo, Regni* Hungarici *commemorem hæreditatem. Superi! quantis ſemper egebat curis, ut glorioſum Hungariæ diadema, ac corona, tot regnorum magna, & felix, Domina, de capite in caput ſtirpis* Auſtriacæ *transmitteretur. At curas iſtas, ictu velut uno, ſuſtulit* Buda. *Poſtquam invictis* Leopoldi *armis ſuum illa caput ſubmiſiſſet; Hungaria quoque, ſuo cum capite, glorioſæ* Leopoldi *poſteritati, in perpetuum tantæ victoriæ præmium, ac monumentum, grata ſe ſubmiſit; donec maſculus in* Joſepho, *vel eo ſine hærede mortem oppetente, in* Carolo, *filiis Principibus, ſanguis ſuperabit. Probe gnara: nunquam ſe ab ulla melius, ac felicius, quam ejus magni, ac tan-*

to-

topere de se meriti, *Principis*, posteritate posse gubernari. *Transfundetur enim cum sanguine ipse etiam* Leopoldi, *quo Hungariam prosecutus est, amor, ut, pari cum Patre amore, filii quoque, ac nepotes eam prosequantur. Comitiis igitur* Posonii *confluentibus, anno reportatam victoriam statim consequente, Princeps* Josephus, *tanti Patris tantus filius, communi omnium ordinum consensione, in Regem Hungariæ hæreditarium acclamatur, & corona feliciter redimitur. O insignem obtentæ victoriæ fructum! Eritne, qui te non sinceris eapropter Rex* Leopolde *gratulationibus prosequatur? Immortalem tibi gloriam comparasti, immanem hosti terrorem incussisti, imperii tui fines longius, latiusque porrexisti, denique posteritati tuæ hæreditatem, tot votis concupitam, tandem asseruisti. Fruere hoc, tam magno, victoriæ tuæ fructu, ex quo non parvus in ipsum quoque Regnum fructus promanavit.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

II. Pars subdivisionis: ingentem attulit fructum Regno. *Ad ejus porro magnitudinem, luculentius perspiciendam, repetite memoria grandem illam calamitatem, qua cum, adeptam ante victoriam, Hungaria conflictabatur; ut inde præsentem, qua modo à relata victoria perfruitur, metiamini felicitatem. O Deum immortalem! Quantis tunc Regnum istud miseriis premebatur? Habebamus hostem in mediis visceribus in ipsa viscera grassantem: hostem barbarum, hostem immanem, hostem ferum. Quid ajo ferum? Imo ipsa barbarie, ac feritate hostem*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

habuimus ferociorem. Qui veterem regni libertatem evertit, jura sustulit, æquitatem pro libidine administravit. Qui nobilitatem ad ignobilitatem deturbavit, ignobilitatem vero in servitutem redegit, servitutem autem extrema tyrannide afflixit. Qui pulcherrimas urbium nostrarum facies defædavit, suis ornamentis nudavit, ædificiis spoliavit. Qui assiduis procursionibus, ac depopulationibus agros incendebat, loca igne, ferroque devastabat, vitæ insidiabatur. Quot sunt, chari Auditores, *è majoribus vestris in servitutem abducti? Quot gladiis interrempti? Quot parentibus filii ad Mahometem colendum (si tamen homo nefarius coli potest) abstracti? Quoties uxores vitiatæ, filiæ constupratæ? Quot loca insolitudinem redacta? Aspicite ingentes illas regni vastitates, ac deserta! quid sunt? nisi sæva, ac tristia Turcicæ tyrannidis monumenta, nunquam satis deploranda. Quanta tunc rerum omnium ignoratio? Quam fædi, ac barbari, ex tam fœda barbarorum societate, mores contracti? Nulla tunc in Regno pax, nulla quies. Bellum unum excepit alterum. Non securitas in viis, non tranquillitas in domibus, ob assiduas barbarorum invasiones. Regnabant proditiones, fervebant conspirationes, grassabantur latrocinia. Verbo: regno toto calamitas erat maxima. At DEO immortali sint gratiæ immortales! Buda jam recepta, pulsisque barbaris hostibus, amissa prior felicitas consestim feliciter est revecta. Nullus jam in regno metus, nulla conturbatio. Veteri fruimur libertate, fruimur pace, fruimur*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

mur *securitate. Regnant jam artes, vigent mercatus, florent scientiæ, mores perpoliuntur. Reparantur ædificiis urbes, fortunis augentur cives, novis colonis implentur vastitates. Hanc porro regni felicitatem eccui adscribemus Auditores?* Certe *secundum DEUM, & sanctam Dei Matrem, ac Divum Regni tutorem, Regem* Stephanum, *tibi enimvero Regum glorioſiſſime* Leopolde. *Tu insigni tua pietate, religione, ardore Apostolico, hanc à DEO victoriam exorasti. Tu consilio tuo, providentia, felicibus armis eam comparasti, ut veterem à regno calamitatem propulsares; inveheres vero felicitatem. Denique vobis etiam, O pugiles Christiani, qui hunc montem sudoribus vestris aspersistis, quid dico: aspersistis? imo sanguine irrigastis. Prosternamur ergo, chari* Auditores, *in terram, pio illam osculo veneremur, quam tot insignes Christianæ religionis propugnatores, totidem ceu martyres, glorioso sanguine purpurarunt; unde postea, velut è semine, prognatum est nostræ germen felicitatis, quod ingentem ipsi etiam religioni fructum tulit.*

III. Pars subdivisionis: ingentem attulit fructum religioni. *Fructus, quem religio ex victoria capere potest, est DEI cultus, sanctæque Christi Ecclesiæ, ubi vera Deus colitur religione, incrementum. Credite,* Auditores, *nunquam ab ingentibus toties lachrymis valeo temperare; quoties hunc in montem attentius oculi sunt mihi conjiciendi. JESUS* videns Civitatem flevit super illam; *ita mihi flen-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

dum est etiam Auditores. *Cum Civitatis enim istius intuitu, ac memoria, una priorem, ac præsentem video religionis, & Sanctæ Christi Ecclesiæ faciem, & conditionem. Hæc porro visa, quid? nisi flendum est* super illam, *fletu, & gaudii, & doloris, qui gemini lachrimarum fontes esse solent. Doloris: cum tristissimam ejus antea sortem tristi mente tacitus revolvo. Gaudii autem: cum præsentem lætus reminiscor.* Videns *JESUS* Civitatem flevit super illam (a); *sed fletu doloris: vidit enim quam acerba urbem tam vastam, tam nobilem, tam opulentam, tam sanctam, propediem fata sint exceptura.* Venient *(inquit* (b) *Christus)* dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem. *Hæc ipsa est mœstissima rerum facies, quam, cum tristi* Budæ *interitu, sanctæ etiam Christi Ecclesiæ, urbi illi,* supra montem positæ, *in Hungaria video evenisse.* Buda *infeliciter cadente consestim tragici* venerunt dies, *quibus* circumdederunt eam vallo inimici, *id est Ottomani, Christianæ religionis hostes jurati, & acerrimi, quibus in societatem adjectæ sunt hæreses, ne hilo minus in veram Christi Ecclesiam, quam Turcæ ipsi, ferociores. Hi junctis communi consensione viribus, ita eam* circumdederunt, *& circumdatam tam arctis undique terminis, & cancellis constrinxerunt, vel, ut*

sacræ

a) *Lucæ 19. v. 41.* b) *Lucæ 19. v. 43.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

sacræ loquuntur literæ, coangustaverunt, *ut quæ antea regno toto longe, lateque florebat, jam vix aliqua ejus parte superaret.* Prostraverunt *eam* in terram: *nam sacra ejus altaria ausu nefario everterunt, calices sacrilege confregerunt, templa furore impio diruerunt, claustra funditus destruxerunt, ut multorum* nec lapidem reliquerint super lapidem. *Aut, si reliquerunt; polluerunt certe. Cum pulcherrimas regni Basilicas in haras, in stabula, commutarint, ut vere Christus rursum queri posset* (a): Domus mea domus orationis; vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Ite, & vestris, si libet, oculis perlustrate ingentes illas florentissimarum quondam Basilicarum ruinas, seu* Strigonii, *seu* Albæ, *seu* Coloczæ, *seu* Agriæ, *seu* Sirmii, *seu* Varadini, *seu* Chanadini, *seu* Wesprimii, *seu hic* Budæ (*ne longius discedamus*) *tam in hoc monte, quam in adsita leporum, seu Margaretæ, insula, ut taceam tot in oppidis, in arcibus, in villis, in prædiis, tristissima eversarum jam Ecclesiarum, jam Claustrorum rudera. Et quid? An ea sine lachrimis, dolore pleniissimis, aspectare valetis?* Præterea: prostraverunt in terram filios: *cum ab Ecclesiæ Matris sinu abstractos, vel ad impium Mahometem, aut nefarias hæreses confectandas, impulerunt, sacros Antistites suis de sedibus proturbarunt, curiones è paræciis exterminarunt, viros religioni dicatos vel ejecerunt, vel contrucidarunt, sacratas Deo mulieres, è claustris protra-*

a) *Matth. 21. v. 13.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ctas, fœdissime constuprarunt. Non memoro tot illas hæreſum peſtes, quaſdam veluti ſcelerum colluviones, tantam rerum Divinarum ignorationem, quæ nunquam majora, quam Turcarum temporibus, ſolent ſumere incrementa. Et dum hæc memoria repetitis, quis, oro, tam corde durus, ac ferox eſſe poteſt, ut non in lachrymas, mœrore acerbiſſimas, diſſolvatur? Ego certe quoties memini (memini autem creberrime) toties non poſſum, ut dixi, non poſſum temperare, quin grandi dolore correptus, cadentibus large lachrimis, toto vultu, ac pectore perfundar. At bonus eſt Deus, qui ſuam tantiſper patitur fluctibus premi; haud tamen opprimi ſinit Eccleſiam. Venit felix illa dies, quo à Turcica tyrannide reſpirante feliciter Hungaria, ipſa quoque Chriſti Eccleſia, eodem infelici jugo preſſa, cepit reſpirare. Receptis Eccleſiarum ſedibus ſacri quoque Antiſtites ſuas confeſtim in ſedes ſemet recepere. Qui lacerata fœdum ovilia erectis futurorum Paſtorum ſeminariis, ſcholis inſtitutis, parœciis inſtructis, inſtaurarunt. Sacras virorum Religioſorum colonias, aut novas deduxerunt, aut veteres refecerunt. Hominum Apoſtolicorum collegia, totidem veluti propugnandæ religionis arces, ac præſidia, excitarunt, quæ adverſum hæreſes ore, calamo, ſcriptis, ceu totidem gladiis, fortiter dimicarent, errores confutarent, devios in viam veritatis revocarent. Qui Dei verbum pro concione populo prædicarent, juventutem præclaris artibus, ac moribus imbuerent, doctrinam Chriſtianam rudibus explanarent, crebriorem

rem

rem Divinorum mysteriorum usum persuaderent. Qui sacris procursionibus, aut commentationibus inolita vitia radicitus extirparent, depravatos mores corrigerent, ad studium virtutis inflammarent. Et hæc eo religionis fructu, ut dum præteritum cum præsenti Ecclesiæ Hungaricæ statu in contentionem adduco, non possum, Auditores [ut jam dixi, ac iterum repeto, & porro dicam] animo imperare, quin videns Civitatem fleam super illam, fletu, non jam doloris, sed gaudii: non tristitiæ, sed solatii: quoniam sanctam Christi Ecclesiam ingentibus refloruisse; imo in dies reflorescere, videam incrementis. Tantum felicitatis, & Regi, & Regno, & Ecclesiæ peperit Buda, jam obtenta!

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

EPILOGUS.

Continens motum, cum affectu gratiarum actionis. Quare ad hodiernum, à quo parumper digressi sumus, revertamur Samaritanum. Hic, ut vidit: quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEUM, & cecidit in faciem, ante pedes ejus, gratias agens. Et nos Auditores accepto tam grandi beneficio, quo caput nostrum, & cum eo universum regni corpus, ab immani Turcicæ tyrannidis lepra, mundatum intuemur; non regrediemur in gratam tanti beneficii memoriam cum hodierno Samaritano? Ille voce magna magnificavit DEUM; & nos silebimus? Ille cecidit in faciem ante Christi pedes; & nos non prosternemur? Ille ingentes Christo Servatori gratias

CAPUT III. ARTIC. II. §. 11.

egit; & *nos Deo vindici, & assertori, nullas persolvemus?* *Egit Cæsar* Leopoldus, *egit* Innocentius *Pontifex Maximus, agit* Ecclesia *universa; & nos agamus, oportet.* Leopoldus, *postquam felicibus nunciis captæ victoriam* Budæ *accepisset, confestim solennes (ut ante dixi) & publicas, ingenti lætitia perfusus, Deo præpotenti, & ipse, & regnum gratias dedit. Et quoniam piissimus Imperator belle norat receptæ gloriam* Budæ, *quam septem antea Imperatores solum sperare, non item poterant obtinere, secundum DEI Matrem, Divi Regis* Stephani *esse beneficium, quem Cæsar religiosissimus sua in vota propitium flexerat, Ducemque statuerat totius obsidionis; ut tam eximium favorem publicum, æternumque faceret, egit apud* Innocentium *XI, Pontificem Maximum, summis precibus, ut magnum hunc* Budæ *vindicem, quem hactenus una duntaxat Hungaria, & subdita ei regna, pro aris, ac templis colebant, deinceps gentibus universis, populisque omni honore prosequendum imperaret. Et quid* Innocentius? *Præterquam, quod & ipse ad literas receptæ* Budæ *summis lætitiis incesserit, solennesque in Vaticano gratias dixerit; non poterat non subscribere æquissimis tanti filii postulatis Pater Maximus, præsertim, cum hostem illum de capite Hungariæ proturbatum acceperit, adversum quem magnis & ipse olim animis regnum* (a) *illud miles tutabatur. Jubet itaque Stephanum, primum*

a) Innocentius *XI, antea* Benedictus Odeschalci *dictus, priusquam sè Ecclesiæ addixisset, in Hunga-*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

mum Hungarorum Regem sanctissimum, in communes totius Ecclesiæ fastos referri, atque in tanti gratiam beneficii, altero Septembris die, quo Buda capta est, ab universa Ecclesia orbe toto coli, ac celebrari, ut vere, quod libro Judith memoriæ proditum habemus, compleatur. Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numerum sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem. *Hoc ergo pulcherrimum* Innocentii, Leopoldi, *ac ipsius* Ecclesiæ *exemplum imitati, provolvamur in terram, & quidem in illam terram, quam hodie tot pugiles Christiani glorioso (ut ante dixi) sanguine purpurarunt, dicamus cum Paulo*: Deo autem gratias, qui dedit victoriam! *Gratias* Deo Patri, *exercituum Domino, qui suam hac in victoria exeruit* potentiam; *cum hostes potentissimos, natura, arte, robore instructissimos, in* brachio virtutis suæ *tradidit devincendos. Gratias* Deo Filio, *qui suam hac in victoria ostendit* sapientiam; *cum hostes, ab ingenio, bellandi peritia, astu militari, egregie comparatos, sua nobis sapientia, divinitus indita, dedit profligandos. Gratias* Deo Spiritui Sancto, *qui suum hac in victoria incredibilem exhibuit* amorem; *cum tot diversarum nationum animos congregavit, mira semper, & Ducum, & pugilum concordia fovit, unanimi, eoque ardentissimo, studio incendit ad hostes penitus debellandos. Æ-*

via militavit, arcemque Comaromium *illustravit. Hæc alludit Orator.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

quum igitur est, Auditores, *ut hac in urbe, quemadmodum hactenus, ita porro, Sanctum* Trinitatis (a) *nomen singulari cultu, & religione adoretur, in totam inde, qua late patet, Hungariam ejus gloria proferatur: cum etiam Divinissima* Trinitas, *peculiari quadam significatione, hac in urbe, è Turcarum manibus eripienda, & suam* potentiam, & sapientiam, & amorem *videatur præbuisse. Denique gratias tibi Regum glorioſissime,* Stephane, *qui tuo potentissimo apud DEUM interventu, hanc victoriam, &* Regi, & Regno, & Religioni *magnopere utilem, & fructuosam exorasti. Age, ut qui te,* in terris regnantem, *primum habuimus Regni Christiani conditorem, &* propagatorem; *habeamus potentissimum* in Cœlis *etiam* propugnatorem. *Habebimus enimvero,* Auditores, *si Divum* Stephanum, *Sanctissimum Regem nostrum, majore fiducia, ferventiore cultu, ardentiore pietate, & peculiari quadam veneratione, prosequemur. Tu quoque Augusta Domina,* Maria Theresia, *Regum Optima, ac idcirco Maxima! Si pateris Oratorem pedibus tuis affundi: si ad tuum non clementis Principis, sed ipsius clementiæ solium flexo poplite venerabundum advolvi: si gravissimis Reipublicæ curis intentam interpellari; age, Divum Regem* Stephanum, *decessorem tuum, ac Regni hujus* Hungarici

a) *Divinissima Trinitas peculiari cultu colitur* Budæ, *erecto publico cœtu, opera* Joannis Barna, *antea Canonici* Vacienſis *& Abbatis, post Societatis nostræ Religioſissimi Sacerdotis. Hoc innuit Orator.*

rici *summum præsitem*, *ac defensorem*, *ut hactenus*, *porro etiam*, *incredibili tua*, *qua non teneris*; *sed ardes*, *pietate venerare. Novimus quanto amore*, *studio*, *cura*, *solicitudine*, *feraris*, *sive in commoda regni hujus provehenda*, *sive in damna*, *à capitibus nostris propulsanda. Habemus in te haud ita Regem*, *quam Matrem*; *& quidem matrem optimam*; *aut*, *si optima melior dari potest*, *illam habemus. Si ergo videris regnum istud*, *tanto à te*, *ceu filios*, *amore dilectum*, *periculis objici*, *calamitatibus premi*, *rerum angustiis teneri*, *ab hostibus impeti*; *invoca* Stephanum, *Regem Sanctissimum*: *aderit Rex Regi*, *decessor successori*, *præsles optimus supplici*, *fortis propugnator periculis laboranti*, *ut olim adfuit Avo tuo*, Leopoldo, *Regi invictissimo*, *cui hanc gloriosam captæ* Budæ *victoriam exoravit. Dixi.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

ARTICULUS III.

DE ORATIONE SACRA FUNEBRI.

ORatio Sacra *Funebris* est, quæ in funere cujuspiam vita functi adornatur. Duplex, in his saltem Hungariæ regionibus, adhiberi consuevit: *solennis*, & *vulgaris*. Illa, plerumque Panegyrim complexa, habetur in solennioribus virorum illustrium, ut Principum, Antistitum, Optimatum, aut Nobilium, fama, virtute, aut rebus gestis inclytorum, exequiis; ac idcirco *solennem* compello. *Vulgarem* autem voco, quæ in vulgi hominum, id est: conditione inferio-

CAPUT III. ARTIC. III. §. I.

rum, ut Civium, Plebejorum, aut etiam Nobilium, vel Optimatum, sed meritis, fama, honoribus, muniis, minus illustrium, quam ut vita, ac res eorum gestæ, idoneum construendæ *solenniori* Panegyri campum dare queant, funere adornatur. Hæc plerumque *moralis*, vel certe morali *permixta* esse solet. De utraque seorsim agam.

§. I.

De Concione Funebri solenniore.

AD hujus artificium multa pertinent, quæ de adornanda Sanctorum panegyri diximus superius. Aliqua, Orationi funebri accommodata, breviter recolam.

I. *In inventione* curandum, ut sententia sacra, ac etiam Orationis thema, & partitio, viri, funebri laudatione celebrandi, ejusmodi sint, quæ 1. ut admonet (a) *Gisbert* in sua Eloquentia Christiana, ita panegyri, ut una doctrinæ Christianæ, & digressioni *morali* locum præstent; secus Oratio in profanum, & academicum sermonem deflectet. 2. Ut ejus, qui laudatur, characterem contineant. Continebunt porro, si 1. statui, & conditioni, in qua vitam quis traduxit, fuerint conformata. Verbi causa: fuit Rex, Princeps, Antistes, Bellidux, Prælatus, Heros &c, proponatur in Ideam Regis, Principis, Antistitis, Pastoris, Herois, Militis, Optimatis, sed Christiani; partitione à virtutibus, ei statui convenientibus, de-

a) *Cap. XV.*

deprompta. Ita *Spiritus Fleschier* Episcopus *Nemausiensis*, quem principem in Panegyricis (a) vocat *Gisbertus*, *Henricum Turrenium*, illustrem in Gallia Belliducem, ac Heroem, oratione funebri collaudat, deprompta ex libris Machabæorum sententia: *Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt: quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?* Henricus Turrenius Galliæ Heros potens, qui de tribus victor hostibus triumphavit. 1. *De hostibus regni per suam fortitudinem.* 2. *De hostibus animi, sive apetitionibus, per suam sapientiam.* 3. *De hostibus Ecclesiæ, sive hæresibus, & mundi vanitatibus, per suam religionem.* 2. Cum thema, & partitio convenit gesto in vita officio. Verbi causa: fuit Judex, Consul, Senator, Consiliarius, Aulæ minister, &c, tum dici potest illum omnes Judicis, Consiliarii, Aulæ ministri, &c, partes expleviſſe. Verbi causa in illud Davidis: *DEUS judex, fortis, & patiens;* dic: Virum, quem funebri laudatione celebras, fuisse 1. *Judicem patientem, seu in audiendis Civium causis, seu in oneribus eorum perferendis* 2. *fuisse fortem, seu in bono Civium procurando, seu in malo ab iis propulsando.* 3. *Fuisse justum, in jure unicuique tribuendo: non odio, non amore, non timore fuisse actum, nec muneribus unquam corruptum.* &c. 3. Cum thema, & partitio sumitur ab ea, qua quis maxime enituit, Chri-

a) *In Eloq. Christ. Cap. XV.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. 1.

Christiana virtute, ad quam postea omnia vitæ acta, tanquam ad scopum principalem, referuntur. Ita *Ludovicus Bourdaloue* in illud (a): *In memoria erit justus*, Henricum Borbonium, Principem Condæum, laudat à studio religionis, tanquam à virtute præcipua, & ad characterem illius pertinente, *quam ille in integrum restituit, quam defendit, quam exemplis illustravit.* Persimiliter egisses, si Comitem *Gabrielem Antonium Erdödi*, celebrem Agriensium Antistitem, in illud Ezechielis: *Ponam zelum meum in te* (b): à zelo, tanquam à vero ejus charactere, oratione funebri laudasses, *quam in eo charitas animavit, sapientia direxit, mansuetudo, quamvis in viro natura præfervido, mire tamen temperavit.* Siquis autem pluribus virtutibus, aut muniis inclaruit, vel diverso in statu positus fuit; tum partitio à diversis virtutibus, muniis, & statibus duci potest. Ita *Eminentissimum Principem, & Cardinalem, Leopoldum à Kolonicz*, Strigoniensum Archi-Episcopum, laudare potuisses: *Fuit magnus in bello miles, magnus in aula minister, magnus in Ecclesia Sacerdos.* Denique thema funebre eleganter conformatur tempori, loco, cæterisque funeris circumstantiis. Ita *Franciscus Peickhart Gerardo*, Sanctæ Crucis in *Austria Abbati*, funebrem dicturus, thema conformavit loco in illud Pauli: *Mihi autem absit gloriari; nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi:* glo-

a) *Psal. III. v. 7.* b) *Ezech. 23. v. 25.*

Gloria Abbatis Gerardi erat à Cruce Christi: sub qua *multum sibi*, *multum Ordini*, *multum suæ profuit patriæ.* Similiter *Bourdaloue Ludovico Borbonio*, Principi Condæo, funebrem panegyrim facturus, thema accomodavit funeris circumstantiæ, qua cor ejus tumulo fuit illatum: *Ludovicus habuit cor solidum, cor rectum, cor Christianum.* 1. Cor solidum, ne illud illustribus, & glorioſis pro republica gestis facinoribus à gloria inflaretur. 2. Cor rectum, ut funestum vitæ suæ exerrantis statum doleret, condemnaret, repararet. 3. Cor Christianum ad mortem Christiane obeundam, quam ille per pœnitentiam sapienter prævenit, tranquille expectavit, fortiter sustinuit, pie obiit. Si vero thema, & partitio, è communibus fontibus fuerint petita; ita postea argumentis tractentur, ut propria evadant. Quod explet *Ignatius Chiaberge* in Oratione funebri *Mariæ Joannæ Baptistæ Sabaudiæ Ducissæ* Taurini adornata, in illud: *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*: Maria Joanna Baptista etiam à morte in terris vivet. Partitio sumitur à dicto Angelici: *vivet in hominum memoriis, vivet in filiis, vivet in operibus Christianis.*

II. *In dispositione.* Exordium sæpe sumitur à circumstantiis funeris, vel à dolore, de viri obitu; plerumque autem ab assumpta sacra sententia. At undecunque petatur, semper mortis, aut funeris memoria

vel

CAPUT III. ARTIC. III. §. I.

vel statim in ingressu, aut descensu, vel in propositione, aut in introductione injiciatur, ut ab alio panegyrici genere secernatur. Confirmatio ex iisdem, unde partitio, fontibus ducitur. Continet potissimum acta vitæ, non historice; sed Oratorie, cum sacris amplificationibus, è scriptura petendis, enarranda. Acta autem ea sint, quæ religionem spirent, vel, tametsi profana fuerint, attamen ad religionem, & hominum mores, tanquam ad Orationis scopum, ultimo referri queant. In complexionibus, & epilogo aliquando excitatur affectus doloris de viri obitu; interdum consolationis propter obitum. Sæpissime fit digressio moralis ad Auditores per doctrinam moralem, Orationis proposito accomodatam. Ita agit *Ludovicus Bourdaloue* in Oratione *Henrici*, & *Ludovici* Borboniorum. Aliquando per apostrophen bene mortuo precamur, vel de fine vitæ hujus feliciter exactæ; alterius autem felicius inchoatæ, gratulamur. Aut DEUM per eandem apostrophen allocuti obtestamur, ut quietem ei concedat, ad metam quantocyus perducat. Vel vale extremum dicentem, aut salutaria filiis, domesticis, amicis, documenta præbentem inducimus. Vel denique suffragia, mortuis fieri solita, ab Auditoribus exposcimus, &c. Modus autem adornandæ Confirmationis esse potest: vel per aliquam argumentationem cum subdivisione, aut sine illa, vel per adjuncta personarum

rum, ut diximus in panegyri Sanctorum, hoc jam Tomulo. Quid autem agendum, si vita functus, funebri celebrandus, vitiis quibusdam fuerit obnoxius, quæ notiora sint, quam ut dextre silentio tegi queant? Grande hic est profecto, ut ait *Gisbertus*, Oratoris periculum, ne, si dissimulet, hoc ejus silentium minoris sinceritatis a conscio auditore arguatur; si vero in medium proferat, inconsulti, nec sat circumspecti Oratoris nomen pariat. Magna igitur hic opus est prudentia, & arte, ut vel argumentis ab humana infirmitate, ætatis fervore, ab occasionibus, in quibus versabatur, & frequentibus periculis, excusentur. Vel aliis virtutibus, & rebus præclare gestis, aut dotibus, delicta compensantibus, eleventur, ac imminuantur; præsertim, si ex casu, & ruina cautior surrexit, vel sub vitæ finem scelerum pœnituit. Summum hac in re, & prudentiæ, & artificii exemplum præbet *Bourdaloue* in panegyri *Ludovici Borbonii*, quam magnopere laudatus *Gisbertus* commendat. Nam Orationis parte prima, ubi cor ejus solidum fuisse probat, illustria, & glorioſa pro reipublicæ salute gesta ejus facinora commemorat, nec tamen a vana eorum gloria cor ejus inflatum fuisse multis probat. Parte autem Orationis altera, qua cor ejus rectum fuisse dicit; tametsi & DEO, & Regi suo infidelem semet præbuerit: 1. DEO, cum ejus immemor, multum in religionis studio re-

CAPUT III. ARTIC. I. §. II.

CAPUT III. ARTIC III. §. 1.

refrixerit ; cor tamen ejus vel tunc in DEUM rectum erat : quoniam , in hoc ipso refrigescentis religionis torpore , nunquam veram fidem negavit ; quamvis non unam id agendi opportunitatem habuisset. 2. Licet infidelem se probaverit Regi , dum arma cum rebellibus sumpsit ; at vel tunc cor ejus rectum erat erga ipsum etiam Regem. Nam 1. magnopere id ei dolebat. 2. Se ipsum eapropter damnabat. 3. Illata Reipublicæ damna sarcire studuit. 4. Animum Regis novis obsequiis sibi devinxit. 5. Devinctum per insignia merita constanter retinuit. Denique , quod tertia Orationis parte prosequitur : Christiane vitam clausit. Simile quid egit etiam *Carolus Ruæus*, celeberrimus de Societate nostra Orator Gallus, in funebri, quam *Buffierius* admodum celebrat, *Francisco Henrico Montmorancio* Duci *Luxemburgico*, Franciæ Belliduci, adornata. Qui licet haud ita è Christianarum virtutum legibus vitam instituit; ut æquum laudationi argumentum præbere potuisset ; *Ruæus* tamen Orationem solidæ inædificat pietati, eamque ita colorat, ut 1. *Satis causæ Gallos habere dicat pro Heroe Deum obsecrandi.* 2. *Satis causæ Dei misericordiam illi propitiam sperandi.* Partem orationis primam probat ex grato animo , Heroi debito , ob ingentia obsequia reipublicæ præstita. Alteram : ex recordatione illustrium notarum misericordiæ Divinæ ad ejus salutem incumbentis.

III.

III. Elocutio hujus Orationis exigit stylum panegyribus sacris convenientem, id est: argutum; sed argutiis moderate adhibitis, iisque, quemadmodum etiam amplificationibus, è fontibus Eloquentiæ Sacræ propriis, plerumque depromptis. Non igitur possum eorum etiam morem non improbare, qui funebres, è pulpito sacro dicendas, instar unius alterius profanæ, vel Academicæ Orationis pertractant.

§. II.

De Concione Funebri vulgari.

SÆpe fit, in hac saltem [ut dixi] regione nostra, ut concio funebris sit instituenda in exequiis hominum etiam vulgarium, virorum æque, ac fœminarum, ut civium, plebejorum, puerorum, infantum, aut nobilium, sed nullis meritis illustrium, quorum vita vix ullum *solemniori* panegyrico præbet fundamentum. Hæc concio plerumque moralis, aut certe [quod ante jam memoravi] morali permixta esse consuevit. In ea igitur:

I. *In Inventione*: deligatur thema morale cum pari partitione. Hoc autem ut novitatem sapiat, conformetur vel characteri personæ, concione funebri honorandæ, vel tempori, aut loco, vel Evangelio, ea die legi solito, vel aliis circumstantiis. Verbi causa: si miles fuerit, in illud: *Militia est vita hominis super terram*: aut *Labora sicut bonus*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

miles JESU Christi: Vel *Bonum certamen certavi: cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ;* dic de militia Christiana adversum tres animi hostes: mundum, carnem, dæmonem decertante, laborante, militante. Si negotiator fuit: dic in illud: *Negotiamini dum venio*, de pia animæ negotiatione. Si villicus: age de villicatione, in illam sententiam: *Redde rationem villicationis tuæ.* Si civis, si politicus; dic de officiis boni civis, aut politici, vel patris, matris, aut filii familias, vel bonæ conjugis, mariti, servi, domini, &c. Vel, si viduam, virginem, cœlibem, puerum, infantem esse contingat: tracta de viduitate, virginitate, cœlibatu, innocentia, ac felicitate parvulorum, &c. Aut si juvenem, vel adolescentem ante tempus mori accidat, in illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*, age de causis, ob quas, DEO sapienter providente, sæpe juvenes, & adolescentes, in ipso ætatis flore eripiuntur. 2. Tempori, festo, diei. Verbi causa: tempore adventus, paschatis, resurrectionis, pentecostes mors accidit; dic de duplici Christi adventu, aut de phase, seu transitu nostro, ex hoc mundo in alterum, vel de futura resurrectione, aut de Spiritu Sancto, animæ nostræ sponso, suas in Cœlo sponsas excipiente. 3. Conformatur loco, ut fecit *Franciscus Peikchart* in funebri *Gerardo Abbati* dicta, de qua prius.

4.

4. Conformatur Evangelio ejus diei, quo funeris exequiæ habentur. Ita Anonymus, Dominica II. post Pentecosten funebrem dicturus in illud: *Homo quidem fecit cœnam magnam, & vocavit multos*, dixit de beatitudine Cœlesti, ad quam omnes quidem sunt vocati, quod spem facit: pauci tamen electi, quod timorem incutit; his tamen adnumeratum esse virum vita functum probavit. 5. Conformatur aliis, mortis præsertim, circumstantiis. Verbi causa: subita quis morte obiit; tum sermo apte instituetur de mortis incertitudine, de opportuna ad mortem comparatione, de felicitate, vel infelicitate hominum subito morientium &c. Denique conformari potest thema virtuti, qua quis in vita enituit. Verbi causa: fuit vir, aut mulier orationi, misericordiæ operibus, temperantiæ, justitiæ dedita: dic de Oratione, misericordia, temperantia, justitia &c.

II. *De dispositione.* Confirmatio ad illum ferme modum tractari potest, quem de mixta Sanctorum panegyri diximus superius, vel de mixta morali dicemus inferius. 1. Cum unum divisionis membrum est morale; alterum panegyricum, aut vicissim. Verbi causa in funere cujuspiam divitis; sed in pauperes munifici, dicendum esset in illud: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in divitiis suis*: dic 1. acerba est mors homini pacem in divitiis habenti.

CAPUT III. ARTIC. III. §. II.

ti. 2: Jucunda fuit mors huic homini nullam in divitiis pacem habenti. 2. Dum quodlibet divisionis membrum partim est morale, partim panegyricum, idque dupliciter: 1. Ut pars panegyrica præeat; sequatur moralis. Verbi causa: festo Cœnæ Domini, in illud: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci; ita & vos faciatis.* Vir vita functus 1. *Fecit, ut erga proximum sobrie viveret; & vos sobrietati studeatis.* 2. *Fecit, ut erga proximum juste viveret; & vos jus suum unicuique tribuatis.* 3. *Fecit, ut erga DEUM pie viveret; & vos sincera Deum pietate colatis.* 2. Ut pars moralis præeat, panegyrica consequatur. Verbi causa: in exequiis Virginis cujuspiam in illud: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Virginis officium est 1. *Sanctam esse corpore; talis erat virgo defuncta.* 2. *Esse sanctam spiritu; ita fuit virgo vita functa.* Denique institui potest confirmatio ad illum, quem post paullum de mixta morali oratione adferemus, modum: cum singula divisionis membra argumentis moralibus fuerint comprobata; tum exemplo, ex rebus ab homine, vita functo, gestis, petito, illustrantur. Exordium, & epilogus æque tractari possunt; ac in funebri solenniore.

§. III.

§. III.

De paradigmate Concionis Funebris.

ETsi in terris noſtris perinde vigeant concliones funebres vulgares, quam ſolenniores; quia tamen illarum idea ex præceptis jam allatis, & exemplis mixtæ panegyris Sanctorum, ſatis ſuperque intelligi poteſt; idcirco ab adferendo earum paradigmate abſtinemus. Solenniorem autem funebrem latino ſermone redditam habet *Ludovicus Bourdaloue* de *Henrico Borbonio*, Principe Condæo, in illam Davidis (*a*) ſententiam: *In memoria æterna erit juſtus.* Item in funebri celebritate *Ludovici Borbonii*, Principis pariter Condæi, in illud lib. i (*b*) Regum: *Dixit quoque rex ad ſervos ſuos: num ignoratis, quoniam Princeps, & Maximus cecidit hodie in Iſrael --- Plangenſque, ac lugens ait: nequaquam, ut moriſolent ignavi, mortuus eſt.* Exſtat etiam Italice, ſimul & latine, ab *Ignatio Chiaberge*, noſtræ Societatis Italo Sacerdote, dicta Taurini, *Mariæ Joannæ Baptiſtæ Sabaudiæ Duciſſæ*, quam magnopere laudant eruditi Trivoltienſes, ante a nobis memorata. *Spiritus* quoque *Fleſchier*, Epiſcopus Nemauſienſis, funebrem *Henrico Turrenio*, multis celebratam, adornavit. Reperiuntur etiam complures hujuſmodi funebres Panegyres Tomulo III. Concionum *Caroli Ruæi*, celeberrimi de Societate noſtra Galli Oratoris, in obitum *Henrici*, Princi-

a) *Pſalm. 111. v. 7.* b) *2. Reg. 3. v. 38.*

CAPUT III. ARTIC. III. §. III.

pis Condæi: *Franciſci Henrici Montmorancii*, Ducis Luxemburgici, cujus paullum ante meminimus, *Jacobi Benigni Boſſuet*, Epiſcopi Meldenſis, in illud (a): *operatus eſt bonum, & rectum, & verum -- in univerſa cultura miniſterii domus domini - - & proſtratus eſt.* Denique, ut cæteros prætermittam, in funere *Ludovici*, Delphini, Regii Principis, & ejus conjugis, *Adelhaidis*, Delphinæ, Principis Sabaudæ, ac *Ludovici*, Delphini, filii eorum primogeniti, in illam Jeremiæ, opportuniſſimam ſane, ſententiam (b): *Quare facitis malum grande contra animas veſtras; ut intereat ex vobis vir, & mulier, parvulus -- de medio Judæ?* Quas nuper *Ignatius Wurz*, noſtræ pariter ſocietatis Sacerdos, Teutonico idiomate eleganter reddidit, quæ ampliſſimum conſtruendæ funebris ſolennioris & modum, & ideam Tironi præbebunt. Nos paratam ferme de *Carolo* Archiduce, nuper vita functo, habemus in hanc Iſaiæ ſententiam: *dum adhuc ordirer ſuccidit me*, cum hac, characterem ejus complectente, partitione: *In Carolo Archiduce triplicem mors præpoſtera, in ipſo ferme gloriæ illius ortu, ſpem ſuccidit.* 1. *Succidit Auguſtæ domui ſpem magni Herois.* 2. *Hungariæ ſpem magni patriæ Patris.* 3. *Religioni ſpem magni columinis.* Verum hanc brevitatis cauſa conſulto prætermittimus; forſitan, cum exemplo *vulgaris*, inter *Orationes miſcellas* eam ſubinde daturi.

IN-

a) 2. *Para.* 31. *v.* 20. b) *Jerem.* 44. *v.* 7.

INSTITUTIONIS ELOQUENTIÆ SACRÆ SPECIATIM

LIBER III.

DE STRUCTURA ORATIONIS SACRÆ IN GENERE MORALI.

AD ultimam, favente Numine, operis partem, genus nimirum *morale*, delapsi sumus. Est autem Concio *Moralis*, quæ de rebus, ad hominum mores pertinentibus, tractat. Olim in Eloquentia Civili genus istud veteres *deliberativum* dixere, à deliberatione, quoniam ejus materia in civilem disceptationem, &

CAPUT I. ARTIC. I.

consultationem adducta, coram senatu, aut populo fuerat agitata. Nunc in Eloquentia sacra nullus istiusmodi deliberationis cum populo Christiano usus esse solet; imo pleraque Sacrorum Oratorum argumenta, in materiam *Moralis* Concionis sumpta, sunt talia, de quibus fas non est amplius disceptare; idcirco hoc genus Orationis, in Sacra Eloquentia, rectius genus *Morale* nuncupabimus. Duobus autem liber iste capitibus constabit: primum agam de Oratione Sacra *Morali* generatim; postea speciatim.

CAPUT I.

DE ORATIONE SACRA MORALI GENERATIM.

Sicut in cujusvis alterius Orationis Sacræ, ita in *moralis*, generatim acceptæ, artificio tria spectari debent: *inventio*, *dispositio*, & *elocutio*. Cum multa, huc pertinentia, priore jam Tomulo executi simus; non est, cur iis, fusius hic repetendis, porro occupemur; ea solum, quæ vel illic prætermissa sunt, referemus, vel quæ diffusius, ac disperse dicta sunt, hic breviter collecta sub unum velut aspectum ponemus.

ARTICULUS I.

DE INVENTIONE ORATIONIS SACRÆ MORALIS.

AD inventionem Orationis sacræ *Moralis* tria pertinent: *sententia* sacra, *thema* Ora-

Orationis, & *partitio*. De singulis breviter agam. CAPUT 1. ARTIC. 1. §. 1.

§. I.

De sententia sacra Concionis Moralis.

QUalis in Concione *Morali* sententia sacra esse, unde, & quomodo depromi debeat; satis, superque docuimus Tomulo priore (*a*). Hæc addo.

I. Sententia sacra, sive sacer textus, qui potissimum ex diei Evangelio sumi debet, alius est *historicus*, alius *dogmaticus*. *Historicus* est, qui dictum, aut factum. vel utrumque simul complectitur. 1. Dictum (*b*): *Vocavitque Dominus DEUS Adam, & dixit ei: ubi es?* 2. Factum (*c*): *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* 3. Dictum, simul, & factum (*d*): *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Dogmaticus* textus est: qui dogma quoddam, sive doctrinam fidei, aut morum continet. Alius est *theoreticus*, seu *speculativus*, qui dogma quoddam, ad cognitionem pertinens, in se habet. Verbi causa (*e*): *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Alius *practicus*, moralis etiam textus nomine compellandus, qui urget bonum, aut vetat malum. Verbi causa: *Estote misericordes. Fugite fornicationem*, &c. Omnes hi textus de-

a) *Tomul. I. pag. 112.* b) *Gen. 3. v. 9.* c) *Joan. 1. v. 14.* d) *Luc. 2. v. 10.* e) *1. Joan. 5. v. 7.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. I.

servire possunt Concioni *Morali*; cumprimis tamen *practici*, sive *morales*.

II. Ex *practicis*, seu *moralibus* [ut diximus Tomulo (a) priore] alii sunt *affirmantes*, alii *probantes*. *Affirmantes* sunt: qui aliquid agendum, aut fugiendum simpliciter affirmant. Verbi causa: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos* (b). *Probantes* sunt: qui præter effatum, dicti simul rationem, aut modum continent. Verbi causa: *Estote ergo misericordes; sicut & Pater vester misericors est* (c): en modum! *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum Cœlorum* (d): en rationem! Tametsi utrique Divinam Dei loquentis authoritatem habeant; ex his tamen pro Concione *Morali* opportuniores sunt sententiæ *probantes*, quam *affirmantes*; cum veritatis sectandæ rationem, aut modum, fidei basi innixum, contineant, præbeantque argumento, & amplificationi, ex ipsis causæ visceribus eruendæ, solidum, fundamentum.

III. Tam ex *affirmantibus*, quam ex *probantibus* [ut diximus Tomulo (e) priore] deligantur textus [si commodum esse potest] potius *svadentes*, aut *disvadentes*: *præcipientes*, vel *prohibentes*: *promittentes*, vel *comminantes*: *adhortantes*, vel *dehortantes*: argu-

guen-

a) *Tomul. I. pag. 294.* b) *Matth. 5. v. 44.* c) *Lucæ 6. v. 36.* d) *Matth. 5. v. 3.* e) *Tomul. I. pag. 114. Item. 295.*

guentes, vel *obsecrantes*: *monentes*, *objurgantes* &c. Nam hi ex suo, quo tendunt, svadendi, præcipiendi, obsecrandi, comminandi, &c, modo, majorem orationi vim, ac pondus addunt ad persvadendum; serviunt insuper affectibus, & motui, ac digressionibus moralibus, præsertim, si toto Orationis decursu, fundamenti instar, retineantur: in complexionibus, & epilogo dextre urgeantur, repetantur, inculcentur.

§. II.

De themate sacro Concionis Moralis.

THematis inveniendi leges, fontes, dotes, ac modos elevandi prolixe aperuimus Tomulo (*a*) priore. Multa, imo pleraque jam illic reperiuntur ad *moralem* concionem pertinentia. E quibus pauca repeto.

I. Curandum, ut *thema morale* quantum esse potest, sit conforme diei Evangelio, tempori, auditoris personæ, moribus, ac conditioni. Nec enim omne *thema* omni semper congruit tempori, loco, auditori, ut Tomulo monuimus priore (*b*).

II. Eruatur ex ipso [si commodum potest] assumptæ sacræ sententiæ loco, vel saltem illi congruat: tunc enim Orator verbum Divinum prædicabit, apte ad propositum dicet. Verbi causa: sit hæc concionis sen-

a) *Tomul. I. p. 1. Cap. 1. toto Articulo 2.* b) *Tomul. I. p. 1. Cap. 1. Art. 2. §. 1. Num. 5. 6. 7.*

CAPUT III. ARTIC. II. §. II.

sententia: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* En thema: *misericordia ad normam cœlestis Patris est exercenda.* Quomodo autem ex assumpto sacro textu *thema* erui queat, affatim docui tomulo (a) priore.

III. Addo: in *Moralibus* sacris concionibus *themata* promi etiam posse ex locis generalibus, ut à *possibili*, vel *impossibili*: à *necessario*, vel *non necessario*: ab *honesto*, vel *inhonesto*: ab *utili*, vel *noxio*: à *decoro*, vel *indecoro*: à *facili*, vel *difficili*, &c. Quos locos generales fuse explicatos reperies Tomulo (b) priore.

IV. Potest *thema* etiam esse *historicum*, aut *dogmaticum*, illudque non *practicum* modo, sed etiam *theoreticum*. At si *historicum*, aut *theoreticum* fuerit; curandum, ut inde *moralis* doctrina, proposito apta, deducatur, quæ postea in complexionibus, & epilogo, rite amplificata, urgeatur. Verbi causa in illam Joannis sententiam: *Et verbum caro factum est*, ageres de Christi *Incarnatione themate* bipartito, sed theoretico: *In Christi Incarnatione elucet magna DEI humilitas: quoniam DEUS factus est homo.* Dein: *elucet magna hominis dignitas: quoniam homo factus est DEUS.* Ex hac utraque *theoretica* Orationis parte infer doctrinam moralem, in complexionibus urgendam; & quidem in prima parte: *si DEUS semet ita humiliavit: cur non perin-*

a) *Tomul. I. l. 2. p. 1. Cap. 1. Art. 2. §. 2. Num. 1. & 2.* b) *Tomul. I. pag. 283.*

perinde se humiliet homo superioribus per reverentiam, paribus per urbanitatem, inferioribus per mansuetudinem. In altera parte: *si tanta est hominis dignitas; non igitur homo semet abjiciat per peccati vilitatem.*

§. III.

De partitione sacra Concionis Moralis.

SImiliter dotes, fontes, tam proprios, quam communes, item elegantias partitionis sacræ *moralis* uberrime exposui Tomulo (*a*) priore. Non est quod addam, quam ut moneam.

I. *Partitionem* sacram in genere *morali* ex ipsis *causæ*, ac *thematis visceribus*, nimirum: vel ab ejus *subjecto*, vel à *prædicato*, vel ab alterutrius, aut utriusque *affectionibus*, idque vel a loco *definitionis*, vel a *partium enumeratione*, aut à *contrario*, vel à *causis*, aut *effectis*, *proprietatibus*, *adjunctis*, *quis*, *quid*, *ubi*, &c. esse eruendam. Elegantior erit, si ex ipsis assumptæ sacræ *sententiæ* verbis, & quidem vel ex uno, diversum tamen sensum habente: vel ex pluribus, partitionem aperte, vel occulte continentibus: vel ex tota sententia, multiplicem sensum, *allegoricum*, *anagogicum*, *tropologicum* continente: aut ex *contextu* totius Evangelii, in suas partes, vel a rebus, de quibus agitur, in initium, medium, & finem distributis, divisi. fuerit petita. Exempla habentur Tomulo (*b*) priore.

II.

a) *Tomul. I, lib. 2, parte 1. Cap. 1. toto Artic.*

CAPUT I. ARTIC. I. §. II.

II. Promi potest *moralis partitio* etiam ex dictis Sanctorum Patrum, partitiones continentibus. Novi celebrem sane Oratorem, qui copiosas hujusmodi sententias, partitiones complectentes, ex diversis Sanctorum Patrum operibus in sua congessit adversaria, cujuslibet ferme Moralis Concionis argumento servituras; quas postea in suis Concionibus non sine gratia, & plausu usurpabat. Imitare virum, si placet; placeat autem!

III. Similiter sumi possunt *morales* concionum *partitiones* ex locis *generalibus*, supra memoratis, uno, aut pluribus. *Ex uno.* Verbi causa: *munificentiæ Christianæ utilitatem*, pro concione tractandam haberes; dabit partitionem locus communis *utilium*, si plures utilitatis causas attuleris. Ad has porro facilius inveniendas; vide: quid Tomulo dictum sit priore, vel adhuc dici possit, de *utili.* Reperies: 1. utile aliud esse *privatum*, aliud *commune*, seu *publicum.* 2. Ratione ordinis aliud esse *humanum*, aliud *Divinum.* 3. Alia esse utilia *corpori*, alia *animæ*, alia *fortunis.* En partitiones ex loco utilium: *exercenda est munificentia Christiana: quoniam per eam* 1. *sublevatur privata hominum miseria.* 2. *Provehuntur publica reipublicæ, & Ecclesiæ commoda.* Vel *Christiana in pauperes munificentia est quoddam fœnus Divinum, quod auget*

lo 3. b) *Tomul. I. l. 2. par. 1. Cap. 1. Art. 3. §. 2. Num. 11. 12. 13. 14. & cæteris.*

auget homini bona fortunæ. 2. *Parit bona gratiæ.* 3. *Provehit bona gloriæ.* Hoc simili modo erui possunt *partitiones* ex cæteris etiam locis generalibus, ut à *necessario*, ab *honesto*, à *facili*, à *decoro*, cæterisque; vel ab eorum *contrariis*; modo diligenter dispicias: quid de uno quovis loco generali dictum sit Tomulo (a) priore, vel adhuc dici queat. 2. *Ex pluribus locis.* Verbi causa: *Exercitium actuum fidei, spei, & charitatis, est exercitium nobilissimum ratione objecti.* 2. *Est exercitium utilissimum ratione commodi nostri.* 3. *Est exercitium facillimum ratione modi.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONE ORATIONIS SACRÆ MORALIS.

AD dispositionem Orationis sacræ tria pertinent: *exordium*, *confirmatio*, & *epilogus*. Totum ferme, quod de his dici potest Tomulo priore complexi sumus, exemplis in genere morali plerumque propositis. Unus adhuc, quem illic prætermisimus, modus superat disponendæ Orationis sacræ per syllogismum *principalem*, mox adferendum; vel, ut alii ajunt, *universalem*, aut quod rem plenius exprimit, *fundamentalem*, cui, velut fundamento, totum Orationis corpus innititur. Quanquam hic etiam modus satis ex iis, quæ de Panegyri, hoc modo construenda, diximus superius (b), colligi

a) *Tomul. I. pag. 283.* b) *Tomul. II. libr. 2. Cap. 2. Art. 1. §. 1.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

ligi posset; ut tamen ejus usus in genere etiam *morali* pateſcat; consulto hic referimus. Modi istius artificium totum in eo positum est, ut quis *exordium* in ejusmodi syllogismum, vel argumentationem, partitionem jam in se continentem, redigere norit. Id circo sit.

§. I.

De exordio Orationis sacræ Moralis.

SEptem, ac decem exordiendi modos dedimus Tomulo (a) priore; ubi communes inter fontes præcipuus est à *visceribus causæ*; inter proprios vero à *paraphrasi sacræ sententiæ*, vel à *narratione historiæ Evangelicæ*, quem modum, utpote Sacræ Eloquentiæ maxime proprium, iterum, ac iterum Tironibus commendo. Nulla tamen disponendi exordii methodus est facilior, quam per syllogismum *fundamentalem*, vel aliam argumentationis formam, quæ toti postea [ut dixi] Orationi præbeat fundamentum. Modi istius prius dabo praxim; postea adferam observanda.

I. *Praxis hujus modi.* Sit *thema* Concionis *Moralis* in illam Sapientis sententiam: *Fœneratur Domino, qui pauperis miseretur.* Eleemosyna est ars [ut ait *Chrysostomus*] omnium *quæstuosissima.* Exordium facturus redige dictum *thema* in quandam argumentationem: verbi causa: in syllogismum quinquepartitum, ductum a *thesi*, seu a genere, ad hy-

a) *Tom. I. l. 2. par. 2. Cap. 1. toto Articulo 2.*

hypothesim, sive speciem. Major. *Inter cæteras humani quæstus artes non postrema est, loco securo fœnus exercere.* Ratio majoris: *Ab hominum usu, & experientia. suas eo plerumque pecunias in fœnus dare conantium, ut nec ipsa sors periculum subeat, & census fideliter persolvatur.* Minor. *Sed eleemosyna est ejusmodi fœnus divinum, quod, instar seminis in terram jacti, decuplo redditur.* Ratio minoris à testimonio Sapientis: *quia Domino fœneratur, qui pauperis miseretur.* Confirmatio rationis, partitionem continens: *fœneratur in terris, ac in cœlis. In terris: cum Dominus eleemosynam largientibus centuplum reddat in terris; thesaurum vero se daturum promittat in Cœlis.* Complexio. *Ergo eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* En brevissimum, & facillimum exordiendi modum, in quo *major* syllogismi cum sua ratione agere potest *ingressum. Minor*, cum sua ratione, *descensum. Complexio* propositionem. *Rationis confirmatio* introductionem, ac partitionem; cujus dein singula membra, novis rursum argumentationibus, vel aliis adornandæ confirmationis modis, mox adferendis, expolita, facient corpus Orationis. *Complexio* rursum deserviet epilogo.

II. *Observanda in hoc modo.* 1. Haud opus est, ut *syllogismus* semper sit *quinquepartitus*; esse potest etiam *quadripartitus*, vel *tripartitus*; imo aliud etiam argumentationis genus, ut *enthymema*, *dilema*, *collectio oratoria.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. I.

ria. 2. Argumentatio non semper à *thesi*, seu à *genere*; sed etiam ab *hypothesi*, à *causis*, ab *effectis*, à *comparatione*, à *simili*, ab *exemplo* duci potest. Sit exemplum à contrario, in eodem allati modo *thematis* genere. Major. *Homines existimant crebriore eleemosynarum largitione opes suas mimui.* Ratio majoris. *A communi hominum avarorum usu, & experientia, adversum pauperes, stipem corrogantes, ea de causa quiritantium.* Minor. *Sed falluntur: quoniam nulla ditescendi quæstuosior ars est eleemosyna.* Ratio minoris à testimonio sapientis: *quia Domino fœneratur, qui pauperis miseretur: fœneratur in terris, cum centuplum eleemosynam largienti DEUS reddat in terris; thesaurum præterea spondeat in Cœlis. Ergo eleemosyna est ars ditescendi quæstuosissima.* 3. Tam *major*, quam *minor*, ac earum etiam *rationes* exornari, & amplificari possunt aliquo *exemplo*, aut *similitudine*, vel *contrario*, aut *testimonio* scripturæ, vel Sancti Patris; imo plures etiam rationes principali rationi poterunt adjungi. 4. Curandum, ut sententia sacra, in concionis fundamentum assumpta, vel in *majore*, aut in *minore*, vel in alterutrius *ratione* adferatur, explicetur &c. Cætera huc attinentia, recole ex iis, quæ dicta sunt de Panegyri artificiali, per *hujusmodi fundamentalem* argumentationem construenda.

§. II.

§. II.

De Confirmatione Concionis Sacræ Moralis.

IN *Confirmatione* duo sunt attendenda: *argumenta*, & *argumentationes*. *Argumenta* pro oratione *morali* cum *suademus*, aut *dissuademus*: *hortamur*, aut *dehortamur*: *comminamur*, *objurgamus*, *invehimur*, plerumque petuntur à locis generalibus, ut à *possibili*, vel *impossibili*: ab *honesto*, vel *inhonesto*: ab *utili*, vel *inutili*: à *bono*, aut *noxio*: à *facili*, aut *difficili*: à *decoro*, aut *indecoro*: à *necessario*, vel *non necessario*, &c, de quibus Tomulo (*a*) actum est priore, quæ postea aptis Scripturæ sacræ, vel etiam Sanctorum Patrum testimoniis sunt confirmanda. E quo autem potius loco, in determinato *thematis* genere, *argumentum* sit petendum; pendet à judicio Oratoris. Illud observa: haud necessarium esse, ut loci generales, verbi causa: *honesti*, vel *utilis* nomen, & appellatio, semper proferatur: molestum enim foret iisdem perpetuo verbis uti; sufficiet nomen adhibere virtutis alicujus, vel adhibere causam, proprietates, effectus, quæ sub ratione honesti, vel inhonesti, vel utilis, &c, continentur, aut eo referuntur. Sic ad injuriarum condonationem hortaturus, argumento ab *honestate* ducto, non est necesse expresso *honesti* vocabulo uti; sat erit, si dicas: illam esse *justam*, *prudentem*, *fortem*, *magnanimam*, &c,

a) *Tomul. I, pag. 283.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

quæ ad generalem *honesti* locum pertinent. *Argumentationis* vero, qua *confirmatio* adornari potest, novem dedi modos Tomulo (*a*) priore, nimirum: per *chriam*, per *syllogismum*, per *enthymema*, per *collectionem oratoriam*, per *dilema*, per *soriten*, per *inductiones*, per *exemplum*, denique per *subdivisiones*. Ex his, in concionibus vulgaribus, ac brevioribus, ad rudiores præsertim, vel mediocres, habendis, familiariorem tibi redde *chriam*, *enthymema*, *inductionem*, *exemplum*. Utere etiam syllogismo, *dilemate*, & si solennior, vel doctiores ad auditores concio habita fuerit, vel argumenti ratio, clarius proponendi, exegerit, tracta per *subdivisiones*, modo, Tomulo (*b*) priore, memorato. Nunc reliquos, illic prætermissos, divisionis confirmandæ, in concionibus maxime popularibus, brevius instituendis, modos cape.

I. *Per locum Rhetoricum.* Institui potest alicujus divisionis [idem intellige de subdivisione] confirmatio per *locum Rhetoricum*. Sit *thema* Concionis tripartitum: *In templo agendum reverenter*, *manendum pie*, *eundum frequenter*. Si primam divisionis partem per *locum Rhetoricum* velles confirmatam; dispice: ad quem illa locum pertineat? Videbis: ducto à loco *definitionis* argumento eam tractari posse. Consule Tomulum (*c*) priorem:

a) *Tomul. I. l. 2. par. 2. toto capite 2.* b) *Tomul. I. pag. 500.* c) *Tomul. I. pag. 174.*

rem : quomodo argumentum ab eo loco petatur, quibus locus ille *figuris*, & *amplificationibus* expoliatur. Reperies : argumentum duci 1. per *negationem* eorum, quæ sunt templum. Verbi causa : *In templo agendum est reverenter : quia templum non est forum nundinantium, taberna Veneris, luxuriæ pratum* &c ; *sed est domus DEI, locus orationis, Divini sacrificii ædes*, &c. Dein invenies locum hunc expoliri posse per *contentionem ironicam*, Ciceroni familiarem, sive cum per *figuram interrogationis* primum adducuntur ea, quæ non sunt templum, cum *confutatione* [vel sine illa] per figuram *subjectionis* instituenda. Postea *ironice* exclamatur. Denique cum figura *conduplicationis* per *definitiones conglobatas* adferuntur ea, quæ sunt templum. Ad finem adjungitur digressio moralis. Idea loci hujus in memorato *themate* habetur Tomulo (*a*) priore. Vel, si probare velles à loco *antecedentium*, *comitantium*, & *consequentium*, *mortem Sanctorum esse pretiosam* : vide : quæ illam circumstantiæ *anteeant*, quæ *comitentur*, quæ denique *consequantur;* quas si oratorie, ut Tomulo (*b*) reperitur priore, deduxeris : mortem Sanctorum pretiosam esse comprobabis. Similiter, si confirmare cuperes hoc orationis thema : *Homo Christianus tenetur animam reddere Deo*, per causas : excogita quadruplicem animæ causam : *efficientem*, *materialem*, *formalem*, & *fina-*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

a) *Tom. I. pag. 180.* b) *Tom. I. pag. 251.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

finalem; eloquere singulas ad eum ferme, qui Tomulo (*a*) priore habetur, modum; erit exacta confirmatio. Sic à cæteris etiam locis, ut ab *oppositis*, *repugnantibus*, *comparatione*, *notatione*, *conjugatis*, alicujus membri divisionis confirmatio duci potest. Exempla reperies laudato Tomulo.

II. *Per amplificationem.* Institui potest alicujus membri Divisionis confirmatio per aliquem Tomulo priore allatum, specialis præsertim amplificationis, modum. Sint exempla: I. *Per paraphrasim* Tomulo (*b*) priore memoratam, quæ dupliciter institui potest: 1. Si ipsius thematis confirmandi voces singulæ explicentur. Verbi causa: esset probandum hoc *thema* concionis bipartitum: *DEUS superbis resistit; humilibus autem dat gratiam;* eleganter instituetur confirmatio, si singula primæ partis verba per paraphrasim, haud ita verborum, quam rerum, explicentur. Verbi causa: *DEUS*, qui ut rerum cæterarum; ita summus est omnis gloriæ Dominus, secundum illud: *soli DEO honor, & gloria, in sæcula sæculorum.* 2. *Superbis*, quam vocem amplifica: 1. à Definitione *superbiæ* per *notationem*; quod super alios ire tendat cum *Lucifero: conscendam super astra, & exaltabo solium, & similis ero altissimo.* 2. Quod superbus sit fur, qui gloriam soli DEO debitam, surripere tentat. 3. *Resistit*, id est: quod DEUS su-

a) *Tom. I. pag. 263.* b) *Tom. I. pag. 700.*

ſuperbi conatibus, eum humiliando, deprimendo, obſiſtat; quemadmodum homines obſiſtunt furibus, res alienas rapere volentibus. His adjungatur digreſſio moralis ad Auditores, & confeſtim confirmatio abſoluta erit. Poteſt etiam fieri Confirmatio per eandem *paraphraſim*, quando non ipſæ *thematis* voces; verum ſententiæ ex ſcriptura, vel ex Sancto Patre, ad *thema* probandum inventæ, verba, per *paraphraſim* exponuntur. Verbi cauſa: probandum haberes, quod *libido mentem excæcet*; primum delige ſacram, ad hoc confirmandum, ſententiam, verbi cauſa ex Paulo: *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*: hujus poſtea explica ſingula verba: primum vocem *animalis homo*; dein *non percipit*; demum: *quæ ſunt Spiritus Dei*, & habebis confirmationem per hunc amplificationis modum peractam. Alter adornandæ per amplificationem Confirmationis modus eſt: ab *adjunctis actionum*, vulgari verſiculo comprehenſis: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Verbi cauſa: probandum tibi foret; *In Chriſti Incarnatione miram eluxiſſe DEI humilitatem: quoniam DEUS factus eſt homo.* Diſpice hoc thema per adjuncta: 1. *Quis?* *DEUS*; hic Dei dignitatem expones. 2. *Quid?* homo; hic hominis vilitatem deſcribes. 3. *Quomodo?* mirabili unione, per quam Deus occuluit ſuam ſapientiam, ſuam æternitatem, ſuam immenſitatem,

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

&c. *Quibus auxiliis?* Conceptus equidem de Spiritu Sancto, natus ex Virgine; sed paupere, &c. 5. *Ubi?* in Bethlehem, vili oppidulo, &, cum locum non haberet in diversorio, natus est in stabulo. &c. *Cur?* propter nos homines, & propter nostram salutem. *Complexio:* O miram DEI humilitatem! Hæc complexio vel ex singulis adjunctis potest inferri; vel certe post omnium adjunctorum *paraphrasim* subjungi. Quæ si novis ex Scriptura, aut ex patribus, depromptis testimoniis, vel aliis à *simili*, ab *exemplo* petitis amplificationibus, elocutus fueris, cum adjecta morali ad Auditores digressione, erit confirmatio peracta. Tertius instituendæ per *amplificationem* confirmationis modus est, à *congerie*, de qua egimus Tomulo (a) priore: cum plura *similia*, *exempla*, *causæ* ad aliquid probandum congeruntur. Ita à *congerie* plurium exemplorum *Gabriel Le-Jaj* (b) probat Divinam præsentiam incendere ad virtutem. Quartus per amplificationem confirmandi modus est per *hypothipo∫im*, sive descriptionem facti alicujus Biblici, ad rem pertinentis, cum *prothasi*, & *apodosi*, ac *digressione morali*, ut diximus Tomulo (c) priore. Item: per *difficultatem*, è Scripturæ loco propositam, sine nova, vel cum nova ex alio scripturæ loco petita *difficultate* solutam, ut habetur Tomulo

a) *Tom. I. pag. 697.* b) *Bibliot. Rhet. Tom. 2. Orat. 18.* c) *Tomul. I. pag. 705.*

mulo (a) priore. Vel etiam sine ejusmodi *descriptione hypothetica*, vel *difficultate*, simpliciter per aliquem Scripturæ locum, ad rem appositum, & amplificatum. Hæ autem *descriptiones*, *difficultates* possunt esse jam plures, jam pauciores, interdum una, in brevioribus præsertim concionibus. Et hoc quarto plerumque modo suas adornant confirmationes *Cardinalis Casini*, & *Antonius Vieira*: lege utrumque, & modum facile addisces. Primum proponitur *thema* probandum cum aliqua paraphrasi; postea adferuntur loca scripturæ, vel exempla, cum *descriptionibus*, aut *difficultatibus* prædictis, vel sine illis, plura, vel pauciora; demum subjungitur *Digressio moralis*.

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

III. *In modum meditationis.* Institui potest alicujus divisionis confirmatio in modum *meditationis*, oratorie tamen deductæ, quam tradit Disertissimus Pater *Franciscus Neumayr* in suis *Micis Evangelicis*, secundum triplex triplicis potentiæ, memoriæ nimirum, intellectus, & voluntatis exercitium, & usum, in hoc positum. 1. Per exercitium, memoriæ recolitur probanda veritas; &, si materia sit *historica*, recoluntur ejus circumstantiæ, puta: *personæ*, *verba*, *opera*, vel *affectus personarum*. Item: *locus*, *tempus*, *agendi modus* &c. Si vero generis sit *dogmatici*, aut *moralis*, investigatur, quis sit probandæ veritatis, vel sacri textus ad probandam

a) *Tom. I. pag. 709. & 711.*

CAPUT I. ARTIC. II. §. II.

veritatem assumpti, *sensus*, singulas ejus voces per *paraphrasim*, aut alio modo breviter explicando. 2. *Exercitium intellectus* tria efficere potest: 1. Ut quis erutam ex *themate*, à memoria proposito, veritatem, verbi causa: *Lapsum Angelorum*, *Christi flagellationem*, *pœnas inferni* vivacius apprehendat. Vel 2. mente convictus veritatem, verbi causa: *peccati gravitatem*, *gratiæ necessitatem*, &c, firmius *credat*. Vel 3. ut ad mores cognitæ veritati conformandos *permoveatur*. *Apprehensionem* efficit amplificatio, per modum *chriæ*, à *paraphrasi*, à *simili*, à *causa*, à *contrario*, &c, instituta. *Fidem* evincit argumentatio à *definitione*, à *divisione*, à *proprietatibus*, à *causis*, ab *effectis*, à *contrario*, denique à *ratione*, & *authoritate*, petita. *Motum* ad mores veritati conformandos, faciunt argumenta ex *locis* Eloquentiæ *generalibus*, seu moventibus, desumpta, ut à *possibili*, à *necessario*, ab *utili*, ab *honesto*, à *decoro*, *æquo*, *facili*, &c; vel ex eorum contrariis. *In voluntatis exercitio* varios voluntas motus ciet, qui ad triplices triplicis temporis, *præteriti* nimirum, *præsentis*, ac *futuri* affectus possunt revocari. Affectus *temporis præteriti* est *optatio*, ut compertæ veritati diligentius temet conformasses; hanc sequitur sui *accusatio*; *pudor*, *dolor*, *deprecatio*: vel contra *gratiarum actio*, &c. *Temporis præsentis* affectus est: *oblatio novi propositi*, quam comitatur *amplexus remediorum*, *amor*, *spes*, *timor*, *zelus*,

lus, &c. *Temporis futuri* est *petitio*, sed anima argumentis, quæ DEUM facilius movere possunt ad orantis miserationem; petita jam à *persona ipsius DEI*, quem oramus per ipsius perfectiones, per *sapientiam*, *potentiam*, *fidelitatem*, *misericordiam*, *justitiam*, &c. Jam à *persona Christi*, *Beatæ Virginis*, & *Sanctorum*, enumerando eorum facta, merita singularia, &c. Jam à *persona nostra*, exhibendo miserias, conatus, pericula nostra, &c. Hæc forma est *Patris Neumayr*. In Gallicis autem libris, meditationes continentibus, primum discutitur veritas; post fit reflexio ad mores, quomodo discussæ veritati hactenus fuerint conformati; demum varii sequuntur affectus. Utere hoc modo, si placet, qui licet non sit ad artem; erit tamen ad fructum. Hunc si familiariorem, per crebriores meditationes, ex opusculis Patris *Neumayr*, vel etiam aliorum, maxime *Italorum* [qui cæteris magis *pathetici* esse solent] instituendas, sibi reddiderit sacer Curio, erit etiam ex tempore, vel certe paucum intra tempus, ad dicendum, non sine fructu, comparatus.

§. III.

De digressione Morali in Complexionibus, & Epilogo.

QUam nos *digressionem*, alii *moralem* vocant *applicationem*, Hæc plerumque in *complexionibus*, & *epilogo* adornari solet.

Quid

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

Quid ea sit? & quomodo instituenda? Jam aliquos illius Tomulo (a) priore modos dedimus. Qui supersunt, hic referemus. Servient hæc excitandis etiam affectibus.

I. *Digressio moralis* eleganter instituitur per *examen*, cum Orator post *thema* rite probatum Auditorum animos, & conscientias appellat, quas postea vel ipse examinat per figuram *interrogationis*, & *repetitionis*; vel jubet, ut suos in animos descendant, & ipsi se ipsos perlustrent; an explicatæ modo veritati mores conformarint, quantum ab ea recesserint; quod eleganter fit per *enumerationem actuum virtutis*, aut *vitii*, cum figura *optationis*, *exclamationis*. Sub finem adjungitur *adhortatio*, vel *dehortatio*, aut *obsecratio*, *comminatio*, *objurgatio*, &c; quanquam hæc omitti etiam possunt. Utitur hoc modo crebrius *Segneri*.

EXEMPLUM.

Optatio. *Utinam vero*, Auditores, *hæc, quæ dixi, & ex Jabesii exemplo confirmavi, etiam ex moribus hominum, ac ipsorum Christianorum, vera esse intelligerentur! Nemo equidem fere est, tam sordidi, ac vilis animi, qui non aliquo gloriæ stimulo tangeretur. Nemo, qui non, saltem animo, aspiraret ad aliquod decus, & honorem, inter homines consequendum. Sed optarem, ut hic ambitus honestos inter cancellos semper contineretur.* Exclamatio. *At prob*

do-

a) *Tomul. 1. l. 2. p. 2. Cap. 3. Art. 3. §. 1. & 2.*

dolor! quoties evenit, ut virtutis terminos egrediatur? Quoties quærunt homines laudem in rebus turpibus, ac probrosis? Quoties, ut ait Apostolus, ponunt gloriam in ignominia sua? Optatio. *Atque utinam, vos dilecti Auditores, ex hoc* carnalium *ac hominum mundanorum numero excludere possem! Quam ego id vellem, si liceret; verum video, & mecum alii etiam vident, studia, molimina, conatus maximæ partis vestrum perversa ambitione ad gloriam aspirare. Quantus non adhibetur labor, quanta non diligentia, quod cursitationes, quæ artes, quæ fraudes ad comparandum aliquem inter homines locum; cum interea laus veræ pietatis, & fidei negligitur, vel saltem ejus studium tepet. Ex his actionibus, ac moliminibus vestris, satis, superque paterent interna vestra judicia. At si mihi præterea liceret interiora mentis penetralia subire, si arcana cogitationum inspicere; Superi! quanto plus viderem, quam oculi corporei præbeant contemplandum. Certus sum: me in multis vestrum deprehensurum magnum motum, & tumultum cogitationum, huc unice connitentium, ut laudem vobis comparetis magis apud homines, quam apud DEUM. Deprehensurum ignem flagrantem omni genere cupiditatis, & ambitionis rerum earum, quæ judicio DEI, & Angelorum, nihili æstimantur. Verum cum non liceat inspicere penetralia mentium vestrarum, quæ soli DEO, & vobis patent; levate me hoc labore, & agite, vos ipsi statuite vos coram DEO, & dum ego verba facio, inspicite penitiora cordis vestri; sed inspi-*

cite

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

cite oculis claris, oculis irretortis, judicate candide, & absque fuco, inquirite diligenter, an id vestrum sit judicium de vera laude, & decore, quod olim erat Jabesii? An illud statuitis in fide, in pietate, in commercio interiore cum Deo, ut olim statuerat Jabesius? An potius in rebus vanis, ac perituris, quæ fumi instar dispereunt? Nunquid vanam nobilitatis vestræ gloriam jactatis? cæteros despectui habetis? &c. Si ita? Pudeat vos, O chari Auditores, *pudeat, tantopere à Jabesii exemplo discessisse. Quare satagite, ut vitam quamprimum corrigatis. Quid proderit vobis laudem habuisse apud homines, non vero apud DEUM? Quid hunc honorari consulem, illum tribunum, istum sella curuli, & trabea fulgere, florere laude doctrinæ; si verum interea decus negligitis, aut ignoratis? Nec tamen eo mea tendit Oratio, ac si omne studium honoris in societate civili vitiosæ, & inhonestæ ambitionis damnarem; est gloriæ stimulus veræ virtutis subsidium, & adjumentum.* Obsecratio. *Hoc tantum urgeo, hoc rogo, hoc obtestor, ut veram vestram excellentiam cum rebus divinis, cum salute, cum fide, cum pietate, ad exemplum Jabesii, qui* fuit inclytus, *sive honoratior* præ fratribus *suis* (a) *conjungatis. Dixi.*

II. Fit *digressio moralis* per idem *examen*; sed cum aliqua Scripturæ, aut Sancti Patris sententia conjunctum, quæ *examini* præbeat fundamentum.

EXEM-

a) *1. Para. 4. v. 9.*

EXEMPLUM.

CAPUT 1. ARTIC. II. §. III.

Quæ cum ita sint; dispicite jam, Auditores, *quali animus vester charitatis studio hactenus flagrarit? Divus Gentium Doctor Paulus, charitatem descripturus, ait esse patientem, benignam, non æmulantem, non inflatam, non ambitiosam.* Charitas *(inquit)* patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet. *Hæc sunt veræ charitatis signa, hæc indicia, è quibus eam, ceu arborem, e fructibus cognoscetis. Videte jam*, Auditores, *quæ vestra fuerit hactenus charitas?* Charitas, *ait Paulus*, patiens est; *perpendite: qua in tolerandis proximorum erratis, & oneribus fueritis* patientia? *Nunquid si vos verbo, vel re quapiam, paulum asperiore, lædi contigit; perinde erat, ac Æthnam tetigisse, qui confestim ignes eructet, in amaras querelas, in murmura, in contumelias, in calumnias, in blasphemias effundatur?* Charitas benigna est; *recogitate: quali in proximos vestros hactenus ferebamini benignitate? an fratrum vestrorum miserias, necessitates, penurias, pro modulo vestro sublevare contenderitis? Nunquid, si opem flagitavit, hanc negastis? Si æger erat, solatii gratia nunquam eum accessistis? Si stipem petiit, non sine verbis asperis eum repulistis?* Adhortatio. *Hæccine charitas, O Christiani? Audite:*

quid

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

quid Christus hodierno in Evangelio dicat: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis. *Vultis Christi esse discipuli, & amici? Satagite, ut charitatem habeatis &c.*

III. Fit *digressio moralis* rursum per *examen*, cum *comparatione* conjunctum, dum nempe mores nostri cum Sancti alicujus, vel alterius, in exemplum allati, moribus conferuntur, atque per *antitheta* eos inter, & nos, discrimen ostenditur. Vel certe svadetur, ut ad eorum æmulationem mores componantur.

EXEMPLUM.

Componite jam, Auditores, *si placet, mores vestros cum moribus* Ignatii, *hactenus à me laudibus celebrati. O DEUM immortalem! quantum vitæ vestræ rationes à sanctissimis ejus vitæ rationibus discessisse invenietis.* Ignatius *omni humana semet exuit gloria, & quid vos? nunquid in eo elaboratis, ut omnem, si fieri posset, totius mundi gloriam in vos unos conferretis.* Ignatius, *etsi ortu, ac genere vir fuerit illustris; studio tamen latendi vile indutus mendicabulum, avitam nobilitatem cum ignobilitate commutavit; quid vos? nunquid vanam generis vestri claritatem arroganter jactatis, cæteros, quos nascendi conditio ignobiliores fecit, superbe vilipenditis?* Ignatius *omnes, quas habuit, vel adhuc habere poterat, sæculi divitias contempsit; quid vos? nunquid per fas, & nefas omni conten-*

tentione eas accumulare ſtudetis? Ignatius *honores fugit; vos quæritis: invitus adiit; vos ambitis: dimittere voluit; vos omni arte retinetis. O quam differens eſt vita veſtra* Auditores! Comminatio. *Ah vereor vehementer, vereor, ut, ſi porro in hac ambitione perſiſtatis; nunquam in cœleſtis gloriæ communionem veniatis. Quid ait Chriſtus:* Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum Cœlorum? &c.

IV. Fit *digreſſio moralis* iterum per *examen* cum *fictione* propoſitum. In hac autem *fictione* eleganter adhibetur factum aliquod *hiſtoricum*, ſeu *Biblicum*, ſeu *Eccleſiaſticum*.

EXEMPLUM.

Fingite dilectiſſimi, Auditores, *vos, ardenti febricula correptos, graviter ægrotare, acerrimis caloribus prope ad inſaniam cruciatos lecto acerbe detineri. Interea adeſſe virum quemdam Propheticum, qui ſupremam vitæ horam, hoc adhuc veſpere, certiſſime adfuturam, vobis annunciet; quemadmodum olim Regi* Ezechiæ *ægrotanti ab* Iſaia *Propheta ſacræ literæ memorant fuiſſe annunciatam.* In diebus illis *(inquit Iſaias)* ægrotavit Ezechias, & *ecce!* introivit ad eum Iſaias, filius Amos, Propheta, & dixit ei: hæc dicit Dominus: diſpone domui tuæ; quia morieris tu, & non vives. *Si inquam ita vobis hodie mors oppetenda annunciaretur, quid, oro, ageretis? Diſcutite conſcientias veſtras, quo vos in animi ſtatu, ad*

CAPUT I. ARTIC. II. §. III.

excipiendum hoc fatale nuncium, positos sentiretis? Nullius ne perpetrati gravioris peccati, quod mortem redderet formidandam, reos ageret conscientia? Possetisne cum Rege Ezechia *fidenter orare:* memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in virtute, & corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim? *Possetisne cum* Aloysio, *à sociis inter ludendum interpellato:* Aloysi! *si tibi moriendum esset, quid ageres?* audacter respondere: *agerem, quod ago. An non potius soliciti Sacerdotem, ut confestim adesset, acciri juberetis? Apud quem perpetratum hesterna nocte adulterium, admissam paucos ante dies luxuriam, prolatam hodie horrendam blasphemiam, neglectum nupero Dominico Divinum sacrificium, commissum haud ita pridem furtum, iterata in sacro tribunali à tot annis sacrilegia, expiare deberetis. Hæc si ita? O chari* Auditores! *quam vos ego in difficili, ac periculoso gradu positos esse video. Et quid? quod modo fingitis, an non omni vobis momento evenire queat?* Quot sunt mortalium, *qui ob eadem, imo pauciora, & minora, quam vos perpetraveritis, scelera, æternum in inferno cruciantur?* Quare *per salutem vestram, per JESU Christi, in hanc Crucem affixi, vulnera, vos oro, & obtestor: habete curam animarum vestrarum, quas Christus, DEI Filius, eo habuit in pretio, ut non dubitarit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Ne sinite, ut tantum tanti sanguinis pretium sit fructu vacuum. &c.*

V.

V. Fieri potest *digressio moralis* per varias, moventes præsertim, figuras, ut per *prosopopœiam*, cum mortuos loquentes inducimus, per *communicationem*, *consultationem*, *concessionem*, *conversionem*, *complexionem*, præsertim si Sacra Sententia, vel illius pars aliqua repetatur, ut *Itali* faciunt Oratores, in epilogis, & complexionibus argumentorum. Formulas reperies Tomulo priore. Item per solam *adhortationem*, *obsecrationem*, *comminationem*, *objurgationem*, *commiserationem*, &c, sine examine. Optimum fuerit sedulo legere varias præstantiorum Oratorum, ut *Segneri*, *Bourdaloue*, ac reliquorum, maxime *Italorum*, epilogos, & complexiones, ac in his diligenter observare, quibus illi modis, formis, figuris, ad mores digredi soleant, eaque in parata adversaria conferre, ut opportuno tempore tuas similiter digressiones adornare queas. CAPUT II.

CAPUT II.

DE ORATIONE SACRA MORALI SPECIATIM.

VAriæ sunt Sacrarum Orationum *Moralium* species. Aliæ sunt in genere *svasorio*, ac *dissvasorio*, quæ *movent*. Aliæ in genere *dogmatico*, quæ *docent*. Aliæ in genere *historico*, quæ *narrant*. Aliæ denique sunt *mixtæ*. De singulis agam hoc capite, prius præcepta; post daturus exempla.

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

ARTICULUS I.

DE ORATIONE SACRA MORALI IN GENERE SVASORIO, AC DISVASORIO.

§. I.

Præcepta Concionis Moralis ſvaſoriæ, ac diſvaſoriæ.

ORationem ſacram *moralem puram* illam eſſe ajo: quæ nulli alteri Orationis generi eſt admixta, cujus finis princeps eſt *movere* ad bonum amplectendum, aut malum fugiendum. Illud Orator *ſvadet;* iſtud *diſvadet.* Unde Concio *moralis pura*, quæ etiam *movens* dici poteſt, alia eſt *ſvaſoria*, alia *diſvaſoria. Amadæus*, in ſua Eloquentia Chriſtiana, dividit præterea in *hortatoriam*, ac *dehortatoriam*, *comminatoriam*, *objurgatoriam*, ſeu *invectivam*, quam *Philippicam* etiam vocant. *Hortatoriam* in hoc diferre ait à *ſuaſoria*: quoniam ſvaſio videatur præcipue ad intellectum pertinere; ut, argumentis pervictus, opus dignum judicet amplexu. *Hortatio* vero movet voluntatem ad rem exequendam. Idem ait eſſe diſcrimen inter *diſuaſionem*, ac *dehortationem. Comminatoriam* vero acriorem eſſe dicit *hortatoriâ*, quæ haud ita verbis, quam pœnis urget hominem. *Objurgatoria* vero, & *invectiva* oratio eſt mordax, pungens, & acrius perſonas, eorumve facta perſtringens, ac proinde affinis vituperationi. Verum tam *comminatio*, quam

objur-

objurgatio, maxime vero *hortatio*, cum *suasione*, & *dehortatio*, cum *dissuasione*, conjungitur, in complexionibus præsertim, & epilogis, digressiones morales complectentibus, ut post sufficientem intellectus illustrationem, ac persuasionem *hortatione*, *comminatione*, *objurgatione*, &c, novis veluti stimulis voluntas moveatur; ac impellatur ad rem, ipso etiam opere exequendam; quod accurate *Itali* explent Oratores. Cæterum. CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

I. In Concionibus *suasoriis*, ac *hortatoriis* [nam ex iisdem utraque fontibus promitur] sacræ sententiæ [si commodum esse potest] in Concionis fundamentum sumantur *suadentes*, aut *hortantes*. Argumenta, & partitiones, licet etiam aliunde peti possint, potissimum tamen sumuntur ex locis generalibus, ante memoratis, ut à *possibili*, *necessario*, *honesto*, *utili*, *jucundo*, *facili*, *decoro* [vel ab eorum contrariis in themate oppositio] servatis, vel variatis, aut in alia iis consimilia verba [ne semper eadem repetantur] commutatis *honesti*, *facilis*, *jucundi*, &c, vocabulis. Ita *Ludovicus Bourdaloue* ad pœnitentiæ severitatem hortatur partitione ex locis generalibus desumpta: *quoniam pœnitentiæ severitas est necessaria*, & *in ipsa severitate jucunda* (a). Sæpe sumuntur partitiones à virtutis alicujus natura, causis, effectis, proprietatibus, mediis ad eam

a) *Habetur hæc Oratio in editione latina Tom. I. Dominica IV. Adventus.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. I.

obtinendam neceſſariis, vel ab impedimentorum remotione, &c. Affectus excitantur ei virtuti proprii, quam *ſvademus*, vel ad quam *adhortamur*. Verbi cauſa: humilitas, charitas, miſericordia ſvadetur, excitantur affectus humilitatis, charitatis, miſericordiæ, aperte, vel occulte, ut diximus Tomulo priore. Elocutio in hoc genere Orationis [maxime, ſi non ita ad illuſtrandum intellectum, quod Galli facere ſolent; quam una ad movendam voluntatem, quod Itali ſimul in more habent, Oratio comparetur] eſt vehemens, ac ſublimis, complectens figuras ſublimiores, ac moventes, ut ſunt: interrogationis, repetitionis, complexionis, obſecrationis, apoſtrophes, proſopopæiæ, hypothipoſis, ethopœiæ, &c. In *diſvaſione*, ac *dehortatione* eadem ferme, ſed in oppoſito genere, ſunt obſervanda. In *ſvaſione* motus ſunt leniores; in *diſvaſione* graviores.

II. In *Comminatoriis* ſententiæ uſurpantur *comminantes*, quæ minas, & pœnas in ſe complectuntur. Verbi cauſa: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam. Niſi efficiamini, ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.* Partitiones, & argumenta ſumuntur ex locis generalibus, quibus peccati turpitudo, gravitas, malitia exponuntur. Vel à damnis, aut pœnis, quibus ejuſmodi ſcelus plectitur. Ampli-

plificari poteſt triſtibus eorum exemplis, qui ſimilem ſuo damno vindictam ſunt experti. Elocutio complectatur ſententias acres, figuras vehementes. In epilogo, & complexionibus hortetur Orator, ut peccator reſipiſcat, minas, & pœnas per pœnitentiam avertat, quod eleganter conjungitur cum affectu *commiſerationis*, *obſecrationis*, &c.

III. In *objurgatoriis*, & *invectivis* utendum magna prudentia, & cautione, ne cujus, præſertim in authoritate poſiti, perſona acrius, quam par ſit, vel ita perſtringatur, ut digito valeat indicari. In ipſa tantum vitia, non vero in perſonas, *objurgatio*, & *invectio* eſt inſtituenda; ſed vel tunc abſtinendum ab omni maledicentia, & mordacitate, quæ plus ſemper damni, quam utilitatis, adferre ſolet. Argumenta ſumi poſſunt ab *indecoro*, *injuſto*, *noxio*, &c. Item à novitate facti, ſcandalo, periculo, ac denique ab omnibus adjunctis, facinus, quod inſectamur, exaggerantibus. Poſſunt etiam inſpergi exempla de pari ſcelere, quibus excitetur, pudor, metus &c. Epilogus mitiorem animum exhibeat, cum veniæ promiſſione, ſi mores corrigantur.

§. II.

Paradigma Orationis Sacræ Moralis in genere diſvaſorio.

HAbet Conciones morales in genere diſvaſorio complures, jam latino ſermo-

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

ne redditas, *Ludovicus Bourdaloue*, Orator Gallus: cujusmodi sunt de scandalo vitando, de falsa conscientia, de vano hominum respectu, de impœnitentia finali &c. At diffusiores sunt, quam ut hic Tomulo, longius jam excurrenti, commodum inseri queant. Ut primæ ideæ, Tomulo (*a*) priore allatæ, Oratoria elocutione expolitæ, specimen extet aliquod, ex quo Tirones videre valeant, quomodo primam Concionis ideam, quam σκελετὸν vocamus, possint, ac debeant eloqui; consulto hoc, quod sequitur, paradigma huc adscribimus. Constructum est per syllogismum *fundamentalem*, de quo paulum ante locuti sumus.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Ductus est JESUS in desertum, ut tentaretur à Diabolo.* Matth. 4. v. 11.

Thema Orationis: *Proximæ peccati occasiones non sunt temere adeundæ.*

Partitio thematis (*b*): *Quia in proximis peccati periculis hominem* 1. *Nec sua virtus juvat.* 2. *Nec gratia DEI à lapsu conservat.*

EXORDIUM (*c*).

Ingressus à thesi, continens majorem syllogismi. *Nusquam legi, nec unquam audivi; imo,*

a) *Tom. I. pag. 562.* b) *Partitio sumitur ex loco generali impossibilium: negatis enim causis, & mediis, impossibile est fieri effectum.* c) *Exordium continet syllogismum quinquepartitum, cui innititur tota Oratio. Nullus vir sapiens, & probus temere adit a-*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

imo, si viderem, ne tum quidem credere possem, quod vir, sapientia, ac probitate conspicuus, in apertissimum amittendæ vitæ periculum, mente sanus, semet ultro temere conjecisset. Ratio majoris. *Est siquidem à natura insitus unicuique nostrum tam ingens vitæ amor, ut, ejus perdendæ horrore correpti, omne confestim præsens periculum solicite defugiamus.* Exornatio rationis ab exemplo. *Quid egit Christus Divinissimus Servator, cum, à spiritu in desertum ductus, à Dæmone tentaretur? Assumpsit equidem illum (ut ait Matthæus) in sanctam civitatem, & statuit super pinnaculum templi, & dixit ei: si Filius DEI es, mitte te deorsum. Verum an ad comprobandam ea re suam Divinitatem Dæmonis consilio paruerit Christus? Poterat quidem potentissimus Servator virtute supera, sine ullo vitæ suæ detrimento, semet ab alto præcipitem dare; at quoniam, spectatis naturæ viribus, grandi sine periculo, hoc prudenter agere haud poterat, ac vitæ amor, quo etiam Christus tenebatur, id prohibebat, nec probandæ coram Dæmone, Christi hoste, Divinitatis ratio hoc exigebat; belle reposuit:* Non tentabis Dominum DEUM tuum.

pertum vitæ discrimen. Ratio majoris: *Quia à natura insitum habemus vitæ amorem, quo omnia ejus pericula defugimus.* Minor. *Sed proximæ peccandi occasiones sunt certissima animæ interitus pericula.* Ratio minoris continens divisionem: *quia proximæ peccandi occasiones sunt illicita potentissima, ad peccati lapsum nos trahentia, in quibus nec nostra nos virtus juvat: nec gratia DEI à lapsu præservat. Ergo &c.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

Descensus ad hypothesim, continens minorem syllogismi. *Perpendite jam*, Auditores, *quod majus, quod luculentius æterni animæ interitus periculum esse potest, ac sint proximæ peccati occasiones, si temere à nobis adeantur? Divini Spiritus dictum est:* qui amat periculum, peribit in illo.

Propositio continens complexionem syllogismi (a). *Non igitur miror*, Auditores, *quod Matthæus Christum Servatorem (ut belle advertit Chrysostomus) hodierno in Evangelio non ultro in eremum iisse, sed à Spiritu Sancto ductum fuisse commemoret*: Ductus est JESUS (*inquit Matthæus*) in desertum a Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Ut nos videlicet (*verba sunt Chrysostomi*) apertissime signatum esse videamus: quia non sponte nos ipsos in tentationes oportet insilire; sed, si contracti fuerimus, viriliter repugnare. *Hoc ipsum agendum est vobis, chari* Auditores; *ego vero hodierno sermone sumpsi pertractandum. Utinam tantum mihi virium, & facundiæ suppeteret, ut proximas peccandi occasiones haud esse temere adeundas possem persvadere!*

Introductio, dein partitio, continens rationem minoris. *Habent proximæ peccati occasiones illud ipsum, quasi proprium; quod objecta habere solent oblectabilia; ut, quamdiu sunt præsentia, rationem conturbent, intellectum, quodam veluti fascino, occupent, & ipsam in sui amo-*

a) *Quæ exornatur sacra Evangelii sententia, & ejus brevi explicatione præmissa.*

amorem rapiant voluntatem. Nunquid difficile, accideret famelico in mensa, laute instructa, à cibis abstinere? Nunquid arduum foret febri ardentiore correpto oblatum frigidæ cyathum repudiare? Perssimiliter profecto gravissimum est præsente æmulo iram continere, in conspectu auri manus abstinere, in amicæ præsentia amorem moderari. Est enim præsentis tanta vis illicii; ut (è mente (a) Gregorii) ad hoc, quod male concupiscitur, præsentia concupitæ formæ validissime famuletur.

Partitio. *Quid igitur est*, Auditores, *quod vos hæc inter illicia, id est: inter proximas peccati occasiones: fædas nimirum voluptatis illecebras, lasciva spectacula, incautas familiaritates, libros obscænos, cæteraque hujusmodi aperta salutis discrimina, à lapsu valeat cohibere? An fortasse virtutem vestram ita firmam, ac solidam esse putatis? Verum credite: nulla virtus esse potest, quæ hominem in proxima peccati pericula semet temere conjicientem juvet: quod primum. An fortasse DEI gratia vos ita armandos esse creditis? At scitote nullam à DEO gratiam sperari posse, quæ vos in hujuscemodi periculis à lapsu præservet, quod alterum erit dictionis caput. Ordiamur.*

PARS I.

IN PROXIMIS PECCATI PERICULIS NULLA NOS VIRTUS JUVAT.

Prima divisionis pars probatur ex loco generali impossibilium, à negatione speciе-

a) *Dial. l. 7. cap. 3.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

cierum ad negationem generis, ducto argumento, & dilemate proposito: vel nos juvaret virtus infirma, vel firma; at neutra juvat: ergo &c.

Major dilematis. *At prius, quam de gratia loquamur, edicite, obsecro*, Auditores; *verum candide, & sincere: cujusmodi vestram esse virtutem putatis, qua tantopere in proximis peccandi occasionibus vos à lapsu præservandos esse præfiditis? Solidamne, an debilem? Firmamne, an infirmam? Quercusne ad instar bene radicatam; an vero fragilis in modum arundinis persacile frangendam, & evellendam? Respondete?*

I. Pars subdivisionis, ac dilematis: virtus infirma à lapsu non conservat (a). *At ego, vel tacentibus vobis, video, quid sentiatis? Certe, vultus ipse ad submissionem, ac pietatem compositus, caput in terram depressum, silentium tam altum, satis superque indicant: vos modestius de vobis, ac virtute vestra, sentire, non ei tantum roboris tribuere, ut solidam, firmam, constantemque affirmare audeatis.* Antecedens enthymematis. *Si porro infirma est? Proh DEUM immortalem! quomodo in pravis peccati occasionibus, potentissimis animæ nostræ hostibus, victoriam vestrum aliquis ausit polliceri?* 1. Ratio Antecedentis ab inductione similium, *An vidistis unquam à milite pauco, & debili, hostem robustum, ac numerosum fuisse profligatum? Nunquid æger morbo graviore superveni-*

a) *Enthymemate proposita.*

veniente facillime proſternitur? Quis vidit ædificium, *debilibus nixum fundamentis, valido terræ motu concuſſum, non confeſtim corruiſſe?* *Et vos amplius aliquid de virtute veſtra, quam infirmam eſſe ultro confitemini, promittere audebitis?* 2. Ratio antecedentis ab exemplo Petri. *Ita vero crederem; niſi triſtiſſima Petri, cæterorumque Chriſti Diſcipulorum exempla aliud longe nos edocerent, Nondum hi Divina ab alto virtute fuere confirmati.* Quapropter *præmonet eos Chriſtus, ut vigilarent, & orarent, ne fortaſſe in graviſſima, quæ eorum capitibus incumbebat, tentationis procella prolaberentur: futurum enim eſt, ut omnes, hac adhuc nocte in eo ſcandalum, & offenſionem paterentur.* Quid *hic Petrus?* *Cæteris audacior, & glorioſior, ſed vel idcirco infirmior,* etſi omnes, *ajebat,* ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. *O Petre, Petre (quaſi Chriſtus dixiſſet) noli, quæſo, tantum animi, tantum virium, tantum virtutis tibi tribuere:* Amen dico tibi: quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Quid? *Ego negabo? crede ſis Magiſter:* etiamſi *(ajebat Petrus)* oportuerit me mori tecum, non te negabo: ſimiliter & omnes diſcipuli dixerunt. *Feceruntne? Utinam feciſſent! ſed divinum compleri oraculum oportebat:* percutiam, Paſtorem, & diſpergentur oves. *Captus, & percuſſus eſt Magiſter JESUS; & ecce! diſperſi ſunt Diſcipuli, ſive oves: quoniam* omnes relicto eo fugerunt. *Etiam Petrus?*

ita;

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

ita; etiam Petrus. O Petre! quid agis? Ergo fugis? Siste, siste, memento veteris promissi: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ubi illi generosi Spiritus? Ergo tam cito in fumum abiere? Macte animo O Petre! revertere, revertere, & Christum audacter confitere. Reversus equidem erat Petrus, & à longe Magistrum in atrium usque Principis Sacerdotum secutus; sed utinam, utinam nunquam eo consecutus fuisset! Atrium enim illud gravissimi postea peccati, à Petro perpetrati, occasio erat. Nam illic ancillis, calonibus, servitiis, ultimæ hominum feci, ad focum permixtus, quid promittere poterat aliud, quam ut Christum ad vocem mulieris, semel, ac iterum percunctantis: & tu cum JESU Galilæo eras? *sacrilege detestatus pernegaret:* quia non novi hominem. Tunc cepit detestari, & jurare: quia non noviſſet hominem. Complexio. *Hæc nempe est* Auditores *pravarum vis occasionum, ut virtus infirmior, in iis posita, certissime prolabatur; prolapsa vero æternum cum Petro, foras egresso, flendi habeat argumentum:* Et egressus Petrus flevit amare. *Quot è vobis essent, chari* Auditores, *quibus perſimiliter hoc è templo egrediendum foret, ut temeritatem vestram defleretis, qua vos in peccati pericula haud semel implicuistis, innocentiæ, ac pudicitiæ vestræ æternam, nec ullis unquam lachrimis satis deplorandam, jacturam intuliſtis, & fortasse ipsius etiam salutis discrimen subiissetis; nisi præpotens, ac misericors DEUS vos etiam beni-*

nignis, quemadmodum Petrum, gratiæ suæ oculis respexisset, ut foras egressi audaciam vestram salutaribus pœnitentiæ lachrimis cum Petro elueretis.

II. Pars subdivisionis: nec virtus solida à lapsu conservat (*a*). *At erit fortasse, qui dicat: verum equidem esse, hominibus ætate adolescentioribus, quorum plerumque infirmior virtus esse solet, quosque (ut ajunt) occasio facile fures facit, proxima peccati pericula cane pejus, & angue esse defugienda. Viri tamen, jam ætate consummati, quorum solida virtus, annosæ instar quercus, longo jam usu, multisque exercitationibus diu est probata, qui tentationibus fortiter obsistent, nec victi facile succumbent; non est, cur non hujusmodi periculis tuto objici queant.* Propositio collectionis Oratoriæ. *Verum adeste, quotquot ita sentitis; & videte, quam gravi, & periculoso errore fallamini. Demus: virtutem vestram firmam, & stabilem esse; quanquam quomodo virtus illa firma dici queat, quæ proxima peccati pericula, fugere non reformidat? Demus: eam, roboris instar, & quercus, longo jam usu esse roboratam. Demus: levioribus pravarum occasionum tentationibus aliquandiu facile obsistere posse. Sed recogitate: an perinde in gravioribus etiam periculis ita semper obsistet; ut nunquam succumbat.* Ratio propositionis à simili. *Credite: solida etiam quercus, altis*

a) *Probatur per collectionem Oratoriam, subdivisionem in rationis confirmatione continentem. Transitio fit per confutationem, figura concessionis propositam.*

CAPUT II. ARTIC. 1. §. II.

altis tametsi radicibus defixa; si tamen valido quopiam turbine, aut acrioribus, ut persæpe fieri assolet, ventis, diu multumque agitetur, tandem sterni solet. Hæc eadem solidioris etiam virtutis funesta sors, & conditio esse consvevit. Obsistet illa quidem in levioribus fortasse pugnis; at si diu, si multum, si acriter impetatur; tandem succumbit propudiose. Rationis confirmatio novam subdivisionem continens: *Non dicerem; nisi Divini Spiritus oraculo confirmatum scirem:* qui amat periculum, peribit in illo: *nisi sanctissimorum virorum exempla luculenta haberem, qui proximas peccati occasiones semper fugerunt; aut, si fugere neglexerunt, turpiter sunt prolapsi.*

1. Pars subdivisionis: sanctissimi viri peccati pericula fugerunt (a). *Venite, si placet,* Auditores, *in Palæstinam. Videte illic* Hyeronimum, *virum doctrina, ac virtute consummatum. Quærite ex homine sanctissimo, quemadmodum olim celeberrimus (si tamen in hoc celebritas esse potest) ætate sua quæsierat hæresiarcha,* Vigilantius. *Heus* Hieronyme! *Ecquid est, quod deserta Italia, relicta Urbe Roma, in hanc asperrimam Bethlemi solitudinem concesseris? Eccur saluti tuæ tantopere pertimescis? Cur tu, cum posses communem, velut animal sociale, cum hominibus vitam agere; nihilominus eremum potius, & ferarum consortium delegeris? Quid, oro, respondebit? Illud certe, quod olim* Vigilantio *fertur reposuisse: Te,* inquit,

a) *Probatur per exemplum.*

quit, O Vigilanti, *videre*, *te audire*, *tuamque audaciam sufferre pertimesco. Si vero vana timoris causa hæc esse videtur*; *timeo tot alia pericula*, *quibus tu vivis vitam implicatus*, *timeo occasiones iræ*, *timeo otiosa colloquia*, *timeo avaritiam*, *timeo ambitionem*, *timeo lascivos obtutus*; *& quasi hæc omnia parva forent*, *non erubuit ingenue confiteri*, *quod ego neutiquam de* Hieronymo *dicere auderem*, *nisi à sanctissimo ejus ore profecta scirem*: Timeo (*inquit*) ne me capiat oculus meretricis, ut forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. *Cumque Vigilantius urgeret*: *hanc non esse victoriam gloriosam*; *sed turpem fugam*: *patientia*! *subjunxit* Hieronymus, *non possum dissimulare meam tenuitatem*: fateor imbecillitatem meam! *Tantum mihi*, *candide profiteor*, *animi non est*, *ut tuo exemplo cum hoste adeo potenti*, *congredi audeam. Et quamvis fortasse victor reverti possem*; *attamen magis vereor*, *ne victus succumbam.* Atque ideo fateor imbecillitatem meam, ne perdam aliquando victoriam. *Jam si* (a) *Hieronymus*, *vir enimvero sanctissimus*, *suæ*, *quamvis solidissimæ*, *virtuti*, *inter occasiones non proxime*, *sed remote solum periculosas*, *cujusmodi est*: *subito aspectu formosam virginem intueri*, *tam parum fidere voluit*; *unde*, *oro*, *tantam inter pericula non certe remota*; *sed proxima*; *sed præsentia*, *cujusmodi sunt*: *pernicioſos libros volvere*, *incautius cum mulieribus*

a) *Apodosis continens digressionem moralem per examen ex loco comparationis institutum.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

versari, suspectas domos adire, fœmineos vultus dedita opera arbitrari, cæteraque istiusmodi; unde, inquam, tantam vobis peccati immunitatem polliceri potestis? Hieronymus subitum mulieris occursum formidavit; & vos risus earum protervos, aspectus lascivos, tactus impudicos, blanditias illecebrarum plenissimas non formidabitis? An forsitan pectus vestrum magis livet ex ictibus silicum, quam Hieronymi? An genæ, rugis ex abstinentia, & jejunio ortis, amplius vobis sunt contractæ, ac Hieronymi? An oculi vestri sunt fletu turgidiores, quam Hieronymi? An tot egeritis vigilias, scripseritis commentationes; ac Hieronymus? Eja, dicite, quot noctes dura super humo egistis? quot cilicia attrivistis? quot peregrinationes suscepistis? quot psalmos recitastis? Et adhuc persuadere mihi conabimini vestros animi affectus multo esse obtemperantiores, quam Hieronymi? Non credo, Auditores, non credo, quantumvis fide jurata, religione interposita, hoc asseveretis. Quid restat? Illud certe: ut tametsi fortes, ac robustos vos esse fingatis; nihilominus cum Hieronymo fugam arripiatis, fugam, inquam, sed omnium pravarum occasionum: salvabuntur enim, qui fugerint (ut ait (a) Ezechiel) & erunt in montibus quasi columbæ convallium, omnes trepidi. Columbæ, montium jugis assuetæ, minus habent, quod formident; ac, quæ in telluris superficie commorantur. At nobis perinde timendum est, seu in excelso, ut ita dicam, virtutis apice, seu in ejus valle

a) Ezech. 7. v. 16.

valle consistamus: cum virtus firma æque, ac infirma, perinde lapsui sit obnoxia, si pericula temere adeantur. CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

2. Pars secundæ subdivisionis: Viri sanctissimi, si pericula fugere neglexerunt, turpiter sunt prolapsi (a). *Ne vero fortasse dicatis*: Hieronymum, *animi pusillanimitate, pectorisque angustiis occupatum, his timoribus indulsisse. Scitote: grandem certe sanctissimorum virorum numerum à me adduci posse, qui suam inter peccati pericula, cum fugere neglexerint, imbecillitatem, turpi lapsu confirmatam, ingenue sunt confessi.* Quis *non totus exhorrescat? Si meminerit Anachoretam* Jacobum, *horridæ solitudinis incolam veteranum, capitis canitie, fronte rugis exarata, venerandum, quinquaginta, & amplius, vitæ annos summo in rigore sancte exegisse; nihilominus in peccati occasione, fugere neglecta, primum infami stupro semet contaminasse; post in homicidii scelus incidisse; demum in desperationem propemodum ruiturum fuisse; nisi præpotens, ac misericors* DEUS *sua illum manu sustinuisset. Haud absimili casu, Divo teste* Gregorio, *corruit* Victorinus *eremi cultor, corruit* Theophilus, *corruit* Ptolomæus, *corruit* Macarius Romanus; *qui suo nos damno docuere: verum esse vetus illud adagium: nemo repente fit optimus; at contra alterum persæpe fallere: nemo repente fit pessimus: exiguo etenim opus est impulsu, ut virtus, etiam firmissima, in proximis peccati periculis collabatur.*

a) *Probatur per inductionem plurium exemplorum.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

Complexio I. partis, continens digressionem moralem, cum figura conversionis, per modum Tomulo (a) priore allatum. Et *cum hæc auditis*, chari Auditores, *quis vestrum posthac suæ virtuti in peccati occasionibus, temere susceptis, ne prolabatur, fidere audebit? præsertim, cum aperte videat, infirmiorem virtutem esse veluti arundinem, quæ graviore tentationum pondere pressa, facillime confringitur. An posthac anguſti animi argumentum reputabitis sanctum illum timorem, quo actus est* Hieronymus? *an non potius justissimam esse solicitudinem, tot, tantisque magnorum virorum exemplis comprobatam, qui proximas peccati occasiones omni studio fugerunt, aut, si fugere neglexerunt, turpi ruina sunt prolapsi. Cur ergo vos ab omni timore immunes jactatis, vos inquam, byssо induti, fumantes odoribus, voluptatibus innutriti, inter delicias educati, quotidie splendide epulantes? An tantum vestro animo, ac virtuti robur spondere audetis, quod ne viri, ferarum inter spelæa contabescentes, promittere sunt ausi? O ingentem hominum stultitiam! O superbiam præfidentem! Sapite, quæso*, Auditores; *verum sapite ad exemplum Josephi, Ægyptii adolescentis. Hunc facie pulchrum, & aspectu decorum, cum hera, turpi amore incensa, apprehensa vestimenti lacinia, in scelus vellet pellicere; is* relicto in manibus ejus pallio fugit, & egressus est foras. *Ita fugite, vos etiam* Auditores, *& relinquite pravarum occasionum pallia, & lacinias, quas* ba-

a) *Tomul. I. pag. 534.*

hactenus apprehendistis. Id est: hanc noxiam familiaritatem, cui vos implicuistis: relinquite. Illam suspectam domum, quam crebrius aditis: relinquite. Eam mulierem vita, fama, moribus non æque probatam, qua cum majori, quam par sit, agitis licentia: relinquite. Hoc munus, quod non sine fraudibus, injustitiis, usuris exercetis: relinquite. Hos socios, quibus cum turpes in colloquium, in cœnam, in lusum, sermones infertis: relinquite. Hos cœtus, has tabernas, hos lusus, has chartas, tot scelerum occasiones: relinquite. Nec relinquite tantum; sed fugite: nam salvabuntur, qui fugerint, *ut ait Ezechiel. Ah utinam Christe JESU fugissemus! plures profecto de nobis numerarentur Emerici, plures Aloysii. Non toties tristia perditæ integritatis, & pudicitiæ naufragia subiissemus. Pudet, ac pœnitet temeritatis! Fixum igitur, ratumque sit: omnem, etiam minimam, peccati fugere occasionem.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

PARS II.

IN PROXIMIS PECCATI PERICULIS NEC GRATIA A LAPSU CONSERVAT.

Altera divisionis pars rursum probatur dilemate, argumento, ex loco generali impossibilium ducto, à negatione specierum ad negationem generis. Vel præservaret gratia communis, vel specialis; at neutra, ergo.

Est quorundam hominum sceleratorum, falso existimantium, gravissimus error; quod tam-

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

etsi nulla virtus, sibi relicta, acrioribus obsistere valeat tentationibus; attamen, supero DEI Optimi, Maximi, auxilio roborata, omnes, quamcunque gravissimas, etiam in peccati periculis, temere susceptis, tentationes valeat superare: cum DEUS in omni salutis discrimine, etiam temere adito, suam nobis vincendi gratiam certo largiatur. Asi ego tametsi ultro lubens admittam nostræ dogma esse fidei: DEUM in omni peccati occasione, & tentatione, resistendi, vincendique opem nobis spopondisse, in quam vel necessitas, vel charitas, vel majorum imperia, vel Divina conjicit providentia; haud tamen ejusmodi auxilium DEUS est pollicitus in illis proximis peccati periculis, quorsum nostra libidine, aut superba temeritate implicamur. Dilema proponitur. *Vultis rem confirmari?* Quæro è vobis, Auditores: *ecquam illam esse gratiam existimatis? communemne, an specialem?*

I. Pars dilematis, ac subdivisionis: Gratia communis non præservat à lapsu (*a*). MAJOR. *Communis gratia, quæ hominem in periculis à lapsu præservat, est gratia fugæ periculorum, sive quam DEUS largitur, ut peccati occasiones fugiamus; quas si fugerimus; tum postea securi evademus.* RATIO MAJORIS. Qui cavet laqueos (*ait Sapiens*) securus erit. Cavet, *inquam, id est: fugit; nam fugiendo solum caventur laquei, sive proximæ peccandi occasiones, quibus, totidem veluti laqueis, animæ irretiuntur.* Securus erit: *id est: nullum*

a) *Probatur syllogismo quinquepartito.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

lum in peccatum prolabetur. Quæ enim major animæ securitas, quam ab omni peccato immunem esse? EXORNATIO RATIONIS. *Peccati autem pericula, quis nescit? se habere instar colubri, instar anguis, instar incendii, instar pestis, instar latronum, quæ cavere, sive fugere oportet, ut securi evadamus.* MINOR CUM COMPLEXIONE. *Hæc porro, data à DEO, fugæ periculorum gratia, si ab homine, in peccati occasiones se temere conjiciente, respuatur, contemnatur: quomodo oro, in ipsis postea periculis communem quis à DEO gratiam, & misericordiam speraverit, ne prolabatur?* EXORNATIO I. A SIMILI. *Hoc certe persimile mihi esse videretur, ac quis in confertam hostium multitudinem, ulla sine causa, se daret: aut ardentem in rogum consulto insiliret; & tamen DEI præpotentis auxilio se adjuvandum speraret; ne perimatur. Temeritas ista grandis profecto est præfidentia, quæ Divinam neutiquam misericordiam promeretur!* EXORNATIO ALTERA AB EXEMPLO. *Refert* Suidas *fuisse Philosophum, nomine* Heraclidem, *qui domi suæ familiarem usque adeo serpentem alebat, ut à suo eum latere nunquam dimiserit. Si iter fuerat suscipiendum; serpens comitem agebat: si animo indulgendum; maximum relaxationi campum dabat: si mensæ accumbendum; hunc unum hospitem, & convivam habebat: quem hominum insipientissimus suo ipsemet ore cibabat, manu leniter demulcebat, osculabatur, communi lecto, velut socium, adhibebat. Accidit tandem, ut graviore somno oppressus* Heraclides, *cum*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

forte in latus se converteret, serpenti incautus incubuerit. Quid *serpens?* Hic *tametsi fidissimum hactenus semet socium præbuerit; quia tamen venenatus, nec lædi nescius, serpens erat; offensus tam gravi pondere, beneficum ingratus ferit, ac extinxit Herum. Liceat jam ex vobis quærere Christiani cum Ecclesiastico:* Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? *Me equidem ne minima illius, temere præsidentis, miseratio teneret: veteri enim adagio admonemur: rem esse periculi plenam viperam in sinu fovere. Viperæ sunt peccati pericula, bestiæ pravæ peccandi occasiones. His toties appropinguatis, Christiani; quoties temere eas aditis. Et quid? miserebiturne DEUS ejus* incantatoris, *id est: hominis inconsulti, ad viperas, ad bestias, temere accedentis? Præbebitne gratiam, ne mordeatur, ne percutiatur? O* chari Auditores, *quomodo præberet? cum Divini Spiritus sit edictum:* qui amat periculum, peribit in illo. COMPLEXIO CUM DIGRESSIONE MORALI PER FICTIONEM. Quare *si salvi esse cupitis, O* Christiani, *quasi à facie colubri fugite peccata, ut ait Sapiens.* Quid *ageretis: si locum quempiam latronibus, aut peste, vel contagione infectum sciretis? si flamma domum repente vestram corriperet? Si anguis, aut coluber ex insidiis vos improviso invaderet? an ejusmodi in periculis caput ultro interitui objiceretis? an silvam dictis latrociniis obnoxiam temere adiretis? nonne è flamma, & incendio vos confestim ejiceretis?* Quis vestrum

uno

uno eodemque cubili securus auderet dormire cum serpente venenato? Certe, vel ad primum colubri, adhuc longius positi, aspectum continuo fugeretis. En Christiani! *quid sunt peccati occasiones? nisi totidem latrones, quæ animam omnibus Divinæ gratiæ spoliant ornamentis. Sunt pestes, sunt colubri, certissimam unicuivis perniciem allaturi. Vultis salvi, & incolumes persistere, O* Christiani! *quasi à facie colubri fugite peccata, ut ait Sapiens, nec peccata modo; sed ipsa etiam, quæ serpentum instar esse solent, peccati pericula; haud dubie, ni fugeritis, extremam vobis perniciem importatura: cum nulla sit gratia, seu communis, seu specialis, qua vos in periculis, temere susceptis, Deus velit præservare.*

II. Pars dilematis, & subdivisionis: nec gratia specialis à lapsu præservat (*a*). *Et vero, qui communem DEI Optimi Maximi Gratiam respuit, quî, oro, sibi promittere audeat specialem?* Major. *Nunquam Deus, seu in rebus naturæ, seu in rebus gratiæ, exquisitis, ac specialibus agere solet remediis; si communia ad rem obtinendam sufficiant adjumenta.* Ratio Majoris. *Perpendite tres orientis Magos! Hos stella ad Christum deduxit; haud tamen reduxit. Cur ita? quoniam à nemine mortalium ullo adduci poterant ad Christum; cœlesti igitur duce indigebant. Contra in patriam revertendi iter, vel ex viarum ductoribus pretio conductis, vel ex obviis viatoribus interrogatis, vel ex præmissis exploratoribus, facile discere potuerunt. Angelus*

a) *Probatur syllogismo quinquepartito.*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

Petro, in carcere constituto, catenas, & vincula rupit, haud tamen eum calceavit. *Cur ita?* *quoniam id suis ipse manibus facere poterat ulla sine difficultate. Similiter, dum Christus Lazarum divinitus à morte ad vitam revocarat; potuisset utique pari prodigio, & facilitate, lapidis sepulchralis molem à tumulo removere; haud tamen fecit; sed adstantium opera Apostolorum id effici curavit:* Tollite lapidem. *Cur ita?* *quoniam id eorum vires neutiquam excedebat. Videte non sunt præstolanda (ut dixi) specialia, & insueta DEI præsidia, quando suppetunt communia ejus adjumenta.* Minor. *Jam ad propositum revertamur. Nunquid adsunt communia gratiæ remedia, quibus, si uti vellemus, omnia peccati pericula perfacile fugere possemus? Si possumus; & tamen nolumus; quomodo, oro, insolita ejus præsidia audemus præstolari? Hoc certe perinde foret, acsperare, ut medias inter flammas, quorsum temeritate vestra vosmet conjiceretis, singulari DEI munere, illæsi ab igne persistatis.* Exornatio minoris. *Non me quidem latet: ternos Hebræos adolescentes in igne Babylonico incolumes fuisse asservatos. Scio: Moysen parvulum è Nili fluctibus feliciter evasisse. Danielem famelicos inter leones innoxie versatum fuisse. Jonam inter horrida balenæ viscera salvum permansisse. Verum dispicite: an hi ultro semet hæc in pericula conjecerint? Neutiquam certe. Norant Deum Angelis suis mandasse quidem (perhibente Davide) ut nos custodiant, in omnibus viis nostris. Verum advertite: quid David dicat?* Angelis

gelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Viis *ait: non igitur in præcipitiis, sed in viis; nec in viis quibusque, sed in tuis*, viis tuis, *quas adire necesse est. Insigni documento: Deum nemini cuiquam præsidium speciale pollicitum fuisse, qui sua perversa peccandi voluntate, ac licentia, negligit communia gratiæ adjumenta: ultro semet implicat periculis, temere susceptis. Contra, qui charitate, aut pro muneris ratione, vel quacunque necessitate, ita deposcente, se conjecerint, ii amplissimam Divinæ gratiæ, & Angelorum, opem sperare possunt, ne prolabantur.* Confirmatur exemplo. *Comprobat rei hujus veritatem, ingens illud, quod Judith inter, ac Dinam, Jacobi filiam, discrimen interceſſit. Judith (ut noſtis) multo veſtium apparatu, exquiſita formæ elegantia, ad luxum comparata, ſuperba Holoſernis caſtra acceſſit. Illic complures morata dies, omnium, Holoſernis præcipue, amorem in ſe traxit. Dina autem in fratrum conſortio ad Salem urbem appulſa, parumper è papilionibus, fallendi temporis cauſa, exceſſit*, ut videret mulieres regionis illius. *At vix columba hæc nidum deſeruerat; continuo in accipitrem, regionis nempe illius juvenem Principem, aſpectu incidit; & confeſtim ingens læſæ pudicitiæ detrimentum fecit.* Chari Auditores! *Unde, oro, accidit, ut Dina, longe in minori periculo poſita, graviſſimam, Judith vero in graviſſimo nullam ſuæ integritatis jacturam ſubierit? Nonne Judith integro ſe armatorum exercitui miſcuit? Dinæ autem fallendi temporis gratia paullum*

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

CAPUT II. ARTIC. I. §. II.

lum è tentorio exceſſit? Judith viris cum procacibus converſata fuit; Dina peregrinas ſolum mulieres viſum ivit. Judith & videri, & amari voluit; Dina nil eorum vel cogitavit. Et tamen infelix Dina turpiter cecidit; Judith autem glorioſè triumphavit. Quæ tanta diſcriminis cauſa eſſe poteſt? Hæc certe, quoniam non ex libidine, ſed ex virtute: non pravo animo, ſed optimo: non ſuo; ſed Dei conſilio, liberandæ nimirum patriæ amore, compulſa, in caſtra proceſſerit; eapropter Deo, ſingulari eam gratia, protegente, ſalva perſtitit; Dina vero, muliebri curioſitate ducta, urbem eſt ingreſſa, ut videret mulieres regionis illius, *ac idcirco ſummum ſuæ pudicitiæ naufragium fecit.*

Complexio II. partis. *Diſcite Chriſtiani, diſcite, temere non adire pericula. Præſto quidem ſemper eſt Deus ſpeciali ſua gratia; at hominibus non ſua voluntate; ſed virtutis, aut muneris neceſſitate in pericula adductis. Is vero, quos ſuperba adducit temeritas, vel prava ſponte implicat libido, nunquam eſt adfuturus; cum neglecta communi gratia ſpecialem neutiquam promereantur. Divina namque lege conſtitutum eſt:* qui amat periculum, peribit in illo.

EPILOGUS.

Continens repetitionem, & motum, cum digreſſione morali. *Quapropter*, chari Auditores, *cum vos nec virtus ulla, quamcunque robuſta, ita fortes reddere: nec Deus ſua gratia tam fortiter velit armare: ne in peccati peri-*

eu-

tulis, *temere aditis, succumbatis.* Quousque ergo *virtuti vestræ confidetis?* Quousque *vanam in Divina* DEI *gratia spem, & fiduciam collocabitis? Nondum vos tristia aliorum, tametsi virtute inclytorum, in peccandi tamen occasionibus turpiter collabentium, exempla, & ruinæ docent?* Quid *amplius expectatis?* Nimium præceps est, *inquit Augustinus*, qui transire contenderit; ubi conspexerit alium cecidisse. *Quasi diceret: audax profecto, & temerarius, ne dicam vesanus, viator ille foret, qui vadum torrentis tentaret, in quo paulum ante undarum vorticibus sunt hausti, qui prævere; aut nocte intempesta silvam ingrederetur, in qua peregrini paucas ante horas à latronibus sunt interempti. Claudite ergo,* O chari Auditores, *claudite, imo ejicite libros illos obscænos, volumina infida, & toxico plena, quibus legendis animos vestros hactenus oblectastis. Fugite prava, tam mulierum, quam virorum, consortia, in quibus sæpe naufragium fecistis. Dicite vale extremum lusibus periculosis, quibus, non sine fortunarum, & salutis detrimento, hactenus indulsistis. Coercete impuras familiaritates, quas exercuistis. Ejicite è domibus vestris* petram scandali, *in quam toties impegistis, id est: infamem mulierem, quam aut domi vestræ retinetis, vel alienæ, non sine publica urbis totius, vel saltem viciniæ, aut domesticorum offensione, quotidie frequentatis. Ejicite, inquam, ejicite, si salutem vestram, si animam, pretioso Christi sanguine redemptam, salvam esse desideratis. Quisquis idololatriam serio damnat, etiam*

ido-

CAPUT II. ARTIC. II. §. I.

idolum ejiciat, oportet, inquit Abulensis. Toties idola coluistis, quoties caducæ cujuspiam formæ, ac vultus adoratores exstitistis. Ejicite ergo, ejicite hæc offendicula, &, ne minima superstit memoria, lascivas earum imagines conclavium parietibus affixas, aut pixidibus insculptas, vel depictas abjicite, imo flammis exurite, quæ tantas in animis vestris flammas excitarunt, ac ut olim celeberrimus Philosophorum Crates, *dum suas in mare opes demergeret, exclamavit:* mergo vos, ne mergar à vobis; *perinde, dum impia hæc spolia igni tradideritis, dicite:* uro vos, ne urar à vobis. *Hoc nisi feceritis; actum est de salute vestra: nec enim sincero salutem animo quærere quis potest; nisi proximam peccati fugiat occasionem. Dixi* (a).

ARTICULUS II.

DE ORATIONE SACRA MORALI IN GENERE DOGMATICO.

§. I.

Præcepta Concionis Moralis Dogmaticæ.

Concio moralis *dogmatica* est, quæ res ad fidem, ac mores hominum pertinentes *docet.* Δογματικὸς enim idem est latine, ac ad do-

a) *Animus erat addendi hic Orationem in genere etiam svasorio; verum cum ultima de frequenti sacræ communionis usu, post paullum adferenda, sit hoc in genere elaborata, consulto prætermisi. Cæterum in Patre* Bourdaloue *Tomulo I. complures hujus generis invenies. Cujusmodi sunt: de sacra communione, de eleemosyna, de precatione. Tomulo autem II. de Pœnitentiæ severitate, de severitate Evangelica, de Pœnitentia. Ha-*

dogmata, ad doctrinam, ad præcepta pertinens. Dici etiam potest *didactica*, vel grandior *catechesis*, de qua egimus (a) superius. Hujus concionis princeps officium est *docere*, quæ ad fidem, ac mores pertinent, seu illa sint solum *credenda*, seu *agenda*. Dixi *princeps*: nam in complexionibus addi possunt morales digressiones, quibus Auditor ad mores veritati, quam Orator docuit, conformandos permoveatur. Ab argumento, ac themate, de quo agit, triplex esse potest. 1. *Dogmatico-theoretica*, quæ in re morum ea *docet*, quæ nostra *scire* solum, & *credere* interest. Verbi causa: *Statututum est omnibus hominibus semel mori. Inferni pœnæ sunt æternæ. Charitas est virtutum maxima* &c. 2. Alia est: *Dogmatico-practica*, quæ *docet*, quid in re morum *agere* debeamus. Verbi causa: quæ sit praxis, quis modus exercendæ virtutis, aut vitii fugiendi, præcepti explendi, sacramenti administrandi, vel suscipiendi. 3. Denique *mixta* esse potest: una parte *theoretica*, altera *practica*. Singulorum exempla reperies apud *Segneri* in *Homine Christiano*. Ut autem Tiro rite procedat:

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

I. *Inventio* partitionum in hac Concionum specie ex variis fontibus, & locis, potissimum *Rhetoricis*, sumi potest. 1. A natu-

bet etiam Gabriel Le-Jajus *non unam hujus generis sacram Orationem, ut de frequenti mortis recordatione, de usu præsentiæ Divinæ &c. Recole has, si libet.*

a) *Tom. II. l. 1. Cap. 1. Art. 4.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 1.

tura virtutis, aut vitii, vel præcepti, aut sacramenti, ex loco *definitionis*. Verbi causa: *Sacramentum baptismi est lavacrum regenerationis, est janua Ecclesiæ*. A distributione generis in suas species. Verbi causa: *Mendacium est triplex: officiosum, jocosum, & perniciosum*. A causis. *Exiguus sacrarum concionum est fructus:* 1. *Quia raro audiuntur.* 2. *Licet audiantur; non admittuntur.* 3. *Tametsi admittantur; haud tamen retinentur.* A proprietatibus. *Fides sit ad instar radicis:* 1. *Firma.* 2. *Profunda.* 3. *Fœcunda. Juramentum, ut sit licitum, debet esse conjunctum:* 1. *Cum judicio.* 2. *Cum justitia.* 3. *Cum veritate.* Ab effectis. *Gratia habitualis efficit Filium DEI*, 2. *Sponsam Spiritus Sancti, denique hæredem cœli.* Ab adjunctis actionum, uno, aut pluribus. Ab uno: verbi causa: personæ. *Detractio tres uno ictu personas ferit.* 1. *Famam proximi absentis.* 2. *Conscientiam audientis.* 3. *Animam detrahentis.* Ab adjunctis antecedentibus, commitantibus, & consequentibus. *Conjugium sit honorificum, in iis, quæ illud antecedunt; in iis, quæ illud comitantur; in iis, quæ consequuntur.* Ab actibus virtutis, aut vitii. *Bona proximi existimatio minuitur:* 1 *Dum falsa sparguntur.* 2. *Dum vera, occulta tamen, deteguntur.* 3. *Dum nota augentur.* A modo, quo res peragitur. *Eleemosyna eroganda est:* 1. *Manu prompta.* 2. *Vultu affabili.* 3. *Oculo in cœlum sublato. Ad Eucharistiæ Sacramentum accedendum est.* 1. *Cum fide.* 2. *Cum tremore.* 3. *Cum dilectione.* A me-

diis alicujus virtutis amplectendæ, aut vitii fugiendi. *Tria castitatis tuendæ remedia*: 1. *Vigilare*. 2. *Carnem castigare*. 3. *Orare*. CAPUT II. ARTIC I. §. II.

II. *Dispositio* hujus orationis eadem ferme est; ac in cæteris orationibus. In introductione tamen, cum partitio a proprietatibus, causis, vel effectis, &c, ducitur, eleganter *Segneri* prius explicat naturam, & species virtutis, aut vitii, vel sacramenti, de quibus agit. Argumenta plerumque petuntur ex fontibus Theologiæ dogmaticæ, ut ex locis dogmaticis Scripturæ, aut Patrum, vel Conciliorum, aut ex ratione Theologica. Illustrantur similitudinibus, exemplis. In complexionibus,& epilogo,ex præmissis veritatibus, *didactice*, ac *dogmatice* probatis, & explicatis, eruuntur practica corollaria, aut certe fit *digressio moralis*, ut explicatæ veritati mores conformentur.

III. *Elocutio* hujus concionis deposcit stylum infimum, oratorium tamen, qui didactico generi convenit; ubi vero motus civerit Orator in digressionibus, & epilogis; tum assurgere potest in sublimiorem, ac vehementiorem. Ars in ea est patentior; transitiones sunt apertæ; figuræ plerumque docentes.

§. II.

Paradigma Concionis Moralis Dogmaticæ.

PAradigmata modi istius complura [ut diximus] invenies apud *Segneri* in *Homi-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

mine Christiano, tam in solo *theoretico* (*a*), quam in solo *practico* (*b*), quam in *utroque* simul argumento (*c*). At cum illa sint longiora, quam ut Tomuli nostri moles patiatur; aliud brevius specimen sufficimus in themate *theoretico*, multa parte ex Patre *Segneri* adornatum.

ORATIO.

Sententia Sacra: *O si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere.* Joan. 4. v. 10.

Thema Concionis: *Divina Christi gratia est donum Dei præcellentissimum.*

Partitio Thematis: 1. *Ob summam, qua animam exornat, pulchritudinem.* 2. *Ob summas, quibus animam locupletat, divitias.* 3. *Ob summam, quam animæ adfert, dignitatem.*

EXORDIUM (*c*).

Ingressus à simplici narratione historiæ Evangelicæ (*a*). *Venerat Divinissimus Servator Christus in civitatem Samariæ*, tunc Sichar, olim vero Sichem, vel Sichima compellatam, *haud procul à prædio, quod Jacob ab Amorrhæis, gladio, & arcu, id est: armis comparatum, morti proximus filio suo Joseph dederat possidendum. Hoc in prædio erat puteus, jam inde à Jacobi temporibus longe vetustissimus, ac celeberrimus, qui* fons Jacob *dicebatur: quoniam eum*

a) *Part. 1. Discur. 3. de Fide.* b) *p. 1. Discur. 18. de modo in erroganda eleemosyna observando.* c) *p. 3. Discurs. 21. de indulg.* d) *Juxta Tom. I. l. 2. par. 2. Cap. 1. §. 2. Art. 2. Num. 1. pag. 411.*

eum in suum, & familiæ suæ usum, dum agrum incoleret, fodi curarat; vel certe jam ante paratum cum agro comparârat. Ad hunc fontem, dimissis in Civitatem, ad cibos coemendos, discipulis, tantisper considerat Christus, ut fessas longo ex itinere vires parumper quiete recrearet. Interea sub horam diei quasi sextam, id est: prope meridiem, adest mulier Samaritana, aquam de puteo hausturа. Quid fit? Ut eam Christus videt, confestim interpellat: heus mulier! da mihi bibere. Illa vero ex aspectu, cæteroque corporis ornatu, Judæum conspicata, vehementer mirabatur, quod gente Judæus ab ea, tanquam Samaritana, aquam petivisset: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? *Judæi enim Samaritanos, hominum genus veluti prophanum, ac immundum, arbitrati, nullo commercio, ac usu, seu in convictu, seu in mensa, seu in vasis, dignos esse reputabant:* Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. *Sed Christus dissimulato ad objectum mulieris responso (nec enim in hoc Judæorum morem, ac odium adversus Samaritanos probabat, quos non tam religionis, quam supercilii, ac propriæ excellentiæ studio Judæi contemnebant) ad exponendum cœlestis doni thesaurum festinat.* Si scires *(inquit Christus)* donum DEI, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

Descensus. *Quod Christus Magister hoc doni sanctissimi nomine cœlestem DEI gratiam*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

voluerit intellectam; & ipsa Evangelicæ historiæ reliqua series, & sacræ literæ, Sancti, Patres, luculente indicant, à quibus Divina gratia, non uno certe loco, doni nomine compellatur. O si sciretis, chari Auditores, hoc DEI donum! id est: Divinæ gratiæ magnitudinem, quam ea sit præstans, quam præcellens; non eam profecto vili pro voluptate tam crebro perderetis.

Propositio. *Sed hæc est grandis hominum cæcitas, & cum cæcitate conjuncta infelicitas, cum nesciant pretium ejus, quemadmodum olim desapientia ajebat Jobus (a):* Nescit homo pretium ejus; *fit, ut ignorata non modo non desideretur, sed quam sæpissime contemnatur. Ut igitur ejus pretium, ac præstantiam intelligatis, quam nempe Divina Christi gratia donum sit præcellens; imo, ut ait* Augustinus: nullum est isto Dei dono excellentius, *hoc sumpsi pertractandum. At priusquam argumentum aggrediar, quid gratia sit, breviter explicandum venit. Erigite aures, & oculos in cœlum: de rebus enim cœlestibus, ac grandibus, sermo mihi vobiscum est futurus.*

Introductio explicans naturam, & species gratiæ. *Divina Christi gratia est donum DEI gratuitum, ex Christi meritis concessum, omnem naturæ superans ordinem, quæ ad æternam hominum beatitatem juvat consequendam. Donum, ajo,* gratuitum, *ut intelligatis, gratiam, saltem primam, non rependi operibus, ut debitum, vel mercedem; verum gratis (unde gratia,*

a) *Jobi. 28. v. 13.*

tia, ac donum gratuitum compellatur) hominibus eam DEUS impertitur. Si gratia *(inquit* (a) *Paulus)* jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. *Homines attamen justi, utpote per gratiam facti jam filii, & amici DEI, possunt, e mente Tridentini, bonis operibus gratiæ hujus, jam ante gratis indeptæ, augmentum promereri; nec tamen eapropter hoc gratiæ incrementum, bonis licet justorum operibus in mercedem tributum, vera desinit esse gratia: cum non operibus naturæ, sed primæ, gratis datæ, gratiæ viribus elicitis, liberali DEI promissione, ac dono, in hanc ipsam mercedem rependatur. Hanc gratiam discriminant Theologi in* actualem, & habitualem. *Gratia* actualis *sunt illa DEI auxilia, non stabiliter in nobis manentia, verum actu, quasi per transennam, opportune tamen, data, quibus præpotens, ac misericors DEUS mentes nostras prævenit, ac excitat; voluntates vero nostras afficit, movet, adjuvat, ad eliciendos actus salutares. Unde piæ illustrationes, inspirationes, animæ motiones, affectiones, adjutoria, & auxilia dici solent; sine quibus nihil occipere, nihil prosequi, nihil percipere boni salutaris homo potest, &c. Gratia* habitualis *est: donum DEI, stabiliter, in modum habitus, animæ inhærens, perquam justi, & sancti efficimur; unde* justificans, & sanctificans *compellatur.*

Partitio ab effectibus gratiæ. *Atque de hac solummodo gratia præsenti sermone disserere*

a) *Ad Rom. 11. v. 6.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

constitui. O animæ Christianæ! si sciretis donum DEI. Id est: si pro merito, pro dignitate, cognosceretis: quanta sit hujus gratiæ, sanctum, ac justum reddentis, præcellentia? Videretis profecto summam ejus pulchritudinem, summas divitias, summam dignitatem. Pulchritudinem: qua animas vestras mire exornat. Divitias: quibus animas vestras mire locupletat. Dignitatem: qua animas vestras mirum in sublime attollit. Hæc tria sunt dictionis capita. Inchoemus.

PARS I.

DIVINA GRATIA MIRA ANIMAM EXORNAT PULCHRITUDINE.

Prima divisionis pars probatur enthymemate, subdivisionem ab effectis continente. Divina gratia animam reddit justam, sanctam, naturæ Divinæ consortem. Ergo Divina gratia mira animam exornat pulchritudine.

Antecedens. *Plato Philosophus dixisse fertur: si virtutis pulchritudo corporeis videnda oculis exhiberi posset; nemo foret, qui non ingenti ejus amore, ac studio caperetur. Hoc si de virtute Plato; quid, oro, sensisset, si Christiana ei fides divinæ gratiæ pulchritudinem in hominis anima, quam mirum quantum exornat, proposuisset? Credite, dixisset: gratiam esse donum DEI pulcherrimum, quæ hominis animam reddit justam, reddit sanctam, reddit (quod amplius est) naturæ Divinæ consortem. Quo quid pulchrius in anima esse potest?*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

I. Pars subdivisionis: Reddit justam. *Fingite* Auditores: *vos domum quampiam haud ita pridem pretio comparasse; sed domum incultam, domum neglectam, domum sordibus contaminatam, domum nullo exteriore, aut interiore apparatu, elegantia, ornatu, instructam. Ut hanc usibus vestris opportuniorem, pulchriorem, ornatiorem reddatis, quid agitis? Angulos certe omnes excutitis, totam scopis domum everritis, à sordibus perpurgatis. Hoc ipsum misericors vobiscum Divinam per gratiam agit DEUS. Domus est anima vestra, quam pretioso sanguine, in Cruce pro salute nostra profuso, magno emit DEUS. Sordes sunt peccata, fœde animam contaminantia. Gratia cœlestis est divinior illa scopa, sive forma, & causa, per quam animæ nostræ, præmisso in parvulis salutari lavacro, in adultis vero, sacro jam fonte ablutis, pœnitentia, in re, aut in voto susceptâ, ab omnibus peccati sordibus, & maculis, quantumcunque grandibus, perpurgantur; perpurgatæ vero justæ efficiuntur. Luculentis hoc verbis Concilium adstruxit Tridentinum* (a): *quæ justificationem nostram* peccatorum *ait esse* remissionem.

II. Pars subdivisionis: Reddit sanctam. *Haud tamen solam; verum cui, ad plenam animæ justitiam, accedat insuper* sanctificatio, *& interior hominis innovatio. Ut enim ad domum plene, ac integre exornandam, non satis est eam à sordibus expurgare; sed præterea opus est innovare, laquearibus instruere, aulæis, tapetibus*

a) *Sess. 6. cap. 7.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

tibus, cæteriſque, ad domus pulchritudinem attinentibus, ornamentis adornare. Ita DEUS *Optimus Maximus, ut hominis animam plene pulchram, plene juſtam efficiat; non modo à peccatis reddit immunem; ſed præterea per gratiam, ejuſque dona, nobis infuſa, totidem quaſi ornamenta, facit ſanctam, id eſt: Deo ſacratam, devotam, conjunctam, à peccatis abhorrentem, toto denique mentis ſpiritu, in quo ſanctitas conſiſtit, plene renovatam.* Juſtificatio *(ait* (a) *Tridentinum)* non eſt ſola peccatorum remiſſio; ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam *(quod velim bene advertite)* ſuſceptionem gratiæ, & donorum. *Atque iſtud eſt, unde poſtea homo ex injuſto fit plene juſtus, ex inimico amicus, ut memoratum ait Concilium.*

III. Pars ſubdiviſionis: reddit naturæ divinæ conſortem. *Imo divinæ redditur conſors naturæ Petro atteſtante:* ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ, *inquit* (b) *Petrus. Non equidem per* eſſentiam, *ut Deus; aut per* ſubſtantiam, *ut Chriſtus; verum per communionem, & participationem, ut docet Thomas.* Id, quod eſt ſubſtantialiter in DEO *(verba ſunt Doctoris Angelici)* fit accidentaliter in anima, divinam naturam participante; *vero quidem, mirabili tamen, modo, nec unquam ſatis explicando. O quanta igitur ab hoc divinæ naturæ conſortio & gratiæ, & animæ debeat eſſe pulchritudo? Fingite, ſi libet, in animi-*

a) *Loco citato.* b) *2. Petri. 1. v. 4.*

nimis vestris Auditores: *omne, quod in dæmonum, ac damnatorum cordibus dispergi potest, odium in Deum, in unius tandem damnati corde collectum, ac unitum reperiri. Fingite: hoc odium, corde isto sic collectum, jam inde à primo, quo infernus conditus est, tempore, in momenta singula immane quantum augeri. Grande quidem, ac ingens hoc odium foret; attamen si creaturæ, adeo infensæ, divinæ pulchritudo naturæ, vel minimo temporis momento, spectanda exhiberetur; totum hoc, insanum tametsi, odium in parem confestim amorem solveretur. Si igitur tam pulcher est, tam amabilis, vel modicus divinæ naturæ aspectus; quid de gratiæ, quid de animæ, hujus pulchritudinis cummunione perfruentis, decore, ac venustate dicemus? Ego certe cum Diva* Brigitta *sic existimo: Si hominis ejusmodi animam, hoc divinæ gratiæ dono exornatam, liceret intueri; confestim membra omnia, fragilis instar vitri, propter incredibilem, quo in hanc pulchritudinem raperemur, amoris æstum, in frusta minutissima redigerentur. Tanta est gratiæ animam exornantis pulchritudo!*

Digressio moralis. *Si tanta? Perpendite jam* Auditores, *quanti hoc pulcherrimum Dei donum æstimare debeatis? Quamprimum Judith visa est in castris Assyriorum; ita ejus pulchritudine incensi sunt milites, ut existimarint omnes in subjugando Judæorum populo vires esse impendendas, cum tam speciosas mulieres haberent.* Quis contemnat, *inquiunt,* (a) popu-

a) *Judith. 10. v. 18.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. 11.

lum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus. *Si Assyrii vana Judith forma ita capti sunt, quid dicturi fuissent, si animam, divinæ gratiæ pulchritudine præditam, eis videre licuisset? Quanto non illi stupore, & admiratione attoniti, ac defixi ad eam adhæsissent? Et tamen, proh pudor! sunt Christianorum quam plurimi, qui tametsi fidei oculis belle videant miram gratiæ Christi venustatem, & præcellentiam; nihilominus persæpe vilissimæ cujuspiam mulieris posthabent venustati, ob quam multorum perturbantur cogitationes, captivi detinentur affectus, libera ligantur arbitria, privatis ob rivales amores discordiis familiæ integræ subvertuntur.* Agnosce *ergo*, O homo Christiane *(Divi Leonis verba usurpo)* dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.

PARS II.

DIVINA GRATIA SUMMIS ANIMAM LOCUPLETAT DIVITIIS.

Altera pars divisionis probatur syllogismo tripartito. Illud summis animam locupletat divitiis, quod est radix maximorum, & pretiosorum Dei donorum, animæ conferendorum, & pignus est amplissimæ hæreditatis, in cœlo consequendæ. Talis est gratia divina. Ergo. Major tractatur per similitudines, minor per subdivisiones, quibus subjungitur digressio moralis.

At

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

At gratiæ divinæ præcellentiam illud insuper magnopere commendat, quod summa ejus pulchritudo cum ingentibus præterea cœli opibus, divitiis, thesauris sit conjuncta. Persimilis sponsæ; verum ejusmodi, quæ, præter eximiam corporis venustatem, summis insuper opibus, ac fortunis sponsi thalamum locupletat. Hoc ut clarius intelligatis: [Major.] *quæro è vobis* Auditores: *nunquid divitem illam esse fodinam censeretis, quæ auri purissimi, & obrizi, venas in se contineret copiosas? Nunquid locupletem illam esse sponsam existimaretis, quæ uberrimæ jus adferret hæreditatis, propediem consequendæ?* Minor. Dilecti Auditores! *Divina Christi gratia est hæc radix, est vena, est fons, est fodina maximorum, & pretiosissimorum DEI donorum, quæ nobis cum gratia donat DEUS. Est pignus certissimum obtinendæ in cælo ampliss imæ hæreditatis.*

I. Pars subdivisionis: Gratia est radix maximorum Dei donorum. *Audite Ecclesiasticum!* Gratia *(inquit* (a) *ille)* sicut paradisus in benedictionibus. *En Divinus Spiritus, falli nescius, cœlestem gratiam terrestri comparat paradiso. Qua in re?* in benedictionibus, *id est: in donis, ac muneribus, à DEO cum gratia conferendis. Quid porro locupletius paradiso? Cumulum ille omnium terræ bonorum, ac voluptatum in se continebat; continet divina etiam gratia, per quam (teste* (a) *Petro)* maxima, & pretiosa nobis promissa donat Deus.

Gra-

a) *Eccli. 40. v. 17.* b) *2. Petri. 1. v. 4.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Gratiæ, velut radici, ingens cœlestium donorum cumulus adjungitur. Adjungitur fides, adjungitur spes, adjungitur charitas, habitus virtutum (ut ajunt) Theologicarum præstantissimi. In justificatione *(inquit* (a) *Tridentinum)* hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. *Hanc consequitur prudentia, hanc justitia, hanc temperantia, hanc fortitudo, ac reliquus* nobilissimus *moralium* virtutum comitatus, quæ *(attestante Catech. Smo Romano)* in animam simul cum gratia infunduntur. *His, velut animæ facultatibus, instructi, in Deum credimus, in Deo speramus, Deum amamus. His prudenter, sobrie, juste, ac fortiter operamur, ut cœlestem subinde hæreditatem consequamur.*

II. Pars subdivisionis: Gratia est pignus cœlestis hæreditatis. *Ante tamen, quam divino gratiæ Christi dono locupletemur; nihil quidquam juris ad hanc cœlestem gloriam obtinemus. At quamprimum ea instruimur; una jus ad æternam adipiscimur beatitatem, non quomodocunque, sed hæreditatis nomine consequendam. Hujus juris, & hæreditatis, certius acquirendæ, pignus est gratia Christi; si in ea ad usque finem persistamus. Gratia enim efficimur filii DEI,* si autem filii, & hæredes, hæredes quidem DEI; cohæredes autem Christi, *ut ait* (b) *Paulus. Dispicite jam* Auditores, *quam opulentum debeat esse donum gratia Christi, quæ ad ipsam*

a) *Sess. 6. Cap. 7.* b) *ad Rom. 8. v. 17.*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

ipsam jus adfert cœli hæreditatem? Boetius *æternam descripturus beatitudinem, ait esse* statum omnium bonorum aggregatione perfectum. *Primo* statum, *ut cognoscamus in cœlesti sanctorum felicitate nihil esse instabile, nihil fluxum, nihil inconstans, nihil obnoxium mutationi; esse omnia stabilia, omnia perpetua, omnia perfecta. Dixi*: perfecta, *ut omne malum, omnis miseria, omnis imperfectio à beatitate excludatur; includantur vero bona omnia, sine defectu; non dispersa; sed in uno veluti cumulo aggregata, & accumulata. Et quidem ejusmodi bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt, quanta DEUS diligentibus se præparavit, ut ait Paulus. Et horum bonorum hæredes fitis, horum jus obtinetis, O Christiani, per Christi gratiam. Quam ergo dives, quam locuples, quam excellens oporteat esse donum gratiam Christi!*

Digressio moralis. *Et tamen (O cæcos mortalium animos!) quoties evenit (discutite conscientias vestras) ut hoc bonum tam locuples, tam pretiosum, pro vili voluptate, pro exigua terræ gleba, pro nummis pauculis, pro fumo honoris, & vanitatis, quam creberrime commutetis? Si alterutro animæ bono, gratia, vel cœlesti gloria, carendum foret vobis; certe vos gloria potius, quam gratia, vel uno temporis momento privetis oportet. Nam fas est homini gloria cœlesti ad proferendam majorem Numinis gloriam, Ignatii parentis exemplo, saltem ad tempus velle orbari. Contra integrum non est, ulla, quantumvis grandi,*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

di, de cauſa, vel minimo temporis puncto, gratiæ, per peccatum amittendæ, jacturam pati. Nihilominus quoties, ut dixi, evenit chari Auditores, *ut hoc præcellentiſſimum DEI donum, omnia mundi dona antecellens, viliſſimis mundi rebus poſthabeatur, per peccata amittatur? Grandi datur vituperio, cum Eſau fratri ſuo Jacobo, pro exiguo pulmento, ceſſit primogeniti jus, & dignitatem. Et vobis,* O chari Auditores, *non vertetur dedecori, non pudori; cum Chriſti gratiam, æternæ jus, & pignus hæreditatis, tam grandium, ac pretioſorum DEI donorum fontem, & radicem, pro rebus, omni certe pulmento, vilioribus, amittatis?*

PARS III.

DIVINA GRATIA SUMMAM ADFERT ANIMÆ DIGNITATEM.

Tertia diviſionis pars probatur rurſum enthymemate, ſubdiviſionem in ratione antecedentis complectente. Gratia DEI animam hominis ultra omnium creaturarum, quamcumque in ordine naturæ nobilium, & perfectarum, dignitatem evehit. Ratio antecedentis: quia evehit in ordinem divinum: cum animam faciat filiam DEI, & Sponſam Spiritus Sancti. Ergo Gratia DEI ſummam adfert animæ dignitatem.

At credidero majore apud vos in pretio futuram impoſterum Chriſti gratiam; ſi præter incredibilem ejus pulchritudinem, & divitias, ingentem inſuper, quam animæ adfert, dignitatem per-

perſpiciatis. Hoc ut porro fiat, (Antecedens) *fingite iterum, ſi placet*, Auditores: *Deum jam inde à mundi incunabulis; imo ab ipſa æternitate, ad hoc uſque temporis momentum, in producendis novis ſemper, & novis creaturis aſſiduo fuiſſe occupatum. Condidiſſe unam alia, in ordine naturæ, ſemper nobiliorem, ac præcellentiorem. Quid? an creaturæ iſtæ omnibus ita naturæ dotibus, ac perfectionibus inſtructæ, poterunt unquam aſſurgere in illum dignitatis locum, in quem vel una pueri, recens nati, ſacro fonte abluti, anima evehitur per minimum gratiæ gradum? Ita arbitror: ſi hæ creaturæ unum aliquem, de ſuo cœtu digniorem, communi ſuffragio in caput deligendum haberent; procul dubio omnium calculis (ſi rectæ rationis ductum ſequi volent) ille foret deligendus, qui vel infimo minimæ unius gratiæ gradu inſtructus reperiretur. Is enim, jure gratiæ, omnium creaturarum, quantumvis nobiliſſimarum, dignitates; imo totum naturæ ordinem, multo longius præcelleret; quam ſol omnium reliquarum ſtellarum lumen antecellat.* Ratio Antecedentis: *Eccur ita? quoniam gratia animam hominis in ipſum quodammodo divinæ dignitatis ordinem attollit: cum DEI filiam, & Divini Spiritus ſponſam faciat. Ambigitis de rei veritate?*

I. Pars ſubdiviſionis: facit filiam DEI. *Recogitate: quid ſit gratia? Gratia, ſi Joanni Apoſtolo fides eſt habenda, eſt ſemen DEI:* Omnis, qui natus eſt ex DEO - - - ſemen ipſius in eo manet: *inquit Joannes. At ejuſmodi ſe-*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

semen, ex quo æternus Pater dedit nobis potestatem filios DEI fieri, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; verum ut ex DEO nati simus. Quemadmodum ex floris semine florem gigni, & nasci videmus; ita è gratia, DEI semine, quid? nisi filii DEI, generentur, nascanturque, oportet. Atque istud est cur Joannes, quasi in admirationem raptus, exclamet; Videte! qualem charitatem, *id est gratiam*, dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus. *Simus ait: cur ita? audite. Verum est nos filios Dei esse; non tamen natura, quemadmodum Christus est, sed solum æterni Patris adoptione. Hæc tamen adoptio non est merum, ac inane nomen; quemadmodum inter homines fieri assolet, cum alius ab alio adoptatur. In persona enim adoptati, nihil quidquam novi producunt homines: nec basi innititur illa altiori, quam affectui adoptantis. Ast in adoptione æterni Patris, ita ex incredibili ejus amore, & misericordia filii adoptamur, ut non solo tantum nomine; verum re ipsa, id est: ex gratia, velut ex DEI semine, in nos transfuso, filii DEI progignamur, & simus. O ingentem DEI charitatem! O summam animæ Christianæ præcellentiam! Videte jam, & perspicite,* Auditores, *in quantam vos æternus Pater evexit dignitatem! Grande quiddam est inter homines regio de sanguine filium Regis nasci; & non grande erit DEI Filium fieri? & quidem ita fieri, ut non solo nomine, sed re ipsa, per gratiam, ceu per semen, in nos transfusum, nati ex Deo filii simus.*

II.

II. Pars subdivisionis : facit Sponsam Spiritus Sancti. *Sed hæc erat immensa æterni Patris liberalitas, & misericordia, ut quos divinam per gratiam in DEI filiorum provexit numerum; eosdem Divinissimo etiam Spiritui Sponsam copularet. Communi Patrum consensione, nec uno sacrorum canticorum loco, sensu tropologico accepto, hominis anima sponsæ nomine compellatur.* Vulneravit cor meum soror mea, sponsa mea, *inquit sapiens:* Sponsabo te mihi in sempiternum, *ait Oseas. At cujus sponsa? Illius enimvero, de quo Paulus ait:* quoniam autem filii estis *(inquit Paulus)* misit DEUS Spiritum Filii sui in corda vestra. Quoniam *ait: ut intelligamus causam missi in nos Sancti Spiritus esse filii rationem. Quasi diceret: misit DEUS ad vos Divinum Spiritum; quia ejus filii estis; non missurus nisi DEI filii fuissetis. Misit autem non quomodocunque: verum taquam sponsum, ad sponsam, sæpius (ut dixi) sacris in canticis hoc nomine celebratam, ut Divinus Spiritus nobiscum, velut sponsus cum sponsa, habitaret, in cordibus nostris, tanquam in thalamo, cubaret, suum in nos amorem propius, ac intimius, exerceret. Solicita providorum parentum cura in eo elaborat, ut, quas progenuere filias, optimis, ac præstantissimis sponsis in matrimonium elocarent. Hoc ipsum æternus nobiscum egit Pater. Postquam animas nostras in DEI filiarum dignitatem evexisset; quid grandius, ac opportunius facere poterat, quam ut eas, tanquam DEI filias, DEO Spiritui, tanquam*

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Divino Sponſo, per gratiam, velut per arrham, deſponſaret. Ut vero cor noſtrum ſponſo tam præcellenti digna domus, & thalamus foret; exornavit illud Cæleſtis Pater non in morem profani cujuſpiam palatii, ad luxum, & voluptatem; verum exornavit templi inſtar, ſeu ædis Divinæ, domus DEI, ad majeſtatem, ſimul & ſanctitatem, ut Divinus illic Spiritus, velut in thalamo, ac domo, ſe digna, digne valeat reſidere. Templum DEI eſtis vos, & Spiritus DEI habitat in vobis, *inquit Paulus.*

Digreſſio moralis. *Poteſtiſne, chari Auditores, hanc animæ veſtræ dignitatem, in quam divina vos ſiſtulit gratia ſine ingenti gaudio, & admiratione audire? Poteſtiſne non dignas DEI filia, & Divini Spiritus ſponſa concipere cogitationes?* Princeps ea, quæ digna ſunt Principe, cogitabit, *inquit Iſaias. Non igitur cogitabit ſulcare agros, ut agricola: non fodere terram, ut foſſor: non everrere domum, ut verna; verum digna principe cogitabit; & vos DEI filiæ, & Divini Spiritus ſponſæ, alia cogitabitis? Filii officium eſt: patrem amare, venerari, ei obtemperare; vos vero, ingrati filii, quoties hunc benignum patrem execrati, abjecto timore, depoſita reverentia, in eum conſurrexiſtis, ejus imperia detrectaſtis, arma in eum corripuiſtis? Sponſæ munus eſt: ſponſum diligere, fidem ei ſervare, ſancte thalamum cuſtodire; vos vero, ſponſæ infideles, quoties divinum hunc ſponſum averſatæ, amores veſtros aliorſum convertiſtis, fidem fregiſtis, turpi adulterio thalamum polluiſtis?*

EPI-

EPILOGUS.

CAPUT II. ARTIC. II. §. II.

Continens repetitionem, & motum. *Osi sciretis*, chari Auditores, *hoc donum DEI! Id est: divinæ gratiæ præcellentiam, quam illa sit pulchrum, quam opulentum, quam honorificum DEI donum. Pulchrum: quod hominis animam mirum exornat. Opulentum: quod hominis animam mirum locupletat. Honorificum: quod hominis animam mirum extollit. Nunquam profecto tam indigna cogitaretis, nunquam ejus pulchritudinem vili adeo penderetis, nunquam divitias prodigeretis, nunquam dignitatem abjiceretis. Verum bene Jobus: nescit homo pretium ejus. Nescit pulchritudinem, qua animas vestras reddit justas, reddit sanctas, reddit naturæ divinæ consortes. Nescit divitias, quibus uberrimam maximorum donorum adfert radicem, pignus vero certissimum obtinendæ in cœlo præbet hæreditatis. Nescit dignitatem, qua efficit filias DEI, & sponsas Spiritus Sancti. Aut si scitis; quomodo, oro, tantam pulchritudinem fœdis adeo peccati sordibus potestis contaminare? tantæ dignitati præpostero consilio renunciare? tantas divitias pro rebus vilissimis dissipare? Si vestræ forent ampliſſimæ illæ opes, quas Rex David, pro construenda templi Solymæi fabrica congestas, à morte reliquit, bis mille nimirum, quadringentos coronatorum milliones, ingens profecto dementia foret, si grandem hunc thesaurum cum exiguis rebus permutaretis; & divinam gratiam his omnibus, imo totius mundi rebus, multo potiorem profundere audebitis? Utinam, utinam Sancti*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Cælites, qui optime norunt æstimare, quæ vos spernitis, hic adessent, quantis cæcitatem vestram (si tamen possunt) lachrymis deplorarent! At cum sciam parum admodum prodesse mala plangere; non item corrigere; idcirco JESUM Christum flexo potius poplite orabo, ut qui tam pretiosum, & grande donum sua nobis morte comparavit, mentes vestras divino lumine collustrare velit, ut cælestis gratiæ pretium, quod læti peccando perditis, ex æquo æstimare discatis, Dixi.

ARTICULUS III.

DE ORATIONE SACRA MORALI IN GENERE HISTORICO.

§. I.

Præcepta Orationis sacræ Moralis Historicæ.

ORationem sacram moralem *historicam* voco, cujus structura, & corpus innititur cuipiam *exemplo*, velut concionis fundamento, ex *historia* deprompto, & amplificato. Harum concionum crebrior olim usus erat in *Germania*; at quoniam haud fuerat ad hodiernæ Eloquentiæ morem usurpatus; idcirco eum apud saniores merito eviluisse diximus Tomulo (*a*) priore. Si tamen ad præsentis artificii modum adornaretur; non video, cur nequeat iterum revocari, ob ingentem præsertim, quem apud Au-

a) *Tom. I. pag. 326.*

Auditorem, saltem mediocrem, modus iste parere potest utilitatem. Quare hic eum censui referendum, &, si cuipiam arriserit, has ei leges præstituo observandas. Et quidem.

I. *In inventione.* Exemplum deligatur *sacrum* potius; quam *profanum*: illud enim magis addecet dictionis sacræ majestatem. Ex ipsis tamen sacris è *Biblica* potius, quam ex *humana*, quamvis *Ecclesiastica*, *historia* sit petitum. Optimum foret, si Evangelica diei ipsius *historia*, aut *parabola*, argumentum præberet. Sic enim oratio, & tempori congrua, & DEI verbo innixa, majus pondus apud Auditorem obtineret. Cæterum nihil interest, etsi *humanum* fuerit, modo ex probato authore depromatur. 2. Ejus inventio ordinetur ad certum *thema morale*, tanquam finem orationis *principalem historico* exemplo comprobandum. Verbi causa: *ad detestandam avaritiam; ad pœnitentiam oportune agendam; ad prolium educationem haud negligendam.* &c. 3. Quanquam possit exemplum historicum dividi solummodo in *initium*, & *finem*. Verbi causa: *Petrus peccat; Petrum pœnitet*; plerumque tamen dividitur in *initium*, *medium*, & *finem*: ad eum ferme, quem hoc Tomulo (*a*) posteriore de *paraphrastica* concione superius diximus, modum. Verbi causa: parabolam de decem virginibus hac concionis forma sumeres pertractandam.

a) *Tomul. II. pag. 163.*

CAPUT II. ARTIC III. §. I.

Sit sententia sacra in concionis fundamentum, illa Christi huic parabolæ, epiphonematis instar, subjuncta: *Vigilate, & orate: quia nescitis horam, neque diem.* Constitue thema, tanquam finem principalem: *omni tempore ad mortem, opportune obeundam, paratos non esse oportere.* Dispice parabolæ initium, medium, & finem. Initium est: *socordia fatuarum virginum in oleo opportune comparando.* Medium est: *sera solicitudo de oleo comparando.* Finis est: *pœna ob oleum opportune non comparatum.* En partitio concionis historicæ! cui totidem doctrinas morales, membris singulis respondentes, & ad *principalem* finem pertinentes, præfige; reliquo orationis corpore, in apodosi, & digressionibus moralibus, urgendas.

II. *In dispositione* hujus concionis exordium perinde, ac in aliis concionibus, sumitur ex uno fontium aliquo, Tomulo priore allato. Verbi causa: à genere, à contrario, a simili, à sententia sacra, in concionis fundamentum assumpta; cujus postea veritatem exemplo, sed brevissime adducto [ne te initio exhaurias] ac in partes, decursu orationis diffusius tractandas, distributo, poteris confirmare. In confirmatione quodlibet divisionis membrum tribus partibus constet: *prothasi, apodosi, & motu*, sive *digressione morali* ad Auditores. *Prothasis* complectatur narrationem, sed oratoriam, exempli historici [præmisso brevi *proœmio*, seu ingressu

greſſu ad narrationem] cum omnibus adjunctis, & circumſtantiis, ad exempli partem, eo diviſionis membro tractandam, pertinentibus. *Apodoſis* contineat *applicationem* exempli ad moralem doctrinam, illi parti præſtitutam, cum ſubdiviſione, ſi doctrina, ex exemplo deducta, plures in ſe partes contineat, vel ſine illa. *Apodoſim* conſequatur *digreſſio moralis* ad Auditores, nova etiam complectens argumenta impellentia, ad mores doctrinæ moralis veritati conformandos. Quod fieri poteſt per *adhortationem*, vel *dehortationem*, *obſecrationem*, *comminationem*, *objurgationem*, &c, inſtituto prius, vel omiſſo, ut diximus, examine. Poteſt, ſi libet, ipſum etiam exemplum hiſtoricum in qualibet diviſionis parte per ſubdiviſiones tractari, aliarum inſtar concionum. Sit principalis diviſio de Petro: *Petrus peccat*, *Petrum pœnitet*. En ſubdiviſio! Peccat: *quia* 1. *Superbe viribus præfidit.* 2. *Orationem negligit.* 3. *Pontificis atrium incautus adit.* Pœnitet: 1. *Cum verbi JESU recordatur.* 2. *Cum foras egreditur.* 3. *Cum amare flet.* Singulæ ſubdiviſionis partes tractari poſſunt [ſed brevius, ne oratio nimium procurrat] 1. Prothaſi. 2. Apodoſi. 3. Digreſſione morali ad Auditores; quanquam hæc ad finem, poſt omnia ſubdiviſionum capita, rejici poſſit. Alii alium in hac concione hiſtorica modum tenent. Partitionem in exordio non ex *hiſtoria*, ſed ex *themate morali*, ſuas

CAPUT II. ARTIC. III. §. I.

in partes diviso, constituunt; ita tamen. ut exempli historici, quo singula concionis membra probare contendunt, initio, medio, & fini respondeat. Verbi causa: de præparatione ad mortem dicere constituisti cum hac partitione: *sunt, qui de morte, cum tempus est, nunquam cogitant. Sunt, qui sero, & præposterе cogitant. Utrique æternum intereunt.* Singula membra poteris comprobare allata decem virginum parabola, in initium, medium, & finem divisa. Primam divisionis partem probabis parabolæ initio, nimirum: *focordia fatuarum virginum in oleo opportune comparando.* Alteram: parabolæ medio, id est: *sera solicitudine in oleo comparando.* Tertiam partem parabolæ fine, id est: *pœna fatuarum virginum, è nuptiis excluſarum, ob oleum opportune non comparatum.* Illud adhuc moneo: in concione historica partes aliquando posse tractari ordine turbato. Verbi causa: incipere potes à fine, & desinere cum initio, si materiæ ratio exigat, vel ars ita depoſcat.

III. *Elocutio* hujus concionis, in ea orationis parte, ubi narratio instituitur, depoſcit stylum narratorium, oratoriæ tamen narrationi convenientem, de quo egimus Tomulo (a) priore. In *apodoſi* vero, maxime in *digreſſionibus*, cum motus cientur, sublimiorem, seu vehementiorem.

§. II.

a) *Tom. I. pag. 523.*

§. II.

Paradigma Concionis Moralis Historicæ.

INtellexi *Franciscum Neumayr*, dissertissimum ævi nostri in *Germania* Oratorem, scripsisse opus integrum hujusmodi *historicarum concionum.* At mihi, dum hæc scribo, libri copiam habere nondum licuit; aliud igitur de *Petro peccante* exemplum sufficio; gratulaturus, si tanti viri vestigia, vel *à longe*, cum Petro Christum consequente, secutus fuero.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. v. 41.

Thema concionis: *Solida etiam virtus gravibus in tentationibus facile cadere potest exemplo Petri.*

Partitio thematis: 1. *Si cum Petro superbe viribus præfidat.* 2. *Si cum Petro orationem negligat.* 3. *Si cum Petro, Pontificis atrium incaute ingresso, peccati pericula temere adeat.*

EXORDIUM.

Ingressus à simili. *Quod robustæ arbori; idem persæpe triste fatum solet evenire solidæ etiam virtuti. Quid firmius, quid solidius, quid robustius esse potest annosa quercu? Etsi hæc à suo, quo prædita est, robore, roboris etiam nomen habeat; nihilominus tamen si diu, si multum, vel si acriter admodum à valido quopiam Euro, aut Aquilone impetatur, facillime fit, ut radicitus prosternatur.*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

Descensus. *Christiani* Auditores! *arbor est homo, &, si præclara præditus sit virtute, est quercus. Venti sunt tentationes: si graviores; sunt Euri, & Aquilones. Casus est peccatum. In hunc casum facillime prolabitur solida etiam virtus, acrioribus tentationibus exagitata, præsertim, si viribus præfidat, si orationem negligat. si peccati pericula temere adeat.*

Propositio. *Utinam nulla horum tristia haberemus exempla! Totus certe & corpore, & animo contremisco; cum tristissimum Petri, Principis Apostolorum, casum in memoriam revoco. Hic licet in sanctissima Christi schola fuerit enutritus, licet tot, tantisque à Magistro JESU beneficiis fuerit affectus, licet gravissime semel, ac iterum spoponderit;* non te negabo*; nihilominus tamen & saluberrimarum doctrinarum ab Optimo Magistro haustarum, & ingentium beneficiorum ab eo acceptorum, & promissionum Christo datarum oblitus, sacrilege Christum negavit:* non novi hominem. *Insigni certe documento, hodierno sermone pertractando: nullam quamcunque solidam esse virtutem, quæ si gravioribus tentationibus exagitetur, ut non facile cum Petro prolabi queat. Bene igitur Servator:* vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.

Partitio. *Utinam Christo admonente hoc egisset Petrus, id est: vigilasset, & orasset, nunquam profecto tam triste hodiernæ dictionis argumentum factus fuisset. At quoniam viribus superbe præsidit, orationem neglexit, Pontificis atri-*

atrium incautus adiit: quid præstolari poterat, quam ut tristi casu turpiter prolabatur? Quod Petro, idem sanctissimis etiam viris in dies nunc evenire potest, ac etiam evenit, si viribus cum Petro superbe præfidant; quod primum. Si Orationem cum Petro negligant; quod alterum. Si peccati pericula, cum Petro, Pontificis atrium incaute ingresso, temere adeant; quod tertium erit dictionis caput. Inchoemus.

PARS I.

PETRUS SUPERBE VIRIBUS PRÆFIDIT.

Prooemium Narrationis. *Nihil est periculosius arroganti præfidentia. Cum DEUS superbos immane quantum aversetur; consulto gravioribus sinit eos tentationibus exagitari; & quoniam suis multum viribus superbe præfidunt; opportunam vincendi, & resistendi gratiam, quam humilibus impertitur, sciens, prudensque subtrahit, ut vires, quam habeant debiles, malo suo experiantur. Expertus est Petrus, tristissimum nostræ concionis, & exemplum, & argumentum.*

I. Prothasis complectens narrationis initium. *Postquam Christus & agni Paschalis, & sanctissimi sui corporis cœna discipulos bene sancteque pavisset; dicto laudis, & gratiarum actionis carmine, omnes in montem olivarum, veterem Christo orationis locum, sunt egressi; ut illic ad futuram passionem, fortiter sustinendam, per orationis initium semet Servator compararet. Gnarus autem quam gravis, & acerba tentationis pro-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

procella discipulorum capitibus impenderet, præmonet eos, ut prævisa fortasse tela mimus feriant: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim: purcutiam pastorem, & dispergentur oves. *Quasi diceret: Chari Discipuli! misereor vestri magnopere: novi enim quam tristia fata propediem sint vos exceptura: quare dico vobis: vigilate, & orate: omnes enim vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves. Pastor ego sum: vos estis oves: brevi ego percutiar; vos autem dispergemini: attendite, & cavete. Quid hic Petrus? Firmissimam se petram arbitratus (utinam non fuisset scandali) & quidem ejusmodi petram, in quam nullæ cadant; vel si cadant, impavidam feriant, ruinæ: cæteris glorioſior, & audacior: quia superbe præfidentior, reponit Christo: Magister!* etsi omnes scandalizati fuerint in te; ego nunquam scandalizabor. *Verum Christus probe conscius, quam hæc petra sit mollis, & infirma, quæ vel ad unius mulieris vocem confestim est prosternenda; ut superbam Petri, in se præfidentis, audaciam temperaret, ait: O Petre! Petre! noli quæso tantum animi tibi tribuere, noli viribus ita tuis præfidere, en certus augur prædico:* quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. *Quid? ego negabo? (quasi diceret Petrus) noveris Magister:* etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter, *viso hoc Petri exemplo, cæteri* omnes dixerunt.

II.

II. Apodosis continens applicationem narrationis ad doctrinam moralem. *Fecerunt ne? Feciſſent enimvero; ſi viribus ſuis, Petrus præſertim, tam arroganter non præfidiſſet. Præſidentia grandium mater eſt malorum! Qui alta temere, & incaute petunt: facillime fallente veſtigio graviter ruunt. Ruit Petrus: quoniam multa de ſe arbitratus*, in mirabilibus ſuper ſe ambulabat, *temere alta petiit, id eſt: graviſſimo ſe periculo expoſuit, Pontificis atrium incautus ſubiit, illic turbæ militum ſemet audacius miſcuit, eos inter ad focum libere conſedit, quaſi non illi dæmon; ſed ille dæmoni eſſet formidandus. Quid igitur in tanto præcipitio præſtolandum ei erat? quam ut Petrus, qui ſibi tam firmus eſſe videbatur, ſuam, quam ſit infirmus, imbecillitatem videret, Dei permittentis judicio, ad vocem non viri, ſed unius infirmæ mulieris, turpiter prolaberetur. Hic ſuperbæ fructus eſt præſidentiæ! quem utinam non ſæpe carperent, grandi ſuo malo, his etiam temporibus, virijam ætate, ac etiam virtute cæteroquin conſummati. Certe, ſi Petrus de ſe modeſtius ſenſiſſet: ſi parum, aut nihil ſibi tribuiſſet, ſi virtuti ſuæ diffidiſſet; tum enimvero Pontificis atrium neutiquam ſubiiſſet, aut certe, ſi ſubiiſſet, viribus diffiſus, protinus cum Joanne è periculo ſemet explicuiſſet, & lapſum feliciter evaſiſſet. At quoniam viribus confidit ſuis, factus eſt triſtiſſimum præſidentiæ, turpiter ruentis, documentum: nullam eſſe virtutem adeo firmam, quæ ſi acrioribus tentationibus urgeatur, ut non triſti caſu pro-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

prolabi queat. Væ tibi igitur Christiane, quisquis viribus tuis præfidis! contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus, *ait* (a) *Sapiens. Si præcedit? quid? quam ut contritio, & ruina consequatur, oportet. Sunt vires nostræ fractæ persimiles arundini, quæ te non modo non sustinebit; verum si temere ei incumbas, etiam manum perforabit.*

III. Digressio moralis ad Auditores. *Reflectite jam vos in vosmetipsos,* Auditores, *discutite animos, & conscientias vestras: quærite è vobis: an non superba hujusmodi præfidentia cum Petro laboretis? an non virtuti, ac meritis vestris amplius, quam par sit, tribuatis? Tribuitis autem, si superbo cum Pharisæo præclara virtutum opera [si tamen præclara sunt, quæ cum superbia conjunguntur] insolentius ubique jactatis. Ego jejuno bis in sabbato, eleemosynam largiter tribuo, decimas do omnium, quæ possideo. Non sum sicut cæteri hominum: non fur, non raptor, non adulter, non injustus, sicut miser iste Publicanus. Hæc si, aut his persimilia, arrogantius prædicatis; credite, superba cum Petro præfidentia laboratis, ad quam, heu vereor! ne* ruina, & contritio, *à sapiente memorata, consequatur. Quod ne fiat, recogitate sæpius imbecillitatem vestram, & operum, quamcunque magna agatis, tenuitatem. Omnes gentes coram Deo esse* quasi stillas situlæ *ait Isaias. Dividite jam stillam istam totidem in particulas, quot sunt, fuerunt, ac erunt; imo esse possunt homines. Quid, oro, ex stilla adeo divisa, in tanta hominum multitu-*

titudine, vos manebit? Quam minutæ erunt vires vestræ, huic mensuræ respondentes? Quam parva, & exigua erunt opera, si hoc modo ad stateram appendantur? Et sic appensi adhuc viribus præfidetis? adhuc magnifice vosmet circumspicietis? adhuc de vobis præsumere audebitis? Prob DEUM immortalem! Quis tam væsanus esse potest, ut in tanta imbecillitate, ac tenuitate, hoc audeat vel cogitare? Quare demittite vos potius in abyssum nihili: cum substantia omnium hominum, ad DEUM comparata, sit quasi nihilum teste David. Nil perinde timete, quam vosmet ipsos, & tum securos efficietis; secus grandis domum vestram ruina consequetur. Scriptum est enim: si non in timore Domini tenueris te instanter; cito subvertetur domus tua, *inquit Sapiens.*

PARS II.

PETRUS ORATIONEM NEGLIGIT.

Sed ad Petrum, à quo parumper digressi sumus, revertamur. Videamus: quid porro agat? An Christi imperio Orationi vacet? Vacasset; si non dormitasset. Invenit eos dormientes.

I. Prothasis narrationis medium continens. *Posteaquam Christus discipulos periculi admonuisset: tum è monte Oliveti delapsus, venit ad villam, quæ dicitur Gethsemani, seu torcularis olei, ad radicem montis olivarum collocati. Hic assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, Joanne nimirum, & Jacobo, reliquis vero tantisper in villa considere jussis, secessit in hortum ora-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

oraturus. Et confestim cepit algere, pavere, tædere, sudare, & mœstus esse. Tristis est *(inquit)* anima mea usque ad mortem. *At quoniam sciverat præsentissimum superandæ tristitiæ remedium esse orationem: idcirco ad discipulos conversus, ait: sedete hic, & vigilate, sed una orate, ut non intretis in tentationem. Ipse vero ad lapidis circiter jactum progressus, prostrato in terram corpore, procidit in faciem, ardentibus æternum Patrem precibus obtestatus: Pater! si possibile est, transeat à me calix iste; attamen non mea; sed tua voluntas fiat. Transiitne? neutiquam. Quid igitur? Domini Angelus apparuit, qui sanguineo sudore diffluentem confortaret. Interea interrupta semel, ac iterum, oratione, ad Discipulos revertit, ut videret, quid agerent? an vigilarent? an orarent? Et ecce!* invenit eos dormientes. *Quid Christus? O Simon! Simon! ergo dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? En! gravissima caput in tuum ingruit tempestas: ergo dormis? Hanc oratione depellendam haberes: ergo dormis? Ecce appropinguat, qui me tradet: ergo dormis? surgite, quid dormitis? vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Sed frustra est: dormiunt: erant enim oculi eorum magnopere somno, & torpore jam gravati. Interim Christo, sic adhuc loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, cum turba multa, Christum comprehensura. Quid Petrus? tutusne Magistrum? & quidem gladio. Nam servi summi Sacerdotis auriculam amputavit; quam tamen Christus illico consanavit; gladi-*

dium vero à Petro recondi jussit; ipse autem captus, ac tentus ad summum ductus est sacerdotem. Quo viso confestim discipuli pannico veluti timore perculsi, relicto eo fugerunt omnes. *Etiam Petrus? sic est: etiam Petrus. O Petre! quo fugis? siste! siste! memento veteris promissi: etsi omnes scandalizati fuerint in te; ego nunquam scandalizabor. Ergo tam cito magni illi spiritus, generoso de pectore, in fumum abiere?*

II. Apodosis continens doctrinam moralem. *Ita vero, chari* Auditores, *abierunt. Quemadmodum enim communi medicorum consensione, humano è corpore, maxima spirituum animalium pars somni tempore, cum homines dormiunt, exspirare solet; ita animæ spiritus fervor, cum dormitur, cum stertitur, cum oratio negligitur, cum res divinæ contemnuntur; tum maxime dissipatur; quo dissipato anima, ad obsistendum infirmior reddita, graviore tentatione exagitata, facillime collabitur.* Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *Oratio est præsentissimum mali cujuslibet avertendi, & vincendæ tentationis adjumentum.* Tristatur quis vestrum? *ait Jacobus Apostolus:* oret. *Tentatur quis vestrum? dico ego: oret. Quemadmodum oratio tristem, & infirmum; ita salvabit tentatum. Tentabatur Christus: quid egit? oravit. Et ecce! oranti Angelus domini spectabilem se præbuit, ut graviter tentatum confortaret. Tentabatur Paulus: quid consilii suscepit? ter Dominum rogavit. Et ecce! confestim audiit:* sufficit tibi gratia mea. *Oratio mentem illustrat, ani-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

mum corroborat, cor inflammat, Deo conjungit, gratiam impetrat. Ascendit oratio *(ut ait Augustinus)* & descendit miseratio. *Re nulla perinde ad misericordiam præpotens flectitur Deus; ac oratione. Vigilate ergo, & orate, ut non intretis in tentationem. Utinam hoc egisset Petrus! nunquam triste nobis exemplum præbuisset: virtutem quamcunque solidam, neglecta oratione, facile in tentationibus gravioribus prolabi posse.*

III Digressio moralis ad Auditores. *Jam si Petrus tam dilectus Christo discipulus, qui primos inter vocantem magistrum est secutus, cui cœlestis Pater tanta cum luce arcanum Divinitatis mysterium revelavit, qui hanc ipsam cæteris coram discipulis tam alacriter, ac glorioſe est confessus, qui tanta claritate vidit eam sibi in monte Thabor ostensam, qui electus est in lapidem fundamenti, pro sancta Christi Ecclesia ponendi. Si ille, inquam, Petrus, neglecta oratione, huc est prolapsus, ut non vinctus à militibus, non jure conventus à judicibus, non tortus à lictoribus; sed à vili solummodo ancilla interrogatus:* & tu cum JESU Galilæo eras? *primum mendaciter negare: postea abjurare: demum sacrilege ceperit detestari: quia non novi hominem.* Quid *jam ego de vobis spondere debeam chari Auditores? qui, nulla istiusmodi gratia instructi, innata socordia, rem omnem divinam negligitis: Dei templa parum, vel nulla cum religione, aditis: divinum verbum sacris in concionibus contemnitis: sanctissima Christi sacramenta raro admodum, vel frigide, nullo propemodum pietatis*

sen-

sensu, suscipitis: quid, inquam, de vobis expectandum habeo? *Illud projecto Sapientis:* in pigritiis humiliabitur contignatio. In pigritiis: *id est: in hac spiritus acedia, in hac orationis negligentia, in hoc rerum divinarum tepore, vel potius frigore,* humiliabitur, *id est: à DEO gratiis suis destituetur, derelinquetur, grandiora in peccata prolabi sinetur* contignatio vestra. *Vultis, ut bonus hanc ruinam à vobis avertat JESUS?* Vigilate, & orate: *pristinum spiritus fervorem crebriore, & ardentiore oratione revocate: divinis mysteriis, sæpius, ac religiosius susceptis, arctius cum Deo vos conjungite, ut non intretis in tentationem.*

PARS III.

PETRUS PONTIFICIS ATRIUM INCAUTUS ADIT.

Intravit hanc Petrus: quoniam, neglecta oratione, Pontificis atrium incautus adiit. Hic finis est acediæ, hic orationis negligentiæ, ut temere peccati pericula adeantur, in quibus viri etiam consummati cum Petro postea prolabuntur.

Prothasis complectens narrationis finem. *Dilapsis fuga discipulis, Petrus, cæteris audacior, & curiosior, animum parumper collegit, & Christum magistrum remotior sequebatur:* Petrus autem sequebatur à longe. *Petre! ergo eminus, & non cominus Christum sequeris?* *Et quidem sequeris, non ut ei commoriaris, quod spoponderas; verum ut curiosius finem aspectares,* ut videret finem. *Ubi illa generosa*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

promissa: etiamsi oportuerit me mori tecum? En! jam adest tempus: Petre! Si vir es; promissi tui fidem libera: non longe, non longe; sed prope Christum sequere, ut propior factus certius cum Christo commoriare. Actum est! deficientibus orationis negligentia animæ, & corporis viribus, Petrus debilior jam effectus, non poterat Christum prope sequi; sed è longinquo: sequebatur a longe. Et quod deterrimum est: in ipsum, quorsum minime sequi debuisset, Pontificis atrium sequebatur. Quid agis Petre? quo progrederis? atrium, quod subis, plenum est periculi. Nescis vero: qui amat periculum, peribit in illo? Est proxima lapsus gravissimi, propediem futuri, occasio: hanc devita. Ut porro devites, cito, cito, egredere: quemadmodum egressus est Joannes; & salvus eris. Fuit salvus; verum prius grandi peccato semel, ac iterum, ad vocem ancillæ percunctantis: & tu cum JESU Galilæo eras? turpissime Christum abjuravit: quia non novi hominem. O Deum immortalem! Ergo Petre non novisti hominem? quem tres abhinc annos, relictis retibus, confestim secutus es, quo cum amice quotidie versatus es, cujus divinitatem palam professus es, cujus gloriam in monte Thabor expertus es. Hunc tu non novisti hominem? qui te de medio maris eripuit, qui tuos paullum ante pedes lavit, qui te suo pretioso corpore pavit. Hunc tu non novisti hominem? quem à cœna in hortum Gethsemani secutus es, amputata Malcho auricula gladio tuitus es: hunc tu non novisti hominem? O Petre! macte animo!

quid

quid metuis? quæ te percunctatur, est mulier, est ancilla; imo si Caiphas, si Pilatus, si Annas forent; noli tamen metuere; sed veterum memor promissorum te Petram, id est: virum proba, dic audacter: ita est: cum JESU eram Galilæo; quid tum postea? En! promptus cum eo, & pro eo, si vobis libet, vitam ponam. Hoc certe Petrus, si firma suis in promissis petra fuisset, & dicere, & agere debuisset. At quoniam oratione, unde omnem haurire firmitatem debebat, neglecta, infirmior redditus fuerit; haud jam miror, quod Pontificis atrium temere sit ingressus: illic ancillis, calonibus, servitiis, ultimæ hominum feci, ad focum permixtus, amatum adeo magistrum jure jurando sit execratus: quia non novi hominem.

II. Apodosis continens applicationem ad doctrinam moralem. *Ista est, chari Auditores, pravarum vis occasionum, ut vel ipsas petras, id est: piissimos, & sanctissimos persæpe viros, in peccati pericula temere semet conjicientes, à probitatis tramite abducat. Nunquam certe* Salomon, *vir inter natos hominum sapientissimus, à vero Dei Maximi cultu ad idola deflexisset; nisi Moabitarum mulierum pessimæ consuetudini semet implicuisset. Nunquam* David, *vir secundum cor Dei, ut sacræ loquuntur literæ, tam fœdo adulterii, & homicidii scelere semet contaminasset; nisi à somno consurgens meridiano, è palatii atrio Bethsabæam, tum forte se lavantem, curiosius aspexisset. Nunquam* Dina, *ad urbem Salem appulsa, violatæ pudicitiæ detri-*

CAPUT II. ARTIC. III. §. II.

mentum feciſſet; niſi vana curioſitate, ut videret mulieres regionis illius, incauta urbem ingreſſa fuiſſet. Nunquam denique Petrus (ut ad eum revertamur) Chriſtum abjuraſſet; niſi pari cum Dina curioſitate actus: ut videret finem, Pontificis atrium temere ſubiiſſet.

III. Digreſſio moralis ad Auditores. Diſcite ergo, chari Auditores, diſcite, ex hoc, tam funeſto, Petri exemplo, prava temere non adire pericula. Sunt hæc certiſſimi ſalutis ſcopuli, ſunt Syrtes infames, in quas ſi animæ veſtræ navem impelli contigerit; quantumcunque ſit firma, ſit robuſta, luculentum naufragium patietur. Atque utinam non jam perſæpe hactenus etiam perpeſſa fuiſſet: in hac noxia mulierum familiaritate, quam etiamnum fovetis. In hoc peſſimo pravorum ſociorum conſortio, quod periculoſe initis. His in cœtibus, quos frequentatis. In his luſibus, quibus non ſine fortunarum jactura indulgetis. Utinam, ajo, utinam non crebrius perpeſſi fuiſſetis!

EPILOGUS

Continens brevem orationis repetitionem motui ac digreſſioni morali permixtam.

Quid reſtat Auditores? hoc unum: ut quemadmodum Petrum ſecuti eſtis peccantem; ita modo ſequamini pœnitentem. Secuti eſtis peccantem: cum ſuperbe viribus veſtris præfidiſtis, inveterata acedia orationem neglexiſtis, inſana temeritate proximas peccati occaſiones adiiſtis. Sequimini jam pœnitentem. Ut primum Petrus Chriſtum abjuraverat, continuo Gallus cantavit; JESUS au-

autem oculis, amore pleniſſimis, Petrum reſpexit; Petrus vero, recordatus verbi JESU, quod ante dixerat, prius, quam Gallus cantet, ter me negabis; confeſtim foras egreſſus, flevit amare. Ite & vos, ite, chari Auditores, *ſuperbam, qua hactenus acti eſtis, deflete præfidentiam. Ite, & inolitum, quo hactenus laboraſtis, deflete torporem. Ite, & veſanam, qua perſæpe in peccandi pericula irruiſtis, deflete temeritatem. Hoc à vobis benigniſſimus, qui cum Petro clementiſſimis gratiæ ſuæ oculis vos hodie reſpexit, JESUS depoſcit. Nolite vocanti renuere; verum ſuperbam (ut dixi) præfidentiam deponite, novum ſpiritus ſervorem induite, omnes peccati occaſiones fugite, verbo:* vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *Nec enim virtus ulla tam firma eſſe poteſt, quæ ſi acrioribus exagitetur tentationibus, ut non facile cum Petro proſterni queat. Amen.*

ARTICULUS IV.

DE ORATIONE SACRA MORALI IN GENERE MIXTO

§. II.

Præcepta orationis ſacræ moralis mixtæ.

ORationem ſacram moralem *mixtam* nomino, quæ ex principe ſuo fine, *morale* quidem argumentum tractat; ſed una alterum orationis genus, verbi cauſa: *catecheticum, paraphraſticum, polemicum,* denique

CAPUT II. ARTIC. IV. §. I.

panegyricum, admixtum habet; ita ut pars *polemica*, aut *panegyrica*, præeat; *moralis* vero consequatur: vel, quod in *panegyribus* esse potest, pars *moralis* præmittatur; *panegyrica* autem sequatur. At de his jam egimus hoc Tomulo posteriore. Duo adhuc modi supersunt, festis maxime Sanctorum diebus, multum profuturi.

I. Misceri potest concio moralis cum panegyri in modum *concionis historicæ*. Deligatur thema morale cum sua morali pariter partitione; verum Sancti, eo die celebrandi, facto, & exemplo: in *initium*, *medium*, ac *finem* diviso, congruente. Singulæ partes confirmentur primum narratione panegyrica, tanquam prothasi; postea doctrina morali, tanquam apodosi; demum fiat digressio moralis. Aut si partitio sit panegyrica; ex Sancti exemplo, in *initium*, *medium*, & *finem* diviso, deprompta; hanc eodem, ut nunc memoravi, modo confirmabis.

II. Alter modus in hoc positus est: constituitur thema cum partitione morali; iterum Sancti, eo die celebrandi, virtutibus congruente. In exordio agitur brevis, vel etiam paullum fusior, Sancti memoria, in ingressu, aut in descensu, vel in propositione, aut in introductione, vel denique in invocatione, ut libuerit Oratori, vel argumenti ratio admiserit. In confirmatione singula moralis partitionis membra, postquam argumentis *moralibus* rite fuerint probata;

exem-

exemplo, & rebus, à Sancto gestis, brevius, vel fusius adferendis, confirmentur. In epilogo poterit Orator per *apostrophen* Sancti patrocinium implorare, ut in virtutis, pro concionis argumento assumptæ, studio, nobis adesse, gratiam, & opem à Deo velit exorare. &c. Sed hæc clarius patebunt paradigmate.

§. II.

Paradigma concionis moralis mixtæ.

PRimi modi idea facile patet ex paradigmate *concionis historicæ* paullum ante allato. In alterius modi exemplum damus sermonem *Josephi* (a) *Bordoni*, Oratoris Itali, dictum octavâ Corporis Domini, in festum S. Aloysii diem incidente.

ORATIO.

Sententia Sacra: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet; & ego in illo.* Joan. 6. v. 57.

Thema concionis: *Frequens sacra communio est adjumentum efficacissimum.*

Partitio thematis: 1. *Ad vitam sancte exigendam.* 2. *Ad mortem tranquille obeundam.* 3. *Ad beatam æternitatem certius consequendam.*

EXORDIUM.

Ingressus à sensu sententiæ sacræ. *Utinam tandem aliquando feliciter eveniret, ut quem-*

a) *Tomo terzo, anno quinto, discorso CLII. nell' ottava del Corpus Domini, correndo la festa di S. Luigi*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

admodum DEUS totus vult esse hominis; ita homo totus vellet esse Dei. Ad hanc animorum, cordiumque, unionem obtinendam, videte, quorsum progressa est summa Divinissimi benignitas Servatoris? Adornavit ille cœnam, hactenus certe inauditam, qua sacratum suum corpus in cibum, sanguinem vero in potum nobis dedit. Accipite & manducate, hoc est Corpus meum. Quasi diceret: ut meus è corde meo, ac vestro cor unum, & animam unam faceret amor; hoc corporis, & sanguinis convivium apparavi: accipite ergo, & manducate: qui enim manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Quo quid pulchrius, grandiusque potuit invenire?

Descensus ad contrarium: Et tamen, quis credidisset? complures reperiuntur Christiani, quibus hæc divina ita dissipit mensa, ut rarissime adeatur; quasi vero in hac Christi nobiscum unione, nihil emolumenti positum haberemus. Scio me, chari Auditores, haud levem pio vestro gustui injuriam illaturum; si de vestra dubius pietate, corruptum vel uni alicui palatum esse judicarem. Si tamem, quod superi prohibeant! vestrum aliquis malo isto affectus esset; discat hoc vespere damna sua ex ingenti, qua se privat, utilitate metiri; cum ego, tam ad excitandum in eo, qui non habet; quam ad conservandum in

Gonzaga della Compagnia di Gesu 21. Giugno. Hanc latinam reddidit Valentinus Keri, de Societate nostra Sacerdos, tum Scholasticæ Theologiæ publicus Cassoviæ Professor.

in eo, qui habet, hujus mannæ cœlestis desiderium, bona potius, quibus nos cumulat, quam ejus pretium, sumo expendendum.

Partitio cum propositione. *Adsistat hoc vespere vobis, mihique peculiari suo lumine bonus ille JESUS, quem hic flexo poplite præsentem adoramus, & vires, animosque sufficiat, ut, accenso in cordibus nostris ardentissimo sanctissimi hujus cibi desiderio, grandi ejus amori respondeamus. Faciet hoc, haud dubito, qui sub sacratissimis his signis omnem nostræ felicitatis fontem occulit, faciet, inquam, ut cognoscamus omne nostrum animæ commodum, seu in vita, seu in morte, seu in æternitate, in frequenti sacræ communionis usu esse collocatum. Et quidem, si vita spectetur, frequentia sacræ communionis est adjumentum efficacissimum ad eam innocenter traducendam: quod prima orationis parte expendemus. Si spectetur mors, frequentia sacræ communionis est adjumentum efficacissimum ad eam tranquille obeundam: quod altera orationis parte videbimus. Si denique beata spectetur æternitas, frequentia sacræ communionis est adjumentum efficacissimum ad illam certius consequendam: quod tertia orationis parte prosequemur.*

Invocatio aperta. *Tu vero magne* Aloysi! *qui summa semper Angelici hujus cibi fame tenebaris, quem fons iste dulcissimis gratiarum consolationibus non tam perfundebat, quam inundabat. Tu, inquam, qui prægrandi amoris incendio fervidas cordis tui flammas magis inde, magisque semper suscitabas; impetra, oro, ut, die*

hono-

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

honoribus tuis consecrato, discamus Eucharistica mensa certam nobis securamque reddere innocentiam in vita: tranquillitatem in morte: beatitatem in æternitate. Inchoemus.

PARS I.

FREQUENS COMMUNIO EST ADJUMENTUM AD VITAM SANCTIUS TRADUCENDAM.

Prima divisionis pars probatur per syllogismum tripartitum. Illud est adjumentum efficacissimum ad vitam sanctius exigendam, quod est cibus, animam corroborans, adversus omnes animæ imbecillitates, vitæ sanctitati inimicas: ut passiones, defectus, peccata &c. Sed sacra Eucharistia, crebrius sumpta, est hujusmodi cibus: ergo &c. Omissa majore sola minor tractatur per collectionem oratoriam.

Minor syllogismi. *Nihil crebrius evenit* Auditores, *ac ut Christiani de sua animi imbecillitate queri audiantur. DEUM immortalem! (ita suum non pauci dolorem promunt) ægre jam novimus, qua ratione pedes sint regendi? quomodo à lapsu cohibendi? Pravæ inclinationes vi majore semper, & majore, nos in mala propellunt. Passiones (ut vulgo dicimus) indicto acerbiore in dies bello nunquam inducias præbent: semper alieniores à virtute, semper instabiliores in bono, semper viribus magis exhausti viam divinorum mandatorum tot ferme casibus, quot passibus, infeliciter consignamus. At queruli hi mortales si perinde*

morbi

morbi sui originem, & radicem vellent resecare; quemadmodum ejus naturam belle norunt; agnoscerent profecto hanc suam imbecillitatem non aliunde, quam ex defectu necessariæ refectionis ortum trahere. Certe hi cum Propheta (a) *perinde dicere possunt:* percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. *Non ea hi procul dubio laborarent virium imbecillitate, ac defectione, nec casus adeo frequentes viderentur; si convivium istud frequentarent, in quo cibus fortium animabus dispensatur.*

Ratio minoris. *Et sane nil dubii esse potest: Christum ea de causa se nobis dare voluisse in cibum; partim ut intelligeremus: animam hoc pane nutritam eas participare qualitates, inde vero illum accipere vigorem, sine quo divinior gratiæ vita conservari nunquam potest. Partim, ut cognosceremus: quemadmodum cibi corporei parum admodum corpus adjuvant; nisi frequentius sumantur; ita è cœlesti hoc manna, saporem omnem continente, quod divinus hominum saluti amor apparavit, nunquam inde, duraturam longius, sperare nos posse utilitatem; nisi cibus iste divinissimus crebrius usurpetur. Si frequentiæ hujus nullum nos tædium ceperit; evanescent profecto morbi illi, qui animam reddunt languidiorem: infundetur spiritui vigor ille, qui solus vires sufficit necessarias ad curriculum virtutis, ac vitæ sanctius emetiendum.*

Ratio

a) *Psal. 101. v. 5.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. 1.

Ratio rationis. *Id vero ita evenire luculentum est: cum divina hac in mensa ipse gratiæ cœlestis author, boni omnis principium, fons, & origo virtutis, omnium denique fodina donorum nobis præbeatur. Nonne sanctum Christi corpus est summa puritas? extinguet igitur in cordibus nostris fœdum perversæ concupiscentiæ ignem, qui nos consumit. Nonne summa est innocentia? evertet igitur regnum peccati, quod tyrannicum in nos exercet imperium. Nonne summa est sanctitas? tranquillabit igitur pravas animi nostri motiones, purgabit affectus, suffciet robur, adversus vim malorum habituum inveteratam, vires tentationum, & illicia fraudulentarum voluptatum.*

Exornatio rationis. 1. Ab exemplo primorum fidelium. *Non aliunde certe, quam ex crebriore cibi Eucharistici usu, suum traxit vigorem, & robur, heroica illa primorum Christianorum virtus, de quibus divus memorat Lucas, sanctique Patres communi consensione atteștantur*: erant perseverantes in communicatione fractionis panis. *Hinc accipiebat vires charitas illa, quæ corda omnium in cor unum, & animam unam adunavit. Hinc modestia illa, quæ mores eorum mirum quantum exornavit. Hinc firmitas illa, qua cum de tyrannide, de morte, triumphos reportarunt,* 2.) Ab exemplo Aloysii. *Atque ne procul ad sæcula discedamus remotiora, cui, oro, debebat cibo, quam Eucharistico, Aloysius suam illibatam innocentiam? Cui fervorem ardentissimum? Cui unionem cum DEO nunquam inter-*

interruptam? Ex hoc paradisi nectare, quem fugebat, oriebatur dulcedo illa, quæ mentem ejus inundabat. Ex hoc misericordiæ solio tot propitia recepit responsa, quot libelli supplices ab eo sunt porrecti (a). *Non ergo mirum esse videatur, quod divini hujus cibi usum, tanquam negotium maximi ponderis, ac momenti, attenta nunquam cessârit mente cogitare.* 3. Ab exemplo & communi hominum usu. *Ac ut de veritate, quam explano, plene convincamini; hæc ipsa, quæ vivimus tempora, in memoriam revocate. Dicite, Auditores, an non sit compertum: ex tanto, qui se Deo penitus regendos tradiderunt, hominum numero, nullum omnino esse, qui non simul frequentem sacri hujus cibi usum apud animum constituisset? Et quæ hujus causa? Non alia profecto, ac quod persuasum mente habeant: neminem ullum posse vivere remotum à Sacramentis, ut simul à vitiis remotus foret? An non verum: ex omnibus illis, quos nostis esse viros, probitate, justitia, DEI timore conspicuos, nullum esse, qui sacrum altare non frequens adiret? Hoc vero qua de causa? Non alia enimvero, ac quod laudabilem hunc morem vitæ probioris judicent esse fundamentum. Amplius dico: an non verum: omnes illos, qui constantem crebrioris sacræ refectionis morem habent, vitam plerumque ducere innocentiorem, ad recti leges exactiorem, formandis aliorum moribus multo opportuniorem? Sunt hi in audiendo Dei verbo assidui: sunt in pauperes munifici:*

sunt

a) *Possunt etiam diffusius Sancti acta tractari, ut monuimus in præceptis.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

sunt propagandi honoris divini cupidissimi: sunt salutis negotio intentissimi. An non verum, quod ajo? 4. Ab usu contrario hominum improborum. *Contra: videtisne crebrius pasci hoc cibo Eucharistico illos solutiores vitæ adolescentes, qui nihil præferunt amplius religionis, quam ne athei esse credantur: homines illos morum exemplo prorsus noxios, qui Christianos inter vitam ducunt Epicuream: fœminas illas vanitatis sacrificulas, quarum omne studium est luxus: omnis cura sunt inventa novitia: omne gaudium sunt prava mundi oblectamenta? Videtisne, inquam, hoc cibo eos sæpius uti?* Quin imo, *vel idcirco, quantum possunt, abstinent: quoniam bene norunt vitæ licentiam cum frequentiori divinorum mysteriorum usurpatione nequaquam conjungi posse. Unde sua ipsorum contestatione palam faciunt: se agnoscere crebrum Eucharistiæ usum unicum esse vitæ sanctius exigendæ adjumentum.*

Confutatio. *At dicetis fortasse: sunt, qui divino hoc pane frequenter admodum vescuntur; nec tamen idcirco probiores efficiuntur. Verum ajo: si rarius vescerentur, multo forent deteriores. Ajo: quousque hunc sanctum retinent morem, bene de illis sperandum esse; at quamprimum ab eo discesserint, merito metuendum. Ajo denique: si gravior culpa non obstiterit, hujus divinissimi gratia Sacramenti novas semper vires iis est suffectura; ut vitam malam in bonam; bonam vero in meliorem valeant commutare.*

Complexio I. partis cum digressione. *Hoc si ita? Ite jam Christiani, queramini, si libet,*

libet, verum de vobis, non de malo vestro, qui remedium, in promptu habendum, negligitis, & repudiatis. Male profecto suam gemit paupertatem, qui ad fodinam, unde ditescere posset, sub oculos positam, manum exporrigere dedignatur. Frustra suos accusat ardores sitibundus; si fonti, unde recreetur, nolit labra admovere. Ah homo animalis! quos, quantosque castæ puritatis affectus, cordi ingestos, perjent sceres; si intemerata Christi Servatoris carne sæpius vescereris. Ah homo mundo dedite! quam cito arcta illa, quibus terræ huic attineris, vincula solverentur; si cœlesti hoc manna crebrius pascereris. Ah animæ tepidæ! quibus non flammis corda vestra exardescerent; si crebriore hospitio DEUM illum exciperetis, qui se ignem gloriatur esse consumentem. Ignis consumens. *Vos vero, chari* Auditores, *quos nulla major cura tenet, ac vivere sancte, vivere in gratia, vivere DEO conjunctos, pergite, oro, pro pio more vestro, & pulcherrimo* Aloysii *exemplo, non ferventer modo, sed crebro etiam, sacro huic convivio, adeo necessario, adsidere. Prohibeant superi, ut dolosus reverentiæ prætextus ab eo vos abducat! Quid enim aliud hoc esset, ac vano falsæ humilitatis obtentu fovere superbiam: desiderio majoris puritatis fieri magis impurum: specie exigui meriti, ac dignitatis, novarum accessione culparum reddi semper indigniorem. Volo equidem, ut hac in re prudentis conscientiæ arbitri consilium exquiratis: at una, quantum vos attinet, volo, ut cibus hic divinissimus sit vestrum ferventissimum desideriorum de-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

siderium: sit maxima omnium curarum cura: sit constantissima omnes inter consuetudines consuetudo. O dilectissimi! fierine potest, ut male vivat, qui vivit ex DEO, qui vivit cum DEO, qui vescitur DEO, qui cor unum, & animam unam efficit cum DEO?

Affectus apertus. *Ah amantissime Redemptor! accende, obsecro, in frigido hoc corde meo ardens tui desiderium! Fac, ut nil perinde, quam te frui, concupiscam! Scio equidem me dignum haud esse, ut merear suscipere DEUM tam magnum, tam purum, tam sanctum. At istud etiam scio, te neutiquam spectare merita mea; sed tuum amorem, tuam bonitatem. An ergo cum tu me convenire desideras, ego tam grandem convenam hospitio excipere abnuam? Absit O chare JESU! nimiumquam necessarius mihi es, ut tecum vivam. Per tua igitur sanctissima, quæ venerabundus adoro, pedum vulnera, auge, oro, in anima mea divini hujus cibi famem, ut te sæpius recepto, obtineam cum Aloysio, Juvene vere sanctissimo, & Angelico, gratiam sanctius vitam instituendi, per eam vero sanctius institutam assiduo sim comparatus ad te crebrius recipiendum.*

PARS II.

FREQUENS COMMUNIO EST ADJUMENTUM AD MORTEM TRANQUILLE OBEUNDAM.

Altera divisionis pars rursum probatur syllogismo tripartito: Illud est adjumentum ad mortem tranquille obeundam, quod efficit,

efficit, ne mortem timeamus; sed hoc facit crebrior sacræ communionis refectio; ergo &c. Prætermissa iterum majore, sola minor pertractatur, in modum chriæ.

Minor syllogismi exemplo Scripturæ exornata. *DEUS electum Israelis populum ad exitum de Ægypto apparaturus, jubet agno vesci sacrificato. Elegans enimvero typus, & imago apparatus illius, quem præmittere unumquemque oportet, futuræ illi migrationi, quam ex hoc mundi exilio, ubi vitam tot ærumnis pressam agimus, serius, aut citius, certo tamen, sumus inituri. Agnus ille, in sacrificium oblatus, est Christus JESUS, qui in sanctissimo Eucharistiæ sacramento æterno Patri in victimam incruentam quotidie immolatur. Qui hoc agno crebrius pascitur, speret omnino, ut felicem, omnisque perturbationis, ac timoris expertem, etsi invito inferni Pharaone, transitum ex mundi hujus Ægypto ad terram promissæ beatitatis consequatur.*

Testimonium. *Et hac ipsa de causa docet* Paschasius *apparatum à Christo fuisse hunc vitæ cibum, ut eo refecti, generoso animo, omnem mortis horrorem contemnamus.* Ad hoc immortalitatis præstitit alimoniam; ut mortem non timeamus, *inquit* Paschasius. *Et vero si ad bene, tranquilleque moriendum, multum confert mortem non metuere; quis melius, quis felicius, quam Eucharisticus JESUS hunc à corde metum abstergere potest?*

Simile Biblicum. *Libet rei huius ex sacris literis symbolum audire? En illud, quod ter-*

CAPUT II. ARTIC IV. §. II.

tio Regum libro memoratur. Elias metu mortis ab Jezabella, muliere impia, intentatæ perculsus, noſt ſne unde reſumpſerit animum? E panis refectione ab Angelo miniſtrati. Comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius (a) Panem iſtum Euchariſtiæ typum fuiſſe nemo ullus ſacrorum interpretum in dubium audet revocare. Quid? quod ſacer textus panem hunc coloris cinericei fuiſſe dicat; videtur hac ipſa re luculente oſtendere: ut quantum virium ad nos exterrendos habet eo colore menti exhibita mortis cogitatio; tantumdem efficaciæ ad nos animandos habet Euchariſtia, in pane illo adumbrata, quem Martyr Ignatius eapropter mortis (b) antidotum affirmavit.

Cauſa. Et ſane quid metuendi habet mors, ut eum terrore percellere poſſit, qui divino hoc pane crebrius antea veſcebatur? Novi: mortis tempore maximos eſſe inferni conatus; at in hos quod ſcutum tutius eſſe poteſt cibo Euchariſtico? Quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſecuritatis armamus, ait Cyprianus (c). Scio mortem, ab omnibus mundi rebus nos ſeparantem, triſtiſſimum eſſe tempus; at qui fieri poteſt, ut non ſine ullo angore ſeparetur ille, qui conſuefactus eſt quærere DEUM hoc in Sacramento abſconditum; novit vero ſe proficiſci ad eum, ſine velamine, jam in cœlo inveniendum? Scio: præteritorum recordatio criminum ingens homini, in morte poſito, timo-

a) 3. Reg. Cap. 19. b) Epiſt. 14. ad Ephes. c) S. Cyprian. epiſt. 45. ad Corn.

timoris præbet argumentum ; at quomodo suas ille culpas metuat, cui tam amica cum gratiæ authore consuetudo intercessit ? Scio : non modico horrore concutitur, qui recogitat ante districtum DEI Judicis tribunal sibi propediem esse comparendum; at quis Judicem hunc debet timere minus; ac qui illum, suo cordis hospitio exceptum, crebrius est veneratus ? Non est (inquit nomine illius, qui suo pascendus erat DEO, Propheta Regius) non est, inquam, illic timori locus : Dominus regit me, *vel, ut ad rem meam appositè magis cum septuaginta interpretibus legit Doctor maximus :* Dominus pascit me, non timebo non timebo.

Exemplum : ab Aloysio. *Palam fecit Aloysius : quam ab omni mortis metu liber esset. Nam audito, cæteroquin mæsto, mortis nuncio, vel potius divinitus è cælo de extrema vitæ hora, propediem adfutura, edoctus, non modo nullum turbati animi dedit indicium, sed potius tantum præsetulit gaudium, ut religioni posteà sibi duxerit : an non debitos, concepta hac lætitia, limites excessisset ? Inde factum, ut, amicis invisentibus, de morte, velut de re chariſſima, loqueretur. Inde scriptis ad matrem literis rogavit, ut eam sibi, de hoc mundo decedenti, faustam precationem impertiretur ; quam è domo paterna dederat olim discedenti. Inde voce libera, vultu impavido, dulces inter amplexus, omnes supremum amicos salutabat. Inde denique potissimum evenit, ut, quantum licebat, horas integras cum DEO exigeret, corde in affectus ardentes liquescente. Et ut compertum faceret, quod suam animi pa-*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

cem, suum solatium, suum jubilum non aliunde, quam ex numine traheret Eucharistico, quo frequenter admodum pasci in more habebat, paucis ante obitum momentis rursum petiit, & obtinuit, ut charo sibi pabulo iterum refici liceret, vehementer DEUM obtestatus, ut divino Sacramento, in cor recepto, finem vitæ confestim faceret, quam semper duxerat corde in hoc divinissimum mysterium penitus demerso.

Complexio cum digressione morali. *O beatam sortem! O ingentem ejus felicitatem! qui persimili animi pace cum* Aloysio *mori potest. Sortem vero istam perfacili modo & nos consequemur; si eadem, ut* Aloysius, *panis Eucharistici fame teneamur: si ad mensam illam, quam divinus adornavit amor; & nos cum* Aloysio *crebrius accumbamus. An hæc non sufficient ad ferventissimum desiderium in corde nostro accendendum? Quid amplius dici, quid melius potest desiderari? quam remedio tam facili, & in nostra potestate posito, securum, & tranquillum reddere posse iter momenti gravissimi, ac summe periculosi. Verum si mos iste, quem hoc vespere tantopere commendo, sanctum debet facere mortem nostram; debet vicissim mors nostra sanctum facere morem istum. At quomodo? Percipite ex parabola à Matthæo recitata. Apparavit Rex Evangelicus grande convivium filio Principi die nuptiarum. Misit servos partem in omnem, qui copiosos undique convivas congregarent. At quos? An fortasse, qui cæteros sanguinis claritate antecedunt? An qui eminentia honorum, ac munio-*

rum

rum resplendent? *An qui subjectis imperant cum authoritate?* *minime.* Quid igitur? Ite (*inquit*) ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. *Ad exitus viarum ait, quod hoc mysterium?* *Explicat* (a) Albertus, *ob insignem eruditionem magni cognomentum adeptus. Convivium istud, de quo verba facimus, est mensa Eucharistica, à cœlesti Rege adornata. Qui stant ad viarum exitus, sunt illi fideles, qui, mente in mortis consideratione defixa, diem omnem veluti supremum contemplantur.* Illi sunt in exitibus viarum, qui mortem suam jugiter perspiciunt, & qui se credunt, quotidie morituros, *ait Albertus* (b). *H profecto ex vero sunt illi, quos DEUS amat: sunt illi, qui cœlestis sponsi nuptiali convivio accumbere promerentur.* Certe tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur: *inquit* Albertus. *En* chari Auditores, *quid agere debeatis?* *Ad hoc convivium adducere vos debet mortis recordatio: peragenda igitur est omnis sacra refectio, velut ultima foret. Et hoc modo crebritas divinæ communionis nequaquam impediet fervorem; fervor autem magis, magisque jovebit crebritatem.* Qui *persuadet extremum se vesci DEO, proh! quanta humilitate ad eum accedet?* *quanta puritate eum recipiet?* *quo affectu cordi suo adstringet?* *qua fiducia se illi commendabit?* *Peractæ hoc modo, & quidem frequenter peractæ, sacræ refectiones, nonne mortem nostram sanctam reddent?*

a) *Albert. M. Serm. 74.* b) *loco citato.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

nonne diviniſſimus JESUS extremo illo temporis momento ſuis ipſe manibus illam excipiet animam ; quæ illum tam crebro , tanto cum affectu , ſinu ſuo ita hoſpitem accipiebat?

Affectus apertus. *Non ero tam injurius cordi tuo mi JESU! modo tuam mihi interea gratiam impertire , ut debito ſemper fervore te recipiam. Per ſanctiſſima igitur manuum tuarum , quæ maxima demiſſione adoro , vulnera te rogo , ut tuam mihi gratiam præbeas , eo ſemper affectu te recipiendi , quo reciperem , ſi ultimo recipiendum haberem. Quid in morte metuam, ſi ita ſemper nutrivero vitam meam? Ita ergo mi JESU cum velis , ut divinum hoc myſterium ſit aſſidua mortis tuæ recordatio ; fac , ut illud accedam cum aſſidua pariter mortis meæ recordatione , & cum , revocata ſæpius in memoriam morte tua , ſinu meo ſanctum corpus tuum excepero ; tu pariter in morte mea mei recordatus manibus tuis excipias ſpiritum meum.*

PARS III.

FREQUENS COMMUNIO EST ADJUMENTUM AD BEATAM ÆTERNITATEM, CERTIUS CONSEQUENDAM.

Tertia diviſionis pars probatur ſyllogiſmo tripartito. Quod nos certiores reddit de ſalute , & beata æternitate obtinenda, illud eſt adjumentum ad eam certius obtinendam. Hoc facit frequens ſacra communio , ergo. Minor probatur per chriam , non qui-

quidem integram, & ordinatam, sed per aliquas tantummodo ejus partes, [ut docuimus Tomulo (a) priore.] nimirum per testimonium, per causam, per simile, per exemplum. CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

Major. *Quanto perfunderemini solatio*, Auditores, *si vos hoc adhuc vespere, prius, quam pedem ex hac æde efferretis, certiores de salute, ac beata æternitate redderet DEUS? Quam animo prorsus contento domos vestras repeteretis? Quam grandes immortali DEO gratias ageretis? Certe præ gaudii magnitudine quasi à vobis alienati, illud cum Psalte (b) Regio identidem geminaretis*: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus.

Minor. *Lætemini ergo*, ô chari Auditores! *lætemini! quotquot divinam Christi mensam frequentatis.* Probatio minoris 1. à testimonio S. Patris. *En! novum istud nuncium, quod vel unum omnes vitæ vestræ ærumnas dulces reddere potest, fert vobis* Laurentius Justinianus, *qui in piissimo sacræ hujus cœnæ usu quoddam agnoscit indicium, quod non decipit: quoddam præsagium, quod non fallit.* Notissimum æternæ felicitatis indicium, & divinæ miserationis præsagium certum, *inquit (c)* Laurentius Justinianus.

A testimonio Sacræ Scripturæ. *Ac ut cognoscatis certitudinem, quam ille vobis præbet, nullum dubio locum dare, audite: quomodo la-*

a) *Tomul. I. pag. 436.* b) *Psal. 121.* c) *Serm. de Euchar.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

tum de salute vestra decretum ipse Servator subscribat. Christus: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Immo, veluti sola, quantumvis falli ignara, immortalis beatitatis promissione non sat magnum à se præberetur solatium, addit præterea: mensæ suæ convivas, non modo æternam vitam habituros; sed jam nunc eam possidere:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *At dicetis: qui fieri potest, ut possideat Regnum, qui exulem vitam agit? quomodo vitam habet nunquam desituram, qui subjectus est morti certo eventuræ? Ita tamen res se habet* chari Auditores.

A causa, similitudine proposita. *Vultisne id compertius habere? si debitor unus aliquis quamdam auri summam deberet, ille vero gemmam, pretio æqualem, in pignus daret: nonne de summa illa adeo securi essetis; ac si illam manu teneretis? Nonne eam pro re, nulli jam periculo obnoxia, haberetis?* En chari Auditores! *pignus gloriæ, ad quam destinati sumus, est hoc divinum Eucharistiæ Sacramentum.* Pignus id esse voluit *(inquit Tridentinum)* futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis. *Frequenti autem ejus usu certam capitis pignoris hujus possessionem: unde certitudo de vestra gloria tanta est, ut tametsi nondum eam habeatis; possitis tamen dicere: illam à vobis jam teneri. Quamvis enim non eam possideatis in se, possidetis tamen in pignore, gloriæ pretium adæquante.*

A simi-

A similí. *Atque modo intelligere potestis, cur inter veteres legis antiquæ cerimonias, quæ typi, & figuræ erant instituendorum in lege nova mysteriorum, jusserit DEUS mensæ altaris coronam imponi? Volebat enimvero significare: ut filii novi testamenti hoc symbolo firmiter sibi persuaderent: tantundem esse pasci ad mensam Eucharisticam, quantum cælesti corona insigniri: velut ii, qui pro securitate futuri regni ipsum pro obside, ac pignore Regem obtinerent.*

Complexio, & digressio moralis, continens exemplum Aloysii. *Nihilominus tamen*, chari Auditores, *dissimulare haud possum dolorem, quo opprimor, cum recogito tot Christianos parum admodum solicitos esse, ut pignore isto se certos securosque reddant salutis suæ. Pro negotiis mundi, pro lucris familiæ, pro commodis sui corporis, pleni sunt attentione, pleni solicitudine; ut vero securam faciant hac in mensa coronam suam adeo sunt incurii, ut palam asseverent, nullum sibi tempus suppetere de ea vel cogitandi. Ah infelices! nostis ita dimetiri sæculi negotia, ut non obturbent statis vestris conventiculis, consuetis oblectamentis; quod autem negotium majore curandum esset solicitudine, quam felicis æternitatis? à qua tantum receditis; quantum ab ea vosmet removetis.* Qui elongant se à te; peribunt (a). *Ita est, dilectissimi*, peribunt, & *quidem æternum* peribunt: *quoniam sine panis istius frequenti corroboratione viribus destituti, ad omnem tentationis impulsum facile prolabentur.*

a) *Psal. 72.*

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

tur. Peribunt: *quoniam, qui rariſſime hac cœleſti utuntur medicina, ſemper ſuis in morbis elanguescent.* Peribunt: *quoniam neglecto hoc præſidio, quod maximum præ omni alio robur adſerre poteſt, ſuis ab hoſtibus proſternentur.* Peribunt *denique, quoniam non habebunt æternæ pignus gloriæ. Optabunt aliquando admitti ad regnum; verum cum fatuis virginibus repellentur: quoniam* non habebunt vitam æternam in ſemetipſo manentem. *Recedamus igitur quam longiſſime à ruina adeo horrenda per crebriorem ſacri hujus altaris uſum, & acceſſum. Accedamus vero, at quemadmodum acceſſit* Aloyſius: *volo dicere: ea mentis attentione, ea modeſtia, ea fide, eo fervore, quo accedere ſolitus erat* Aloyſius. *O ſuperi! quam clarum, quam jucundum magnus hic Sanctus de ſe exhibebat DEO, Angelis, & hominibus ſpectaculum, cum divino hoc pane cordis ſui famem ſaturaret? Prætereo crebras diviniſſimi hujus Sacramenti ſalutationes, ſacro acceſſui præmiſſas. Prætereo colloquia prorſus familiaria, quibus non in ſe minus, quam in aliis deſiderium accendebat. Prætereo virtutum opera, quibus toto triduo ad recipiendum tantum hoſpitem ſemet comparabat. Dicam duntaxat illum ardorem, quo appetente mortis hora, tantopere ab eo ſuſpirata, unire ſe deſiderabat, huic magno Sacramenti bono. Seraphinum dixiſſes ſancti amoris flammis totum æſtuantem. Totus in ſemet collectus abſorberi videbatur rerum cœleſtium contemplatione tam profunda, ut ignoraturi fuiſſetis, magiſne DEUS eſſet in illo,*

an ille esset in DEO? Hoc tamen certum: in dulci illa DEI cum eo; illius vero cum DEO consuetudine, horas complures eum exegisse; quin animum eo advertisset. Exigebat autem ea mentis contentione, ut viribus corporis exhaustus, magno licet conatu in pedes semet erigere conaretur; haud tamen posset.

EPILOGUS.

Ista, ista fuerat ratio, qua Eucharisticam Aloysius *mensam accedebat. Si usque eo conniti non valemus, in id saltem modicum, quod in nostra situm est potestate, connitamur oportet. Accedamus, si non aliis, bonis saltem desiderus pleni, plura faciendi, quam possimus. Accedamus autem frequenter. Non possumus, credite, non possumus, grandius nobis bonum comparare, nec JESU gustui rem facere gratiorem, quam si frequenter accedamus. Ille ipse nos invitat, ille animat, ille solicitat:* venite, *inquit*, comedite panem meum: bibite vinum, quod miscui vobis. *Venite pauperes; & ego vos locupletabo. Venite afflicti; & ego vos consolabor. Venite infirmi; & ego vos sanabo. Venite chari mei peccatores; & ego vos sanctificabo. Venite omnes; & erit innocens vita vestra: erit sancta mors vestra: erit beata æternitas vestra:* venite, comedite panem meum. *Venite! venite!*

Affectus apertus. *O amor, O ineffabilis JESU mei amor! Immortales tibi gratias ago pro immenso favore, quo me adeo miserum, adeo indignum, adeo sceleribus coopertum prosequeris peccatorem. Meum erat tibi supplicem fieri, ut*

me

CAPUT II. ARTIC. IV. §. II.

me ad divinam mensam tuam admitteres; tu vero prævenis plena amoris invitatione. Ah JESU amantissime! quam ego cuperem, ut mille mihi linguæ, mille corda forent, quibus & gratias dicere, & meum in te amorem possem contestari. O chare JESU! cum adeo sis munificus, unum adhuc supplex à te peto, & quidem peto per vulnus sanctissimum lateris tui, quod toto spiritu venerabundus adoro, concede, oro, ut omni humilitate; omni puritate, omni, qui esse potest, fervore te suscipiam, teque suscepturus æternæ beatitatis mihi faciam securitatem, cujus certissimum in adoranda illa hostia pignus reliquisti. Amen.

Atque hic toti institutioni metam pono, ac una immortales DEO Præpotenti gratias ago, qui tantum mihi virium suffecit, ut opus, ad gloriam DEI, animarumque salutem susceptum, ad calcem, quod semper à DEO optimo maximo precabar, perducere potuerim. Utere nunc Eloquentiæ Tiro hoc altero etiam tenui labore meo, qui si tuum adjuverit, magnopere gratulabor. Illud moneo: vanum Eloquentiæ artificium esse; nisi divinior Spiritus artem animet Oratoris. Cura: ut hunc insigni vitæ probitate, Apostolico animarum, DEO lucrandarum, ardore, assidua rerum cœlestium contemplatione, & ferventi orationis studio, arti tuæ conjungas; & præcellens facer Orator eris. Fias! hoc votum meum, hoc desiderium.

CON-



CONSPECTUS
TOMULI POSTERIORIS.

LIBER I.

De Structura Orationis Sacræ in genere Didactico. 3

CAPUT I. De Oratione Catechetica. 4

ART. I. De Catecheſi generatim. 4

§ I. *Natura Catecheſeos.* 4

§ II. *Neceſſitas Catecheſeos.* 6

§ III. *Materia Catecheſeos.* 7

§ IV. *Forma, & Species Catecheſeos.* 10

ART. II. De prima Catecheſeos ſpecie. 12

§ I. *Præcepta Catecheſeos infimæ.* 12

§ II. *De induſtriis infimæ Catecheſeos.* 24

§ III. *Paradigma infimæ Catecheſeos.* 37

ART. III. De altera Catecheſeos ſpecie. 63

§ I. *Præcepta Catecheſeos mediocris* 63

§ II. *Paradigma Catecheſeos mediocris.* 71

ART.

ART. IV. De tertia Catecheseos specie 87
§ I. *Præcepta Catecheseos grandioris.* 87
§ II. *Paradigma Catecheseos grandioris.* 97

CAPUT II. De Oratione Paraphrastica. 115

ART. I. De Oratione Paraphrastica generatim. 115
§ I. *De Natura Concionis Sacræ Paraphrasticæ.* 115
§ II. *De Homiliis Veterum* 116
ART. II. De Fontibus Paraphraseos 122
§ I. *De fontibus paraphraseos ex locis Sacræ Eloquentiæ propriis.* 123
§ II *De fontibus paraphraseos ex locis utrique Eloquentiæ communibus.* 132
ART. III. De primo dictionis Paraphrasticæ modo. 138
§. I. *Præcepta hujus modi* 138
§ II. *Paradigma hujus modi* 142
ART. IV. De altero dictionis Paraphrasticæ modo. 162
§ I. *Præcepta hujus modi* 162
§ II. *Paradigma hujus modi* 166
ART. V. De tertio Paraphrasticæ dictionis modo. 183
§ I. *Præcepta hujus modi.* 183
§ II. *Paradigma primum hujus modi.* 188
§ III *Paradigma alterum hujus modi.* 203
§ IV. *De reliquis dictionis Paraphrasticæ modis.* 218

CA-

CAPUT III. De Oratione Polemica 219
ART. I. De primo Concionis Polemicæ modo. 220
§ I. *Præcepta hujus modi.* 220
§ II. *Paradigma hujus modi.* 229
ART. II. De altero Concionis Polemicæ modo. 253
§ I. *Præcepta hujus modi.* 253
§ II. *Paradigma hujus modi.* 261
ART. III. De tertio Concionis Polemicæ modo. 285
§ I. *Præcepta hujus modi.* 285
§ II. *Paradigma hujus modi.* 291
ART. IV. De quarto, seu mixto Concionis Polemicæ modo. 317
§ I. *Modi Concionis Polemicæ mixti* 317
§ II. *Paradigma hujus mixti modi.* 319

LIBER II.

De structura Orationis Sacræ in genere Panegyrico. 341
CAPUT I. De Panegyrica Sanctorum Oratione generatim. 343
ART. I. De inventione Panegyrum sacrarum. 344
§ I. *De inventione sententiæ sacræ Panegyricæ.* 344
§ II. *De inventione thematis sacri Panegyrici.* 347
§ III. *De inventione partitionis sacræ Panegyricæ.* 456

ART. II. De dispositione Panegyrum sacrarum. 364
§ I. *De dispositione Exordii Panegyrici* 364
§ II. *De dispositione Confirmationis Panegyricæ.* 365
§ III. *De dispositione Epilogi Panegyrici.* 374
ART. III. De elocutione sacrarum Panegyrum. 378
§ I. *De stylo in Panegyri sacra.* 378
§ II. *De vitiis amplificationis in Panegyri sacra.* 381
§ III. *De modis amplificandi Panegyrim sacram.* 385
CAPUT II. De modis adornandi sacras Sanctorum Panegyres speciatim. 403
ART. I. De Panegyri sacra per argumentationem fundamentalem. 404
§ I. *Præcepta hujus modi.* 404
§ II. *Paradigma hujus modi.* 408
ART. II. De Panegyri sacra per argumentationes particulares. 441
§ I. *Præcepta hujus modi.* 441
§ II. *Paradigma hujus modi.* 443
ART. II. De Panegyri sacra per chriam. 472
§ I. *Præcepta hujus modi.* 472
§ II. *Paradigma hujus modi.* 474
ART. IV. De Panegyri sacra per adjuncta personarum. 510
§ I. *Præcepta hujus modi.* 510
§ II. *Paradigma hujus modi.* 512

ART. V. De Panegyri sacra per adjuncta actionum. 536
§ I. *Præcepta hujus modi.* 536
§ II. *Paradigma hujus modi.* 537
ART. VI. De Panegyri sacra per adjuncta antecedentia, comitantia, consequentia. 568
§ I. *Præcepta hujus modi.* 568
§ II. *Paradigma hujus modi.* 569
ART. VII. De Panegyri sacra per locum Rhetoricum, vel amplificationem. 595
§ I. *Præcepta hujus modi.* 595
§ II. *Paradigma hujus modi.* 597
ART. VIII. De Panegyri sacra allegorica, & parallela. 622
§ I. *Præcepta Panegyris sacræ allegoricæ.* 622
§ II. *Præcepta Panegyris sacræ parallelæ.* 626
ART. IX. De Panegyri sacra pura, & mixta. 629
§ I. *Præcepta hujus modi.* 629
§ II. *Paradigma primum hujus modi.* 633
§ III. *Paradigma alterum hujus modi.* 654
CAPUT III. De reliquis sacrarum Panegyrum speciebus. 671
ART. I. De Oratione sacra Genethliaca. 671
§ I. *Præcepta Orationis sacræ Genethliacæ.* 671
§ II. *Paradigma Orationis sacræ Genethliacæ.* 678
ART. II. De Oratione sacra Eucharistica. 705

§ I. *Præcepta Orationis sacræ Eucharisticæ.* 705
§ II. *Paradigma Orationis sacræ Eucharisticæ.* 711
ART. III. De Oratione sacra Funebri. 745
§ I. *De Funebri solenniore.* 746
§ II. *De Funebri vulgari.* 753
§ III. *De paradigmate Concionis Funebris.* 757

LIBER III.

De structura Orationis sacræ in genere morali. 759
CAPUT I. De Oratione sacra Morali generatim. 760
ART. I. De inventione Orationis sacræ Moralis. 760
§ I. *De sententia sacra Concionis Moralis.* 761
§ II. *De themate sacro Concionis Moralis.* 763
§ III. *De partitione sacra Concionis Moralis.* 765
ART. II. De dispositione Orationis sacræ Moralis. 767
§ I. *De exordio Orationis sacræ Moralis.* 768
§ II. *De confirmatione Concionis sacræ moralis.* 771
§ III. *De digressione morali in complexionibus, & epilogo.* 779

CA-

CAPUT II. De Oratione ſacra Morali ſpeciatim. (a) 781

ART. I. De Oratione ſacra Morali in genere ſuaſorio, & diſuaſorio. 788

§ I. *Præcepta Concionis Moralis ſuaſoriæ, ac Diſuaſoriæ.* 788

§ II. *Paradigma Orationis ſacræ moralis in genere diſuaſorio.* (b) 785

ART. II. De Oratione ſacra Morali in genere dogmatico. 814

§ I. *Præcepta Concionis moralis dogmaticæ.* 814

§ II. *Paradigma Concionis moralis dogmaticæ.* 817

ART. III. De Oratione ſacra Morali in genere Hiſtorico. 836

§ I. *Præcepta Orationis ſacræ moralis hiſtoricæ.* 836

§ II. *Paradigma Concionis Moralis hiſtoricæ.* 841

ART. IV. De Oratione ſacra Morali in genere mixto. 855

§ I. *Præcepta Orationis ſacræ Moralis mixtæ.* 855

§ II. *Paradigma Orationis ſacræ Moralis mixtæ.* 857

a) *In ipſo opere per errorem irrepſit numerus 781. legendus autem ibi eſt 787.*

b) *Rurſum in ipſo opere errore illapſus eſt numerus 785; legendus vero ibi eſt 791.*

INDEX RERUM
TOMULO UTROQUE
CONTENTARUM.

ADMONITIO.

In hoc indice numerus Romanus Tomulum, arabicus paginam significat; quæ autem solo numero arabico notantur, ad Tomulum pertinent priorem; quæ vero Romano, simul & arabico indicantur, Tomuli sunt posterioris.

A

ACademica Sanctorum panegyris quid sit? II. 344. Differt ab Ecclesiastica. II. 344. II. 379.

Adjumenta Eloq. Sacræ. 56.

Adjunctionis figura. 630. ornat partitionem 162.

Adjunctorum locus quid sit? Ejus usus 242. Adjunctorum species 243.

Adjuncta antecedentia, comitantia, consequentia 243. Horum paradigma. 251. Modus per ea orationem amplificandi: exemplum. 688. Serviunt amplificationi panegyricæ. II. 395 II. 399. Instituitur per ea confirmatio panegyrica. II. 568. Ejus exemplum. II. 570. Deserviunt partitioni 154. Genethliacæ. II. 675 Morali dogmaticæ. II. 816

Adjuncta actionum quis, quid, ubi. &c. 250. Exemplum. 251. Modus per ea amplificandi. 689. Exemplum. *Ibid.* sunt fons paraphraseos. II. 136. serviunt Confirmationi Panegyricæ. II. 536. Ejus paradigma. II. 540. Item Epiniciæ. II. 710.

Adjuncta personarum 244 Horum paradigma de S. Aloysio. 254. Fit per ea confirmatio panegyrica. II. 510. Ejus paradigma. II. 512.

Adjuncta virtutum, vitiorum, & affectionum. 248. Per sensus expendenda. *Ibid.* Exemplum 249. Sic expensa serviunt amplificationi panegyricæ. II. 395

Item

Item confirmationi panegyricæ. II.596. Ejus exemplum. II 524
Adjuncta ortus II.367. Vitæ progressus II.368. Mortis. II.371. serviunt argumentis Panegyricis. II.366.
Adjuncta fons partitionum. 152.154.
Admirationis figura: usus. 637. Formulæ. 638. Admirationis affectus excitur in epilogo panegyrico. II.374.
Admonitionis figura: usus. 638. Formulæ. 639.
Adversa quid sint, quomodo usurpanda. 226. Paradigma. 233. *Vide* Opposita.
Adulterare verbum Dei quid sit? 53.
Æmulationis affectus. 354. Excitur in epilogo panegyrico II.377.
Affectus quid sit, quottuplex? 332. leges affectuum. 333. Conveniant auditori. *Ibid.* Ipsi oratori. 334. Orationis generi. *Ibid.* Ex arte tractentur. 335. Ubi? 336.
Affectuum excitandorum fontes, & modi. 336. Per locos Rhetoricos. *Ibid.* Per scripturæ, & Patrum sententias. 337. Hujus paradigma. 341. Per amplificationem oratoriam. 338. Per figuras Rhetoricas. *Ibid.* Per spectacula. 339. Paradigma per omnes hos fontes. 343. Per digressionem moralem instituto examine factam. II.779. Modi hujus, percensentur cum exemplis. II.780 *& seqv.*
Affectus speciatim theorice. 346. Amoris. 347. Æmulationis. 354. Audaciæ. *Ibid.* Commiserationis. 351. Desiderii. 350 Fidei Divinæ. 349. Gaudii. 350. Invidiæ. 355. Odii. 348. Pudoris. 353. Spei divinæ. 349 Timoris. 352.
Affectus speciatim practice. 355. Quorundam paradigmata. 356. Amoris. 360. Fidei divinæ. 356. Fiduciæ divinæ. 358. Timoris. 363.
In affectibus qui excellunt? 355. Itali, nominatim Segneri. *Ibid.* Qui legendi ad affectus tractandos. 356. Exempla affectuum habet Avancinus, & Heimbach. 356. In adversaria conjiciendi. *Ibid.* Jacobus Alvarez affectuum excitandorum argumenta præbet 347.
Affectus qui excitandi in concione polemica, II.229. II.260 Quomodo excitandi? II.260.
Affectus in epilogo panegyrico quales esse possint? II.374. Admirationis. II. *Ibid.* Gratulationis II.374. Lætitiæ II.375 Gratiarum actionis. II.375. Amoris, ac venerationis II.375. Spei, & fiduciæ. II.376. Æmulationis II.377. Denique per digressionem moralem. II.377. Quomodo hæc institui queat II. 629.
Allegoria quid sit? 621. Quomodo, quando adhibenda 622. Allegorica themate non omnia probantur 39. II.350. II.623. Quid in illis servandum. 137. II.350. II.623. Servit argutiis. 608.
Allegorica panegyris quid sit? II.622. Non omnibus probatur. II.623. Quæ illius leges, ut probetur? II.623.
Amoris affectus 347. Ejus pa-

radigma. 360. Excitur in epilogo panegyrico. II. 375.

Amplificatio oratoria quid sit? 680. Quottuplex. 681.

Amplificatio verborum per additionem: modi illius. 681. Per mutationem, modi illius. 683. Per dilatationem 685. Per periphrasim. *Ibid.* Per sensus synonymos. 686. Per definitiones. *Ibid.* Per distributionem. 687. Per adjuncta. 688. Per figuras illustriores. 689.

Amplificatio rerum per modos communes. 691. Per chriam. *Ibid.* Per divisionem, ac subdivisionem. 692. Per locum Rhetoricum. *Ibid.* Per incrementum. 693. Per comparationem: hujus exemplum. 695. Per congeriem: hujus exempla. 697

Amplificatio rerum per modos speciales 699. Per paraphrasim: ejus exemplum. 700. Per similitudinem Biblicam. 702. Hujus exemplum 703 Per exemplum Biblicum: hujus paradigma. 704. Per descriptionem, sive hypothipolim. 705. Ejus exemplum 706. Per difficultates è scripturæ loco: exemplum 709. Per novas difficultates. 711. Hujus exemplum 712.

Amplificatio fons affectuum. 338.

Amplificationis panegyricæ vitia. II. 381. *& seqv.* Illius modi. II. 385. Ex Italis condiscendi. II *Ibid.* Primus modus per sententiam scripturæ. II. 385 Ejus exemplum. II. 386. Per similitudines. II. 387. Ejus exemplum. II. 388. Per comparationes, & figuras Biblicas. II. 388 Ejus exempla. II. 389. Per paraphrasim sacræ sententiæ. II. 390. Ejus exemplum. II. 391. Per veritatem Theologicam, Asceticam, &c. II. 391. Ejus exemplum. II. 391. Per digressionem moralem. II. 393. Ejus exemplum. II. 393. Per locos Rhetoricos. II. 394. Exempla. II. 395. Per figuras, maxime repetitionis. II. 398. Per apostrophen. II. 398. Ejus exemplum primum. II. 400. Alterum II. 402.

Antecedentia, comitantia, & consequentia. *Vide*: Adjuncta.

Antitheseos figura: usus: varie adhibetur: formulæ. 639. Ornat thema. 136. Partitionem 163 Servit amplificationi panegyricæ. II. 394. II. 398. Partitioni panegyricæ. II. 361.

Apparatus Eloq. sacræ. 5.

Apologetica concio quid sit II. 285. Qui eas scripserunt. II. *Ibid.*

Apostrophes, figura: usus: formulæ. 940. Servit amplificationi panegyricæ II. 398 Ornat narrationem. 523. Claulitur ea epilogus 543. Panegyris II. 377

Argumentum quid sit? 172. 432. Argumenta sunt petenda ex locis oratoriis 173. Eorum inde inventio 173. Praxis ea inveniendi ex scriptura. 303. Ex Patribus. 316. Ex Theologia. 323. Quid in argumentis curandum? 432.

Argumenta panegyrica II. 366. Eorum fontes. II. *Ibid.* Leges. II. 371.

Argumentatio quid sit? 432. Ejus species 433.

Argumentatio fundamentalis quid sit? II.404. Modus per eam struendi panegyrim sacram. II. *Ibid.* Concionem moralem. II.767. Paradigma sic constructæ concionis moralis. II.792. Exordii sic struendi modus. II, 768. Praxis hujus modi. II. *Ibid.* Observanda in hoc modo.769.

Argutia quid sit? 593. Earum leges *Ibid.* Non sit crebra, cur? *Ibid.* Sit vera 594. In sacris maxime concionibus. 595. Non sit obscura, unde hæc oritur? *Ibid.* Non sit vilis, aut levis. 596. Ubi adhibetur? *Ibid.* Quomodo dignoscitur an sit recta? 597. In panegyricis sacris unde sumuntur? II.381. Temperate illic adhibeantur. II.380.

Argutia quottuplex est. 397. Argutiarum sublimium fontes. 398. A rebus divinis. *Ibid.* A rebus humanis, sed magnis. *Ibid.* A selectis comparationibus. 599. Ab energia, & emphasi verborum. 599. Ab acribus sententiis. 600. A graviori sacra sententia. *Ibid.*

Argutiarum venustarum fontes. A rebus blandis. 601. A fabulis, & eruditione. *Ibid.* A tropis. 602. Ab oppositis. *Ibid.* Ab alienatis. 603. A similitudine. 604. A comparatione. *Ibid.* A nominis notatione, & conjugatis. 605. A relatis. 606. A diversis allusionibus. 607.

Argutiarum subtilium fontes. 608. A simplicis sententiæ candore. *Ibid.* A brevi allegoria. *Ibid.* Ab animadversione ingeniosa. 608. A moderato paradoxo. 609. Ab inexpectato. *Ibid.* Ab æquivoco. 610. A delicato, & minus obvio laudi modo. *Ibid.*

Arguti styli exempla. Primum. 614. Alterum. 616. Tertium 619.

Artificium in Eloq. sacra sectandum. 7. Cur? 8. In apicem hodie perductum 10.

Ascetæ enumerantur. 65. Sunt fons thematis inveniendi 132. Ascetæ Hungari qui? 66.

Athenagoras Philosophus apologiam scripsit. II. 286.

Attentio in exordio. 371.

Audaciæ affectus. 354.

Auditio præstantium oratorum, quomodo instituenda. 92.

B

Benevolentia in exordio quomodo captanda? 369. Item in concionibus polemicis. II.259.

Brachiorum gestus. 748.

C

Capitis gestus 746.

Catecheseos quid sit, unde dicta? II.4. Obarcani disciplinam sola voce olim tradita. II.5.

Catecheseos materia: hanc suppeditat Catechismus Romanus II.8. Petri Canisii catechismus. II.9.

Catecheseos necessitas. II.6. Ejus cura Episcopis commendata. II. *Ibid.* In linguam vulgarem vertenda, populo a Parochis proponenda. II. *Ibid.* Quos fructus pariat. II.7.

Catecheseos species, & forma triplex: infima. II.10. Mediocris. II.11. Grandior. II. *Ibid.*

Catecheseos infimæ quid sit? II. 10. Ejus themata unde depromenda?

menda? II.12. Partitio unde, & quomodo sumenda? II.13. Varii modi, & exempla eam ordiendi. II.16. Ejus confirmatio II.18. Epilogus II.22. Elocutio II.24. Industriæ illam instituendi. II.24. & *seqv.* Paradigma de homine Christiano Catholico. II.38.

Catechesis mediocris quid sit, unde dicta? II.63. Illius thema. II.63. Partitio. II.64. Exordium, & introductio. II.67. Confirmatio II.68. Epilogus. II. 69. Elocutio. II.70. Paradigma de signo Sanctæ Crucis. II.71.

Catechesis grandior quid sit? II.11. II.87. Ad omne orationis genus referri potest. II.87. Esse potest mixta. II.88. Illius thema. II.88. Conformetur diei Evangelio. II. *Ibid.* Hoc docet Catechismus Romanus. II. *Ibid.* Ejus partitiones. II.90. Fontes, & exempla exordii. II.92. Introductio. II. 94. Confirmatio. *Ibid.* Hæc institui potest per chriam: ejus exemplum II.95. Elocutio II.96. Paradigma de efficacia orationis dominicæ. II.97.

Catechismus Herbipolitanus themata suppeditat. II.13. Partitionum ex eo exempla. II.14. II.19. *Item* II.20. II.21. laudatur II.29. II.31.

Catechismus Romanus ubi editus? II.7. Qua de re, & quomodo tractat? II.8. Ejus indiculus suppeditat argumenta Evangeliis dominicarum accommodata. II.89.

Catechismus Vienensis Ignatii Parhamer. II.29. Utinam in omnibus Hungariæ diœcesibus unus idemque traderetur. II.29.

Catechistæ munus olim magnum II.5. A quibus gestum? II. *Ibid.* Quæ illius industriæ? percensentur. II.24. & *seqv.*

Catechumeni qui sunt? II.5.

Causa quid sit? 16. Causarum genus triplex: judiciale pridem exolevit. 18. *Item.* II. 2. Causæ viscera. 383.

A causis locus quid sit, quottuplex? 259. usus loci. 260. Modus inde argumentandi. 262. Paradigma. 263.

Character Sancti quid sit? II 351. Multiplex in uno Sancto esse potest. II.352. Fontes illum cognoscendi II.353. Characteri congruat sententia sacra panegyrica. II.346. Thema panegyricum II.352. Partitio panegyrica. II. *Ibid.*

Chorepiscopus quid sit? 27.

Chria, modus confirmationis quid sit? quottuplex, quot partes habet? 433. Chriæ praxis. 434. Observanda in praxi. 435. Servit amplificationi. 691. Confirmationi panegyricæ. II. 473. Hujus paradigma. II.486. *Item* Catechesi grandiori. II.95.

Collectio oratoria, modus confirmationis per eam, quid sit? 464. Praxis illius 465. observanda 466. Paradigma 467.

Colli gestus 748.

Comminationis figura 641.

Commiserationis affectus. 351. Figura 641.

Communicationis figura, usus, formulæ 642.

Commutationis figura 631. Ornat partitionem 162. Servit argutiis 603.

Compar figura 632.

Comparatio locus oratorius quid sit, quotuplex? 275. Usus loci. 276. Ratio ornandi locum 278. Paradigma 279.

Comparatio ornat thema 135. Non quævis usurpanda 40. Servit amplificationi: ejus exemplum 695. Affectibus 337. Argutiis 604. Panegyris per comparationem quomodo struenda? II. 626.

Compensatio figura. 660. Ornat partitionem. 164.

Complexio oratoria pars syllogismi quid sit? 446. Omitti potest in oratione: modi illius. 449.

Complexio figura quid sit? 626. Ubi adhibenda? 627. Ejus exemplum 367. 636. Servit affectui, & motui. 627. Amplificationi. 706.

Conceptus scripturæ quales esse debeant? 298. Eorum è scriptura formandorum, modi. 306. *& seqq.*

Concessionis figura, usus. 643. Formulæ. 644.

Concionandi modus hodiernus differt à veteri. 2. Singulis prope sæculis variatus. 3.

Conciones Catecheticæ. Infima: de homine Christiano Catholico. II. 38. Mediocris: de causis, & mysteriis sanctæ Crucis II. 71. Grandior: de efficacia orationis dominicæ II. 97.

Conciones Morales. Dissuasoria: de occasionibus peccandi. II. 792. Dogmatica: de gratia sanctificante. II. 818. Historica: de Petro peccante. II. 841. Moralis mixta: de frequenti communione II. 857.

Conciones Panegyricæ. De S. Aloysio. II. 443. De S. Antonio Patavino. II. 597. De Buda recuperata. II. 712. De S. Catharina V. & M. II. 570. De S. Francisco de Paula. II. 409. De S. Francisco Seraphico. II. 512. De S. Joan. Franc. Regis II. 538. De Josepho Archiduce nato. II. 678. De S. Ignatio Lojola. II. 475. *Item* II. 654. De S. Stanislao Kostka. II. 634.

Conciones Paraphrasticæ. De filio prodigo. II. 142. De Immaculata Conceptione B. V. II. 188. De munere viri Apostolici. II. 203. De tentationibus Christi, & Pharisæorum. II. 166.

Conciones Polemicæ. Contra Calvinianos: Christus in Eucharistia carnem suam vere, ac re ipsa manducandam promisit. II. 230. Adversus Lutheranos: Christi corpus in Eucharistiare ipsa adest non in solo ejus usu, nec cum ipsa panis substantia. II. 261. Contra utrosque: Christus utramque Eucharistiæ speciem populo non præcepit II. 291. Contra solos Calvinianos: Si Calvinus vera docet, Christus fallitur, si contra non fallitur, Calvinus errat. II. 320.

Conduplicationis figura, quomodo adhibetur? 627. Ornat partitionem. 161. Servit loco definitionis 176.

Confirmatio pars orationis quid sit? 432. Quid in ea observandum? *Ibid.*

Confirmationis modi. 433. Per chriam. *Ibi l.* Hujus paradigma. 436. Per syllogismum. 446. Ejus paradigma. 450. Per enthymema. 457. Ejus paradigma.

gma. 459. Per collectionem oratoriam. 464. Ejus paradigma. 474. Per soriten. 480. Paradigma. *Ibid.* Per inductionem. 488. Paradigma. 489. Per exemplum. 495. Paradigma. *Ibid.* Per subdivisiones. 500. Paradigma. 502.

Confirmatio panegyrica hodierna differt à veteri. II. 366. Ejus modi, quotuplices? II. 403. Per argumentationem fundamentalem II. 404. Natura ejus *Ibid.* Praxis ejus II. 405. observanda in ea II. 406. Paradigma. II. 408. II. 474. Per argumentationes particulares. II. 441. Cum subdivisione. *Ibid.* Sine illa. II. 442. Paradigma. II. 443. Per chriam. II. 472. Ejus præcepta. *Ibid.* Paradigma. II. 474. Per adjuncta personarum. Præcepta horum II. 510. Paradigma. II. 512. Per adjuncta actionum: Præcepta. II. 536. Paradigma. II. 537. Per adjuncta antecedentia, comitantia, consequentia. II. 568. Præcepta. *Ibid.* Paradigma. II. 570. Per locum Rhetoricum, vel amplificationem: Præcepta. II. 595. Paradigma. II. 597.

Confutatio quid sit? leges illius. 511. Modi illius: negando: exemplum 513. Redarguendo: exemplum 514. Retorquendo: Exemplum. *Ibid.* Elevando 515. Exemplum 516. Distinguendo 516. Exemplum 517. Irridendo, indignando: Exempla. 517. Confutationis formulæ. 518.

Confutatio in concione polemica quomodo instituenda? II. 259.

Congeries, modus amplificandi: Ejus paradigma. 697.

Conjugatorum locus, quid sit? 186. Ejus usus. 187. Paradigma. 190. Argutiæ à conjugatis. 605.

Contrariorum locus. 226.

Conversionis figura, quid sit 626. Adhibetur in epilogis & complexionibus ad ciendos motus & affectus 627. Exemplum 635.

Copia in elocutione. 980.

Correctionis figura, usus 644. Formulæ 645. Servit argutiis 608. Transitioni 675.

Crinomenon orationis 51. 383

D

Definitio quid sit, quotuplex 174. Ejus modus per affirmationem 174. Per negationem 176. Per contentionem Ironicam. *Ibid.* Per definitiones conglobatas 177. Quatuor paradigmata 177. Ὅρος. Ornat thema 134. Servit partitioni 150. Amplificationi 686.

Delectare officium oratoris: quomodo fit 15.

Demonstrativum genus quid sit? II. 342.

Desiderii affectus 350.

Descensus pars exordii quid sit, quot periodis constare potest, qui modi illius? 375.

Dialogismus figura 658. Usus, exemplum 959. Ornat narrationem *Ibid.*

Dictio adjumentum eloquentiæ: quid in ea curandum? 93.

Didacticum genus quid sit, II. 3. Ejus finis, officium II. 4. Tria illius genera. II. *Ibid.*

Digressio moralis quid sit

529. In omni concione adhibenda 530. Sit oportuna, conformis proposito 531. Quibus modis fiat *Ibid.* Sit ornata 532. Prudenter adhibita: modi hujus prudentiæ 533. Digressionis moralis modi, & paradigmata quædam 534. & *seqv.*

Digressio moralis quando, & quomodo fiat in Panegyri? II. 629.

Digressio moralis in complexionibus & epilogis quomodo instituenda? II. 779. Eleganter fit per examen: primus modus: Ejus exemplum II. 780. Alter modus II. 782. Exemplum. II. 783. Tertius modus: Exemplum II. 784. Quartus modus: Exemplum. II. 785. Quintus modus. II. 787 (a)

Dilema, modus confirmationis, quid sit? 473. Observanda in eo 474. Paradigma. 474

Disjunctio figura 629. Ornat partitionem 162.

Dispositio orationis quid sit? 368. Exordii. *Ibid.* Confirmationis. 432. Reliquarum orationis partium 511. Totius sacræ orationis 551.

Dissimilitudinis locus *Vide* similitudo

Dissolutionis figura. 631.

Distributio servit amplificationi 687. Ornat partitionem. 164.

Disuasoria concio. *Vide*: suasoria.

Docere officium oratoris, in quo positum? 14.

Docilitas in exordio 371.

Dogmatica concio quid sit? II. 814. Quod ejus officium, quottuplex? II. 815. Ejus inventio II. 815. Dispositio II. 817. Elocutio II. *Ibid.* Paradigma. II. *Ibid.*

Dotes oratoris sacri. *Vide* oratoris sacri dotes

Dubitationis figura, usus 645. Formulæ 646.

E

Ecclesiæ Patres. *Vide* Sancti Patres.

Effecta locus oratorius, quid sit quottuplex? 267. Usus loci. 268. Modus inde argumentandi. 269. Ratio illum ornandi. 270. Paradigma. 272.

Elocutio Orationis sacræ quid sit? 565. Summa pars oratoris: tribus constat. *Ibid.* Ejus stylus. 566. Ornatus 620. Copia 680.

Eloquentia universe quid sit, quottuplex? 1. Quando maxime viguit. 2. Ejus fata recensentur 18. A Petrarcha restituta. 19. Ab Italis & Gallis perfecta II. 19.

Eloquentia sacra unde orta? 2. Quid sit? 6. Artificium quatuor de causis in ea consectandum. 8. Hodie ad apicem perducta 11.

Eloquentiæ sacræ finis 11. Non semper obtinetur; triplici de causa. 12.

Eloquentiæ sacræ officium. 13. Triplex. 14. Docere 14. Delectare 15. Movere 16.

Eloquentiæ sacræ materia 16. Partes ratione materiæ 18. Ratione formæ 19.

Elo-

a) *In ipso opere per errorem impressus est numerus 781. legendus autem 787.*

Eloquentia ſacra ſpeciatim quid ſit ll.1. Quot partibus conſtat ll.2.

Emphaſis figura 646.

Enthymema, modus confirmationis, quid ſit 457. Quomodo fiat. *Ibid.* Obſervanda in eo: Praxis illius 458. Paradigma 459. Ornat partitionem 166.

Enumeratio partium locus oratorius quid ſit, quotuplex 192. Modus inde argumentandi 193. Uſus loci multiplex 194. Ratio tractandi hunc locum 195 Paradigma 196.

Epilogus. *Vide* Peroratio

Epilogus Panegyricus interdum conſtat repetitione. Hæc aliquando prætermittitur ll.374. Accomodatur ultimæ parti ll. *Ibid.* Qui affectus in eo exciri poſſunt: recenſentur una cum exemplis *Ibid.* & *ſeqv.* Clauditur apoſtrophe ad ſanctum 377

Epidicticum genus quid ſit, unde dicatur ll.342.

Epinicia Oratio. *Vide* Euchariſtica Oratio

Epiphonema figura: uſus: formulæ 646 claudit eleganter narrationem 413. 523. Hujus exempla 414. 525. Etiam argumentum 647. Exempla *Ibid.*

Epiſcoporum proprium munus concionari. *Vide* Oratoris ſacri munus. Catecheſeos curam habeant ll.6.

Ethopeia, uſus. 647. Formulæ 648.

Euchariſtica oratio quid ſit? ll.705. Illius inventio ll.706. Diſpoſitio ll.708. Elocutio ll. 710. Paradigma de Buda recepta ll.711.

Excerpendi ratio 78. Utilitas *Ibid.* Leges 80. Methodi generales 81. Speciales 93.

Exclamatio figura: ejus uſus 648. Formulæ 649.

Exemplum quid ſit, quale eſſe debeat? 209. Ejus paradigma. 213. 218. Exemplorum uſus non eſt improbandus ll.22. Clauditur eo catecheſis ll.70.

Exemplum modus confirmationis 495. Quid in eo ſervandum *Ibid.* Paradigma. *Ibid.*

Exempla præceptis adjecta ordine alphabeti diſpoſita.

Abſolvendi poteſtas .ll.89. Adverſa ferenda 209. De S. Agnete. 245. De S. Aloyſio. 598. Item ll.399. Ambitio Simia charitatis 208. De amicitia 175. 176. Amor filiorum 684. erga omnes ſit æqualis 310 De angelo Cuſtode 391. De Angelis peccantibus 251. De animæ cura 278. Anima Deo reddenda 465. De Aſſumptione B. V. 310. ll.376. Avaritia idolorum ſervitus 175. Avari apibus ſimiles 605.

Baptiſ. non differendus. 216. S. Baſilii laus 247. Ejus ſtudia *Ibid.* Beatæ Virginis laus 175. 423. 426. 602. 697. Beata V. eſt caſtellum Bethaniæ ll.130. B.V. eſt domus à ſapientia ædificata ll.138. Blaſphemia horrendum crimen. ll.92. Bona mundi & gratiæ 271. Milii grano comparata 301. Bullæ Cruciatæ excellentia ll.184.

Calamitates Deus immittit ad oſtendendam ſuam potentiam 325. Catharina de Ricciis 213. Charitas erga proximum qualis eſſe debeat ll.783. Chriſtus non fuit

fuit seductor 272. Christianus Christum imitetur 187.

Comparatio morum nostrorum cum moribus Ignatii ll.784 De Confessione 308. De Cornicibus 208. Crux Christi 278. De Cruce insigni Hungariæ 607 Custodia linguæ ll.92.

Deum effugere nemo potest 192. 331. Dilectio inimicorum 276. Dilectio proximi 305 S. Dominici laus ll.392.ll.394.

Ebrietas 268.313.330. Educatio filiorum. 215. Eleemosyna 287.313.316.391. Item ll. 768. Rursum. ll 770. De S. Elisabeth 379. 610. De Epulone divite 603.605. De equo pavido 217. De Evangelicis. 599. De Evenione pastore 213

De Famulis.303. De famulis, & Heris 309. Qui fidit promiscue, decipietur. 458. Fides operibus jungenda 271. Fides est lumen Dei probatur per chriam ll.95. Fides sola non justificat hominem ll.123. Ficus sterilis imago animæ tepidæ ll. 140. Filius prodigus ll.132. Ejus parabola typus peccatoris ll. 140. Item: idea regiminis paterni ll.140. De S. Francisco Seraphico.ll.374. De Sancto Francisco Xaverio. ll.377.ll.395.

Gabriel Angelus ad Virginem missus.ll.136. Gloria quid sit? 174. Non est gloriandum. 194. Gloria vana non est quærenda ll. 781. Gratia sanctificans. 210. Gregorius XIII. Pontifex. 379. Gula 194.270.

Henricus Turrenius. 408. Herodes est vulpes ll.129. Homo quid sit. 174. De hospitalitate 209. S. Hieronymi innocentia 270. Humilitas lunæ persimilis 604. Humilitas unde dicta? 175. Humilibus Deus dat gratiam 229. Humiles significantur per vallem; superbi per collem.ll.124. Hypocrisis quid sit? 175.

De Jejunio 285. 329. 403. SS. Ignatii & Xaverii comparatio 599. De S. Ignatio ll. 391. ll.405. De Immaculata Conceptione 598. Item ll.124. ll.130. Incarnatio Christi ll. 775. De inferno & ejus pœnis 330. Ex inferno nulla redemptio 330. De ingratitudine 212. 301. De injuriis condonandis 285. De SS. Innocentibus. 408. Innocentes sæpe à DEO calamitatibus premuntur. 325 De S. Josepho ll.390. Sanctus Josephus custos honoris Mariæ ll.93. Jovinianus unde dictus 185. De S. Joannis Evangelio 200. S. Joannis Virginitas. ll. 537. Itansura Rex Scytharum 331. Judas proditor 338. Jurgia sunt vitanda 304. Justitiæ christianæ sitis ll.129.

De Lazaro 307. De lazaro, & Epulone 603. Lex divina est jugum. 306. ll.133. De liberalitate 249. Libido excæcat mentem ll.775. Ludovici XIV. laus 613.

Mariæ Theresiæ Reg. Hung. Laus 607. S. Martha 229. ll.124 De matrimonio.300. De mercede cœlesti 302. De modestia externa 246. De moderatoribus juventutis 611. Monachi nomen unde? 186. De mundi potentibus 302. Mulieris Samaritanæ conversio est typus gratiæ divinæ ll.139.

De

De obedientia 192. De observatione divinorum mandatorum 284. De occasionibus peccandi 408. De orygibus belluis 213.

De S. Paulo 186.277.279. S.Paulæ genus 244. Ejusdem paupertas 246. S. Petrus uxorem habuit 227. De SS. Petro & Paulo 185. Peccator non est filius Dei 227. Petitiones nostræ quando audiuntur ll.125. Pilatus Christum Barabbæ postponit 201. De pœnitentia 330. 685. De Polemone adolescente. 330. De præparatione ad mortem ll.785. De primatu S. Petri 324. Principis cujuspiam laus ingeniosa 611. Alterius vituperium ingeniosum 610. Prudentia filiorum sæculi ll. 127. A prudentia laus 612.

De respectu humano 290.381. De restitutione 306. 307. Roma unde dicta? 184. De reverentia templorum 686.ll.773.

De Sabinimo diacono 195. De S.Salesio 609. De Sanctis 202. De sanguine martyrum 595 De scandalo 311.380.613. De Spiritu S. 238.ll.93. De sobrietate. 330. De Societate JESU 605. De S. Stephano Proto-martyre 216.ll. 376. De structione 215. Superbis DEUS resistit 228.ll.774. Superbia Deo invisa 231. Superbia hominibus invisa 434. Superbiæ pes non vero pedes cur dicatur ll.137. Suspiciosus pavido Equo comparatur 217. De syndone sancta ll.375.

De Templorum reverentia 687. Tempus vitæ recte impendendum 320. De tentationibus 284. De eorum præsidiis 377. Thesaurarii cujuspiam laus 612.

De V. Sacramento. ll. 370. Via ad Cœlum angusta 308. De Vigilantio Hæretico 245. 518. Vinum res luxuriosa ll. 135. Virgo qualis esse debeat? 601. Vita hominis est militia ll.126. ll.534. ll.135. Vita hominis est misera 686. Vita molli christianum non decet 231. Vitam hominis nihil appromittere potest 261. De visione DEI. 315.

De S.Xaverio 423.594.597 *Vide* Franc.Xav.

De Zachæo 306.307.

Exercitationes Oratoriæ ordine alphabeti dispositæ.

Adversitates sunt tolerandæ 475. Adversa hominem ad Deum adducunt 490. De Agrippina Neronis matre narratio Oratoria 526. S. Aloysius juvenis Angelicus.255. De ambitione titulorum 394. Amandus est Deus 361. Amandus est proximus 540. De amore præpostero parentum erga filios 526. Amor hic erga omnes sit æqualis 310. Angelus custos verus est amicus 392. Angeli peccantes 251.695. De animæ pretio 535 Anima Deo est residentia 263. 451. S.Antonius rerum peritarum assertor 430. De Avaris 341.

Baptismatis tempus opportunum est pascha ex S. Basilio 387. Bacchi feriis instauratur passio Christi 409. B. V. laus 697.

Calamitates Deus immittit ad ostendendam suam potentiam

225. de S. Catharina Bonon. 545. De S. Catharina V.M. 591 688. de Centurione Evangelico ex S. Ambrosio. 411. de Christo Jerosolymam ingresso. 394. de Christiano vero. 190. 413. Christus non fuit Vir scelestus 205. Christus Rex mansuetus. 394. de colloquiis pravis. 437.

De Deo cogitandum potius quam de nobis 416. de dilectione inimicorum 343. 544. de divitiarum contemptu 341.

De educatione prava filiorum. 467. Eleemosyna est ars circumscendi. 225. Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima II. 768. superflua in pauperum eleemosynas eroganda 460. in Eucharistia Christus est vere præsens 357. 404. 517. 519. de exaltatione familiæ. 419.

De fiducia erga B. V. 358. de Fide Divina 271.

Gentiles Ægyptii vilissimos Deos colunt. 589. gratia Dei ad pœnitendum est necessaria. 581. sine gratia peccator squallet. 582. gratiæ Divinæ virtus 583. gratiæ Divinæ pretium. 590.

Hæretici ad CC. Tridentinum venire male recusarunt 513. de Hemorrhoissa muliere 709. de Henrico, Borbonio. 388. de Herode Parricida 614. humilitas Deo accepta. 233. de S. Ignatio paradigma primæ ideæ 553. de eodem II. 391. rursum II. 400. de Immaculata Conceptione. 399. II. 131. infeni carcer locus horribilis 177. infernus est carcer perpetuus 363. inferni supplicia æternum durabunt 633. inimicis venia danda 343. de Innocentio XII. Pontifice 384. irasci non debet sapiens 585. de S. Joanne in vinculis 413. S. Joannis B. pœnitentiæ severitas 420. Innocentum cædes 614. de Jona Propheta 706. de Josepho Ægyptiaco. 179. de S. Josepho Sponso B. V. 239. de Judicio extremo 243. 503. 709. de Juda proditore 690.

De S. Ladislao 396. levitas morum religioso probrosa 401. Lex Evangelica est sancta 236. de luxuria 534. 700.

De Maria Joanna Baptista Sabaudiæ Ducissa 549. Mariæ Theresiæ Reg. Hung. laus 616. de misericordia Dei erga peccatores. 695. modestia religiosos decet. 188. mors impiorum improvisa 698. mors Sanctorum pretiosa 252. mors non est malum metuendum 273.

Occasiones peccandi sunt fugiendæ 218. 222. de iisdem prima concionis idea 555. rursum 562.

De pace triplici 424. in peccato mortali vivere summa temeritas 203. perfectio Christiana in quo est sita 183. de perseverantia finali 704. Primatus S. Petri 324.

De relapsu in peccatum 481. de restitutione 535. de religiosorum fervore 547.

Sancti esse possumus in quovis statu 280. scelerati non sunt veri Christiani 190. de severitate Evangelica 420 de Spiritu privato Hæreticorum 514. de S. Stanislao Kostka 427. de superfluis in pauperes eroganda 460. superbia Deo invisa 233.

In templis reverenter agendum 180. de tentationibus 516. de titulis honorum. 394. de Transubstantiatione 515.

Ventri omne hominum genus studet 197. vita suavi cœlum non obtinetur 623. de decem Virginibus narratio 523. de votis religiosis. 703.

S. Xaverius Indiarum Deus 619. Xaverii magnanimitas in adeunda Japonia ll. 397. ejus fortitudo ll. 402.

De Zebedæi filiis 417.

Exercitiorum sacrorum libri 66. sunt fons inveniendi themata. 132. 105.

Exordium quid sit, quottuplex 368. omitti potest: quando? 359. ejus officium 369. vitia 371. virtutes 372. sit lene potius, quam abruptum. 372. abrupti exempla 373.

Exordii partes 373. Ingressus 374. Descensus. 375. Propositio. 376. Introductio 378. Partitio. 380. Invocatio. 381.

Exordiorum modi communes 382. A visceribus causæ. 383. Hujus exemplum. 384. A genere ad speciem. 386. Hujus exemplum. 387. A specie ad genus: hujus exemplum. 388. A contrario. 390. Hujus exemplum. 392. Alterum. 394. A partitione. 395. Hujus exemplum. 396. Ab adjunctis. 398. Exemplum 399. A simili: Exemplum. 401. Ab illustri sententia. 403. Exemplum. 404. Ab exemplo historico, & eruditione 407. Exemplum. 409.

Exordiorum modi, Eloquent. Sacræ proprii. 410. A simplici historiæ Evangelicæ narratione: Exemplum. 411. Ab ornatiore narratione 412. Exemplum 413. Ad ejusdem narratione cum diffusiore proœmio. 415. Exemplum. 416. A partitione Evangelii: Exemplum. 417. A paraphrasi sententiæ Evangelicæ. 419. Exemplum. 420. Ab ejusdem sententiæ contrario, aut genere, vel simili. 423. Exemplum. 424. A sententia Evangelica cum difficultate, & controversia 425. Exemplum 427. A duplici Evangelio 429. Exemplum. 430.

Exordium quomodo per argumentationem fundamentalem struendum? ll. 768.

Exornativum genus quid sit, unde dicatur? ll. 342.

Expolitionis figura 649. usus 650. ornat partitionem. *Ibid.* Item. 380. Exemplum hujus ornatus. 381. 650.

F

Faber Matthias. 64. obiit Tymaviæ 65.

Fabius Quinctilianus officia Oratoris præscribit. 20.

Fidei affectus 349. ejus paradigma 357. excitur in concione Polemica: quomodo? ll. 260.

Fiduciæ affectus cum paradigmate 358. excitur in epilogo panegyrico ll. 376.

Figura quid sit, quottuplex, quomodo adhibendæ. 625. Figuræ verborum tribus modis fiunt 625. per additionem: enumerantur. *Ibid.* per detractionem: enumerantur. 630. per similitudinem; enumerantur 631.

paradigma per figuras verborum 633.

Figuræ ſententiarum quid ſunt, quottuplices 637. prima earum decas 637 figura admirationis *Ibid.* admonitionis 638. Antitheſis. 639. Apoſtrophes. 640. comminationis. 641. commiſerationis 641. communicationis 642. conceſſionis 643. correctionis 644. dubitationis 645.

Figurarum altera decas. Figura emphaſis 646. Epiphonematis. *Ibid.* Ethopœiæ. 647. Exclamationis 648. Expolitionis. 649. Hypothipoſis 650. Imprecationis 651. Interpretationis 652. Interrogationis *Ibid.* Licentiæ 653.

Figurarum tertia decas 654. Figura obſecrationis. 654. Optationis. *Ibidem.* præoccupationis 655. præteritionis. *Ibidem.* Proſopopœæ 656. ratiocinationis 658. reticentiæ, ſive interruptionis 658. ſermocinationis, ſive dialogiſmi 658. ſuſpenſionis 659. ſubjectionis. 660.

Finalis cauſa. 260. ejus uſus 262.

Finis Eloquentiæ Sacræ 11. non ſemper obtinetur. 12. triplici de cauſa *Ibid.*

Forma locus oratorius. 199. ejus paradigma. 205.

Formalis cauſa. 260. Paradigma. 265.

Frontis geſtus. 747.

Fuga affectus 350. quomodo excitur in concionibus polemicis ll. 260.

Fundamentalis ſyllogiſmus *Vide* Argumentatio, vel ſyllogiſmus fundamentalis

Funebris Oratio quid, quottuplex ll. 745. Funebris ſolennior, quæ ejus inventio ll. 746. quæ diſpoſitio ll. 749. quid agendum ſi funebri laudandus vitiis ſit obnoxius ll. 751. ejus elocutio ll. 753. funebris vulgaris ll. 753. ejus inventio *Ibid.* diſpoſitio ll. 755. elocutio ll. 756. de paradigmate concionis funebris ll. 757.

Funebres partitiones *Vide* Partitiones funebres.

G

Gaudii affectus. 350. excitur in concionibus Genethliacis. ll. 673. ll. 676. Epiniciis ll. 709.

Genethliaca concio quid ſit ll. 671. ejus inventio ll. 672. diſpoſitio ll. 675. elocutio ll. 676. Paradigma de Archiduce Joſepho. ll. 678.

Genethiacæ partitiones. *Vide* particiones Genethliacæ.

Geſtus oratoris. 741. ſint liberi & nobiles *Ibid.* Generoſi, fortes, innati. 742. Sancti, graves, tardi. *Ibid.* materiæ conſentiant. *Ibid.* vocem comitentur. *Ibid.* Imo præeant 743. naturam imitentur *Ibid.* ſint moderati. *Ibid.* non crebri, nec iidem 744. ad ſpeculum examinentur. *Ibid.*

Geſtus totius corporis 745. capitis 746. vultus, frontis, oris 747. Colli, humerorum, brachiorum 748. oculorum. *Ibid.* manuum generales. 749. manuum ſpeciales. 750.

Gradatio figura. 629. ornat partitionem 161. ſervit amplificationi. 694.

H

Hæretici quomodo tractandi pro concione Polemica ll. 288.

Historia quid sit 326. leges utendi ea *Ibid.* conciones historicæ cavendæ *Ibid.* Non tamen ad artem recentiorum factæ ll. 836. Historiæ sint probatæ. 327. sacræ potius quam profanæ exempla adhibenda 327. profanæ autem parce, breviter, sobrie. 328. modi quinque historiam usurpandi. 329. Historiæ Evangelicæ per partes explicandæ: in concionum themata sumendæ 121.

Historica concio quid sit? ad hodiernam artem constituenda ll. 836. ejus inventio. ll. 837. dispositio. ll. 838. elocutio. ll. 840. Paradigma ll. 841.

Homilia apud veteres Patres usitata. 2. ll. 116. quid sit, unde dicta? 2. ll. 117. quotuplex? ll. 117. in modum familiaris allocutionis fieri solita. ll. 117. quæ ejus tunc structura? ll. 119. differt ab oratione. ll. 118. Homilia paraphrastica quid sit? ll. 119. primus ejus modus. ll. 120. secundus. ll. 121. Tertius. ll. 122. Homiliæ recentiorum in quo differunt à veteribus. ll. 139.

Hyperbole quid sit? ejus usus. 623.

Hypothesis quid sit 17. Hypothetica themata pro concione tractanda. 18.

Hypothiposis figura 650. usus, formulæ. *Ibid.* servit amplificationi 705.

Humerorum gestus. 748.

I.

Idea prima formandæ concionis quid sit? ejus utilitas, & necessitas. 551. leges illius. 552. paradigma ideæ brevioris. 553. ideæ plenioris. 555.

Imprecatio figura, usus, formulæ 651.

Imitatio Rhetorica 94. qui imitandi. *Ibid.* Qua in re imitandi 99. modi X imitandi 102.

Incrementum figura 630. servit amplificationi 693. dupliciter fit 694. ornat partitionem. 162. eleganter struitur per illam oratio 694. exempla partitionis per incrementum. 162. 630. 694. 695.

Inductio quid sit? 209. 488. ejus paradigma 222. modus confirmationis per inductionem. 488. quæ in eo observanda. 489. Paradigma. 489.

Ingressus pars exordii, quid sit, quot periodis constare, & quibus modis efferri potest? 374.

Interpretatio figuræ, ejus usus, formulæ. 651. ornat partitionem 165.

Introductio quid sit, quomodo, & quando usurpatur, unde petitur? 378. ejus exempla. 379.

Inventio oratoria quid sit? 110. Inventio materiæ *Ibid.* textus sacri. 111. thematis sacri 115. partitionum. 144. subdivisionis 166. argumentorum ex locis oratoriis generalibus 283. ex locis concionatoriis. 291. ex Scriptura 303. ex Patribus 316. ex Theologia 323. Inventio affectuum, 332.

Invidiæ affectus. 355.
Invocatio pars exordii, quid sit, quottuplex, quomodo adhibetur? 381. ejus exempla 382.
Ironia quid sit, unde cognoscitur, quomodo adhibetur? 622. ornat locum definitionis Ironica contentio. 176.

K

Kaldi Georgius, de eo judicium. 95.

L

Lectio librorum. 56. modus legendi. 76. numerus legendi ratione styli. 57. ratione materiæ: & eruditionis. 58. quo delectu legendi. *Ibid.*
Libri pro arte oratoria 59. pro stylo Hungarico. *Ibid.* pro concionibus: Galli 61. 96. Itali. 62. 97. Germani. 63. 97. Hungari. 65. pro traditionibus & ritibus Ecclesiæ. 69. pro Conciliis. 70. pro critica SS. PP. notitia 70 pro Scriptoribus Ecclesiasticis. *Ibid.* pro historia Ecclesiastica: veteres. 71. Recentiores. *Ibid.* pro notitia hæresum. 72. pro Theologia scholastica. 73. Morali 74. Polemica. 75. pro jure Pontificio. 75. pro Doctrina Christiana. 75. pro sacris exerc. 66.
Licentia figura. 653.
Loci concionatorii qui sint? 291. Sctiptura sacra. 292. SS. Patres. 312. Theologia. 321. Historia. 326.
Loci oratorii speciales. 172. Enumerantur. 173. generales, qui sunt. 283. possibile. 283. facile. 285. honestum. *Ibid.* utile. 286. necessarium. 287. usus horum. 288.

M

Manzador Pius. 59. modus illius conciones scribendi. 87. Thematis inveniendi ratio 126. similitudines adhibendi methodus 211. Partitio ejus Genethliaca II. 677.
Manus gestus: Generales. 749. Speciales. 750.
Materialis causa 260. usus illius 261. Paradigma. 267.
Meditatio in modum concionis facienda 83. Meditata sit scriptio. 86. confirmatio moralis in modum concionis instituti potest. II. 777.
Memoria Oratoris 716. sit firma, facilis, 717. tam rerum quam verborum 718. memoriæ leges 719. memoriæ juvandæ industriæ artificiosæ 720. Per locos & imagines 721. per notas arithmeticas. 723. memoriæ juvandæ industriæ naturales 724. scribatur oratio. 725. componatur & dividatur. 725. discatur per partes. *Ibid.* aptus discendo locus, & tempus deligatur. 726. memoria exerceatur *Ibid.*
Metaphora quid sit, quomodo adhibenda. 621.
Moralis concionis structura II. 759. quid sit II. *Ibid.* veteres deliberativam dixere II. *Ibid.* nunc moralis nuncupatur, cur? II. 760.
Moralis concionis sacra sententia, quottuplex II. 761. probantes præ affirmantibus deligendæ, cur? II. 762. ex utrisque potius suadentes, præcipientes

entes &c. II. 762. cur? II. 763.

Moralis concionis thema quale esse debeat? II. 763. & *seqv.*

Moralis concionis partitio, unde depromatur? II. 765.

Moralis concionis dispositio II. 767. per syllogismum fundamentalem. II. *Ibid.* Exordii moralis structura per eundem syllogismum fundamentalem. II. 768. praxis hujus modi II. *Ibid.* observanda in hoc modo II. 769.

Moralis concionis confirmatio. 771. unde petuntur ejus argumenta. II. *Ibid.* instituitur etiam per locum Rhetoricum II. 772. per amplificationem II. 774. in modum meditationis. II. 777.

Moralis concionis epilogi, & complexiones II. 779.

Moralis digressio *Vide* Digressio moralis.

Movere officium Oratoris, in quo positum 16.

Munus oratoris sacri *Vide* Oratoris sacri munus.

N

Narratio quid sit. 521. sit brevis *Ibid.* perspicua, divisa in initium, medium & finem. 522. probabilis. *Ibid.* suavis. 523. paradigma primum narrationis 523. alterum 525.

Notationis locus quid sit. 184. quomodo adhibendus 185. paradigma 188. argutiæ à notatione. 605.

O

Obsecrationis figura, usus, exempla 654.

Oculorum gestus 748.

Oppositorum locus, quid sit, quottuplex 226. eorum usus 228. modus ea tractandi. 229. ratio ornandi 230. paradigma ab adversis 233. à repugnantibus 235. à relatis 239. argutiæ ab oppositis 602.

Optationis figura 654. formulæ 655.

Oratio sacra præmeditanda. 86. sit apta tempori, Evangelio, auditori 87. primæ cogitationes in chartam conjiciendæ *Ibid.* in quotidianam meditationem sumenda. *Ibid.* imo meditatio in concionis modum facienda 88. in oratione scribenda Tiro per partes exerceatur. 91. ejus analysis facienda. *Ibid.* aliena lingua scriptæ in propriam traducendæ 91.

Orationum sacrarum paradigmata. *Vide* Conciones sacræ.

Orator novitius discendi animo alios audiat 92. auditæ orationis structuram observet. *Ibid.* in adversaria referat. *Ibid.* imparate non pronunciet 92. A peritioribus se instrui curet. *Ibid.* gestus ad speculum examinet. *Ibid.* veteres profanos, & academicos legat 98.

Oratoris sacri dotes corporis 29. mentis 30. scientiæ, ratione artificii. 31. ratione materiæ. 32.

Oratoris sacri dotes virtutum 33. puritas 34. zelus: in quo positus? 35. prudentia 36. ad quæ advertendum, ut prudenter dicat *Ibid.*

Oratoris sacri munus cui convenit? 20. proprium est Epi-

piscoporum. *Ibid.* excusantur abhoc munere 22. supplebant olim per Notarios. *Ibid.* per Epistolas 23. est etiam Præsbiterorum 24. Diaconis concessum est. 25. maxime persecutionis tempore. 26. Parochis incunbit. *Ibid.* Religiosis prima tonsura ornatis permittitur. *Ibid.*

Oratoris sacri vitia in delectu thematis 39. si sint allegorica. *Ibid.* nimium generalia 41. multiplicia. 42. nimium particularia *Ibid.* theoretica 43. sublimia 44. inutilia *Ibid.* nec tempori, nec personæ accomodata. 45.

Oratoris sacri vitia in rerum deductione 46. in compositione 46. in divisione. 47. in argumentorum delectu 48. si sint inepta *Ibid.* infirma, & otiosa. 49. agglomerata. *Ibid.* abscondita, longius petita. 50. theoretica, generalia 51. si crinomenon non probet, si extra oleas vagetur. *Ibid.*

Oratoris sacri vitia in Elocutione 52. si dicat splendide. *Ibid.* sicce 53. acerbe 54. omnia acute, & sine affectu 55.

Oratores sacri veteres. 60. recentiores *Ibid.* Galli 61. 96. Itali 62. 97. Germani 63. 97. Oratores profani, & academici. 99.

Oratores sacri antiquiores posterioris ævi 64. Oratores sacri Hungari 65.

Ornatus elocutionis. 620.

P

Panegyrica Concio quid sit? II. 341. unde dicatur? II. 342. dicitur etiam epidictica, demonstrativa, exornativa, cur? II. 342. Panegyrum sacrarum usus est antiquus II. 343. textus panegyricus quomodo inveniendus? II. 344. Panegyricum thema quomodo inveniendum? II. 347. sit unum. 347. quomodo hæc unitas obtineri possit? II. 349. sit simplex, ac naturale. II. 350. sit proprium II. 351. characterem sancti contineat II. 351. *Vide* character. Sit elegans: modi elegantiarum II. 355. Panegyrica partitio. II. 356. ejus inveniendæ fontes proprii. II. *Ibid.* communes. II. 358. elegantiæ. II. 361. per figuram expolitionis tractanda. II. 365. sacrarum panegyrum exordium II. 364. ejus ingressus II. *Ibid.* introductio. II. 365. confirmatio II. 365. modi ejus *Vide* confirmatio panegyrica.

Panegyricorum argumentorum fontes II. 366. leges II. 371. de panegyrico epilogo. II. 374. de stylo panegyrum II. 378. de vitiis amplificationum panegyricarum. II. 381. de modis earundem. II. 385.

Panegyris allegorica II. 622. *& seqv.* Parallela II. 626. *& seqv.*

Panegyris pura, & mixta II. 629. modi mixtæ panegyris II. *Ibid.* Paradigma primum II. 634. alterum. II. 654.

Parabola quid sit 208. differt ab apologo, & fabula. *Ibid.* Parabolarum usus apud orientales. Christus ipse eas adhibuit. Quales esse debeant 208.

Paradoxum ornat thema. 136.

Parallela panegyris: præcepta ejus ll. 626.

Paraphrasis modus amplificandi 700.

Paraphrastica concio quid sit, unde dicta ll. 115. olim frequentior, ac nunc ll. 116. Paraphraseos fontes ll. 122. percensentur ll. *Ibid.* communes. ll. 132. percensentur. ll. *Ibid.* paraphrasticæ concionis modus primus in formam postillæ. ll. 139. illius inventio ll. *Ibid.* dispositio ll. 140. elocutio ll. 141. paradigma de filio prodigo ll. 142. paraphrasticæ concionis modus alter ll. 162. ejus inventio ll. 163. dispositio ll. 164. paradigma de Christi, & Pharisæorum tentationibus ll. 166. Paraphrasticæ concionis modus tertius quis sit, 193. ejus inventio. 194. dispositio. 187. Paradigma primum de Immaculata Virginis Conceptione ll. 188. paradigma alterum de Viro Apostolico. ll. 203. paraphrasticæ concionis modi reliqui 219.

Paranomasia figura: Quot modis fit? 632. ornat partitionem 164.

Parochus quid sit? væ si non Evangelizet. 27 incumbuit eis cura Catechismi. ll. 6.

Partitio orationis quid sit 144. ejus usus nunc crebrior; ante rarior. 145. commoda illius *Ibid.*

Partitionis dotes 146. sit plana, & naturalis *Ibid.* sit plena & adæquata. *Ibid.* membra habeat opposita vel relata. 147. sit clara & brevis. *Ibid.* sit ordinata 148. sit fidelis. *Ib.*

Partitionum fontes communes, unde? 149. à visceribus causæ. *Ibid.* à definitionibus, & enumeratione partium 150. à causis & effectis: à genere, & specie 151. ab oppositis, ab adjunctis personarum. 152. ab adjunctis rerum 154. ab antecedentibus, & commitantibus, & consequentibus. 154.

Partitionum fontes proprii, unde? 155. à contextu, & summa Evangelii. 155. A verbis sententiæ Evangelicæ 156. à personis in sententia Evangelica repertis. *Ibid.* A verbis sententiæ Evangelicæ per adjuncta quis, quid ubi examinatis 157. A diverso sensu scripturæ sacræ 157. uno ex prædictis sensibus; sed multiplici 158. à lectionibus variantibus 158. à proprietatibus allegoriæ 159. ex verbis SS. Patrum 159.

Partitionum elegantiæ., unde? 160. ab adjunctione. 162. ab adjectione substantivorum & adjectivorum 166. ab affirmatione unius cum negatione alterius 166. ab antithetis 163. à commutatione 162. à compensatione. 164. à complexione. 160. à conduplicatione. 161. à conversione 160. à distributione. 164. ab enthymemate. 166. à gradatione 161. ab incremento 162. ab interpretatione. 165. à paranomasia 164. à similiter desinentibus 162. à subjectione 165. à traductione 161.

Partitiones Catecheticæ. De baptismo ll. 66. De eodem. *Ibid.* Rursum. *Ibid.* De blas-

phe-

sphemia II 64. II. 94. de charitate II. 15. II. 20. II. 64. II. 65. de communione sacra II. 16. de præparatione ad sacram communionē. II. 21. de cultu dierum festorum II. 64. de decalogi primo præcepto II. 16. de educatione prolium II. 66. de eleemosyna II. 66. De extrema unctione II. 66. de fide divina II. 15. II. 17. II. 20. II. 65. II. 90. II. 91. de gratia sacramentali II. 67. de Homine Christiano Catholico II. 13. II. 15. II. 38. de jejunio II. 14. II. 64. de juramento II. 67. de matrimonii sacramento II. 67. de Missæ sacrificio II. 19. de oratione Dominica II. 13. II. 14. II. 63. de Orationis Dominicæ efficacia. II. 97. de observatione divinorum mandatorum II. 15. de obligatione filiorum erga parentes. II. 17. de pœnitentiæ sacramento II. 65. II. 66. II. 67. de salutatione Angelica II. 20. de spe Divina II. 21. de Spiritu Sancto II. 88. de signo Sanctæ Crucis II. 65. II. 71.

Partitiones pro diebus Dominicis. Pro Dom. I. Adv. 105. 142. Dom. II. Adv. 415. Dom. IV. Adv. 151. Dom. I. post Epiph. 106. 125. 131. Dom. II. post Ep. 125. 129. 130. 155. 156. Dom. III. post Epiph. 163. 165. Dom. IV. post Epiph. 165. Dom. VI. Epiph. 160. 165. Dom. Quinq. 153. 157. Fer 4. Cin. 142. Dom. I. Quadr. 128. 155. Dom. Pasch. 126. Fer. II. Pasch. 474. Dom. II. post Pasch. 159. Dom. IV. post Pascha. 161. Dom. V. post. Pasch. 169. Diebus Rogationum 161. Dom. VI. post Pasch. 161.. Dom. III. post Pent. 162. Dom. IX. post Pent. 161. Dom. X. post Pent. 125. 140. 161. Dom. XI. post Pent. 155. Dom. XII. post Pent. 157. Dom. XIV. post Pent. 163. Dom. XVII. post Pent. 142. 162. Dom. XIX. post Pent. 127. 156. Dom. XXII. post Pent. 162. Dom. XXIII. post Pent. 163.

Partitiones pro festis Domini. Pro festo Ascensionis II. 164. De nativitate Christi 152. II. 764. Pro Circumcisione 107. pro Epiphania Domini II. 164. pro Pentecoste 144. 156. 161. pro festo Corporis Christi 136. 152. 406. II. 857. *Vide* Partitiones Polemicas de reali præsentia Christi in Eucharistia. de Transfiguratione Domini II. 184. Pro novo anno 160. De nomine Jesu 107. II. 630.

Partitiones panegyricæ de Sanctis. de S. Agnete 153. de S. Aloysio 136. 142. 153. 158. Item: II. 354. II. 362. II. 443. II. 633. de S. Andrea Apostolo II. 357. de S. Antonio Patavino 135. 138. II. 598. 622. 624. de S. Antonio Abbate II. 349. de S. Augustino 144. II. 351. 361.

De S. Benedicto 163.

De S. Carolo Borrom. II. 359. de S. Catharina V. M. 140. 694. II. 360. II. 407. II. 570. de S. Catharina Bonon. 545.

De S. Dominico 143. II. 358.

De S. Elisabeth. 379. pro Exaltatione S. Crucis 150. 163.

De S. Floriano ll.357. de S. Franc. Borgia ll. 358. ll. 359. de S. Franc. de Paula ll. 351. ll. 409. de S. Franc. Regis ll. 538. de S. Franc. Seraph. 139. ll. 357. 359. 512. de S. Franciſc. Xav. 620. ll. 355. ll. 363.

Pro feſto S. Jacobi Apoſt. 152. de S. Ignatio de Lojola. 104. 137. 140. 141. 171. 558. ll. 346. ll. 356. ll. 358. ll. 359. ll. 360. ll. 362. ll. 363. ll. 406. ll. 475. ll. 631. de Immaculata Conceptione 144. ll. 188. pro feſto Invent. S. Crucis. 150. de Jobo 134. de S. Joan. Apoſt. 116. ll. 359. 537. de S. Joan. Bapt. 153. 420. ll. 348. de S. Joan. Nep. 143. ll. 352. ll. 630. de S. Joſepho 118. ll. 362. de B. Joſep. Calaſ. 138.

De S. Ladislao R. H. 103. 117. 139. 398. ll. 357. ll. 362.

Pro feſto S. M. Magdalenæ 161. 163. 166. de S. Mathia Ap. 163. de S. Martino ll. 360.

Pro feſto OO. SS. 103. 161.

De SS. Petro & Paulo 143 ll. 625. de S. Petro Ap. ll. 358. de S. Paulo Apoſt. 162. ll. 361.

De S. Stanislao Koſt. 428. ll. 634. de S. Steph. Protomartyre. ll. 347. de S. Steph. R. H. 138. 142. ll. 357.

De S. Thereſia Virg. 142. de S. Thoma Aquinate. ll. 631.

De S. Wenceslao Reg. Boh. ll. 358.

De Viſitatione B. V. 158.

De S. Xaverio. 620.

Partitiones Panegyricæ Epiniciæ. Generales. ll. 707. ll. 708. ll. 711. Particulares. Eugenio Sabaudiæ Duci. ll. 707. Mariæ Thereſiæ R. H. ll. 770. de Buda recuperata ll. 708. ll. 712. de Vienenſi obſidione ſoluta ll. 710.

Partitiones Funebres: de Carolo Archiduce ll. 758. de Divite quodam ll. 756. de Clemente XI. Pont. 630. de Franciſco Henrico Montmorancio Duce Luxembur. ll. 752. de Gabriele Antonio Erdödi Ep. Agrien. ll. 748. de Geraldo S. Crucis in Auſtria Abbate. ll. 748. de Henrico Borbonio 390. ll. 748. de Henrico Turrenio ll. 747. de Judice quodam ll. 747. de Ludovico Borbonio. ll. 749. de Maria Joanna Baptiſta Sabaudiæ Duciſſa. 549. ll. 749. de Milite quodam. ll. 754. de Leopoldo Kolonics Cardinali. Archiep. Strigon. ll. 748. de Prælato quodam 166. de Virgine quadam ll. 756.

Partitiones Genethliacæ. Generales: ll. 673. ll. 675. Particulares: de Leopoldo Archiduce Caroli VI. Imperatoris filio ll. 674. de Joſepho Archiduce Regio nunc Principe ll. 674. ll. 675. de Galliæ Delphino ll. 675. de Duce Britanniæ ll. 675. de Carolo Archiduce Franciſci I. Imperatoris filio ll. 377.

Partitiones paraphraſticæ. De Cœna Evangelica. ll. 163. de feſto Aſcenſionis ll. 164. de Cultu V. B. ll. 187. de filio prodigo typo peccatoris. ll. 163. de Immaculata Conceptione. ll. 188. De Jesu perdito, & invento. ll. 163. de ſterili ficu imagine animæ tepidæ ll. 163. de tribus Magis ll. 164. de tentatione Chriſti & Phariſæorum

rum ll.166. de Viro Apostolico ll.187. ll. 203. de S. Paulo Apostolo ll. 183. super illud: reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari &c. ll. 184. super illud: Hic est filius meus dilectus ll. 184. super illud: siquis in me non manserit, mittetur foras ll. 184. super illud: ecce merces vestra multa est in cœlo ll.185. super illud: tollite jugum meum super vos. ll. 185. super illud: missus est Angelus Gabriel. ll 185. super illud: sic Deus dilexit mundum. ll.185. super illud noli vinci in malo ll.186. super illud: Christus est lapis. ll.186.

Partitiones polemicæ. De Baptismi necessitate ll. 225. ll. 227. de Confessione. ll.317. de cultu imaginum. ll.254. de cultu reliquiarum. ll.255. de doctrina Lutheri. ll.257. de Divinitate Christi. ll.222. ll.225. de Ecclesia Lutherana ll.257. de Ecclesia Romana ll.318. de efficacia sacramentorum. ll. 225. de Eucharistiæ mysterio. ll.222. ll. 223. ll. 227. ll.230. ll.255. ll. 257. ll.261. ll.286. ll.287. ll.291 ll.317. ll 318. ll.320. de extrema Unctione ll.227. de fide protestantium ll.258. de jejunio. ll. 226. de indifferentismo religionis ll. 256. ll.257. de libertate sentiendi in rebus fidei ll. 257. de observantia præceptorum divinorum ll.226. ll.257. de parvulis protestantium ll.258. de Jure Canonico à Luthero concremato ll.256. de prædestinatione ll.257. de primatu Petri ll 223. ll. 224. ll.225. ll. 318. de religione salvifica ll. 256. de Romano Pontifice ll. 286. ll. 287. de Sacrificio Missæ. ll. 222. de Trinitatis mysterio. ll. 221. de vita claustrali. ll. 226.

Partitiones morales. De adolescentia & senectute 124. de adversitatibus ferendis 118. 124. 474. 489. in afflictionibus virtuti studendum 123. de amicitia 176. de amore Divino 159. de amore sui inordinato 162. de amore parentum inordinato erga filios 152. 419. de anima Deo reddenda 140. 163. de anima & corpore 136. de anima *Ibid.* de Apostolicis viris. 146.

De Bacchi feriis 410. de baptismo ll.816. de bonis mundi 148. 152. de bonis Cœli, & mundi 172.

De castitatis remediis ll.817 de cœcitate triplici 157. de Christo bono Pastore 159. de Christiani officiis 153. de christiano longius à templo discedente 106. de Christiano vero 415. de cinerum aspersione 142. de Confessario & pœnitente 152. de Confessarii officiis 153. de Communione frequenti ll. 857. de concionibus sacris ll. 816. de colloquiis pravis 437. de creatione hominis 151. de Cruce Christi 150.

De detractione famæ 133. 135. 156, ll. 816. de eadem *Ibid.* de dilectione proximi 154. 157. de dilectione boni christiani 149. de dilectione inimicorum 42. 544. de modo diligendi Deum. 142.

De educatione filiorum 125. 131. 140. 467. de eleemosyna 132. 134. 136. 287. ll.816. ll. 766. de electorum paucitate.

156.de Eucharistia 136.de Eucharistiæ frequenti usu.152.ll. 857.de exaltatione familiæ 419. de extrema unctione 151.

De fatuis Virginibus ll. 838. de felicitate vitæ 152. de fide Divina ll.816. de filio prodigo 155. de fortunæ prosperitate 135. 146. de fortunæ varietate 135.

De gloria vana 146. de gratia Christi 125. de gratia sanctificante ll. 816. ll.818. de gula. 117. de Heroe Christiano 151. de humilitate 152. de jejunio. 147. 151. 285. de Incarnatione Christi. ll.764. de inferni igne. 166. de infemi pœnis. 127. 155. de judicio extremo. 105.142.155. 166. 502. de judicis officio 124. de juramento. ll.816.

De levitate morum 403. de locustis 150. de luxuria 153. 163.171. de luxu vestium 170.

De matrimonio. ll.816. de triplici ejus bono 129. de illius jugo. 137. de eo feliciter ineundo 130. 156. de mendacio 162. ll.816. de mercede Sanctorum 156. de mercedis cœlestis ac terrenæ differentia. 103. de misericordia 151. de morte peccatorum 170. 495. de morte justorum, & peccatorum 170. de mortis certitudine & incertitudine. 172.

De obedientia religiosa 149. de obedientiæ perfectione 149. de observatione divinorum mandatorū 155 284.de occasionibus peccandi ll792. de oratione Dominica. 157. de oratione humilium & superborum 126. de orationis inefficacia.161.

De parvulorum recta institutione 140. 467. de pœnitentia Angelis lætitiam adferente 162. de pœnitentiæ fructibus 151. de pœnitentiæ tribunali 152.de peccato 134. peccatum est pestis 137.de peccatore non contemnendo 161. de peccati periculis 555. de peccatoris resurrectione 126. de Petro peccante ll.839. de Præpositis 159. de Prælatis 400. de præparatione ad mortem. ll.840. de prudentia, & simplicitate christiana 135.

De sanctitate christiana 151. de scandalo 148. 380. serviendum Deo 151. de servitutis mundanæ, & divinæ discrimine 153. de severitate Evangelica 419. de Spiritu Sancto. 156. 161. 288. 446. de superbia 434.

De Templo ll. 772. de templorum reverentia 150. 161. de tempore 160.de ejus pretio 141 de tentationibus 129. de tentationibus Christi in deserto 155. de tentationum præsidiis 377.

De veniali peccato 160. de via triplici ad Jesum 155. de vita, & morte Christiani 163. de Virginitate 135. de virtutibus Theologicis. ll.767. de voluptatibus mundi,& cœli. 164. de votorum renovatione 155.

Partitio pars exordii quid sit 380. quomodo proponi debeat? *Ibid.* ornatur figura expolitionis. *Ibid.* ejus exemplum. *Ibid.*

S. Paulus Eloquentissimus. 9. ejus Epistolæ commendandantur. 67. hæ serviunt affectibus 356.

Paz-

Pazmán Petrus Cardinalis. 59. 95. 105. 334.
Pelbartus de Temesvar. 65.
Periphrasis quid sit 685. servit amplificationi. *Ibid.*
Peroratio quid sit. 536. ordine postrema; dignitate prima 537. omnes nervi eo conferendi *Ibid.* stylus in ea. *Ibid.* quam sit prolixa. 538. partes perorationis. *Ibid.* enumeratio argumentorum in peroratione. 539. leges illius. *Ibid.* modi ex Cicerone 540. motus in peroratione, quid sit? 542. quibus rebus, & modis excitatur. *Ibid.* varie disponitur. 543. modi, & paradigmata perorationum. 544. primus. *Ibid.* alter 545. tertius 547. quartus 549.
Petrus Canisius author Catechismi. Alberti Bavariæ Ducis judicium de illo, & Paulo Hoffæo. ll. 9. quibus de rebus tractat. ll. *Ibid.* Ferd. I. Imp. & Philippus Rex Hisp. diplomate eum sanciunt. ll. 9.
Polemica concio quid sit, unde dicta, quottuplex? 219. primus modus adsertivus, quid sit? 220. ejus inventio. *Ibid.* ex locis eloquentiæ sacræ propriis 221. ex locis generalibus 225. ex locis specialibus 226. ejus dispositio. 227. elocutio. 229. paradigma. 230. polemicæ concionis modus alter impugnans. quid sit? 253. ejus inventio 254. ex locis Eloqu. sacræ propriis 254. ex locis generalibus 256. ex locis specialibus 257. dispositio 258. elocutio 259. paradigma. 261. Polemicæ concionis modus tertius propugnans, quid sit 285. ejus inventio 285. dispositio. 288. paradigma de utraque specie 291. Polemicæ concionis modus quartus mixtus 317. modi miscendi. *Ibid.* paradigma. 320.
Polyantheæ enumerantur 63. 107. sunt fons inveniendi thematis 133. Item argumentorum eruendorum 319.
Polysintheton figura 629.
Postilla quid sit, unde dicta. 3. ll. 120.
Præoccupationis figura, usus, formulæ 655.
Præteritionis figura. 655. usus formulæ 656.
Prolegomena Eloq. sacræ. 5.
Pronunciatio oratoris. 727. dotes pronunciationis. *Ib.* sit emendata. *Ib.* dilucida 728. ornata. 729. apta auditori, oratori, loco 730. Pronunciationis vitia. 731. cantus. *Ib.* monotonia. *Ibid.* vociferatio. 732. languor *Ibid.* præcipitantia. *Ib.* lentitudo. 733.
Pronunciatio varie spectatur 733. ratione thematis, & generis orationis *Ibid.* ratione partium orationis. 734.
Pronunciatio periodorum, 735. verborum 736. interpunctionum 737. figurarum 738. affectuum. 740.
Propositio quid sit? breviter clare proponenda. 376. per figuram expolitionis tractanda. *Ibid.* variæ illius formæ cum exemplis. 377.
Prosopopœa figura, usus. 656. formulæ: servit affectibus *Ibid.*
Prudentia oratoris. 36. ad quæ advertat 37.
Pudoris affectus. 353.

Pura panegyris II.629. ejus exempla II.443. II.538.

Q

Quæstio Rhetorica quid sit? quottuplex. 17.

Quales pro concionibus adhibendæ 18.

R

Ratiocinationis figura, usus formulæ 658.

Relata quid sint, usus eorum. 227. paradigma 239. argutiæ à relatis 605.

Repetitionis figura 625. ejus usus 626. servit affectui 338. amplificationi *Ibid.* eleganter adhibetur in epilogis, & complexionibus 706.

Repugnantia quid sint? 226. paradigma 236.

Reticentiæ figura, exempla. 658.

S

Sancti Patres pollent Eloquentia, præsertim Græci. 10. etiam Latini. *Ib.* enumerantur eum crisi 60. 96. qui eorum nomine veniant 312. leges utendi SS. Patribus in concione. *Ibid.* praxis argumenta depromendi è Patribus. 316. ex homiliis. *Ibid.* ex eorum sententiis, ope Polyanthearum. 319.

Sceleton orationis. *Vide* Idea prima.

Scriptio alterum Eloquentiæ sacræ adjumentum. 86. sit meditata, quomodo? 86. sit emendata, quomodo? 88. sit ordinata, quomodo? 90.

Scriptura facta pollet Rhetoricæ ornamentis. 8. est fons sacri Oratoris. 66. qui ejus libri, quo deserviant? 67. fons est thematis inveniendi. 123. omnis concio illi innitatur. 292. scripturæ sensum germanum adferat Orator. 295. ejus sensus multiplex. 296. scripturæ sententias usurpandi modi septem. 299. praxis inveniendi argumentum ex ea. 303. conceptus scripturæ quales esse debeant? 298. modi conceptuum è Scriptura. 305.

Scripturæ Sacræ interpretes enumerantur. 68. sunt fons thematis inveniendi. 129.

Sententia Rhetorica quid sit? 651. aperta, & occulta, quomodo fiant? 662. simplex, & composita. 663. leges usurpandi sententias. 664. fontes, & modi sententiarum. 666. per locos Rhetoricos. *Ibid.* per tropos. 667. per figuras. 658.

Sermocinatio, sive dialogismus figura. 658. usus, exemplum. 659.

Similiter cadens figura. 633.

Similiter desinens. 633. ornat partitionem. 162.

Sorites modus confirmationis quid sit? 480. observanda in eo. *Ibid.* paradigma *Ibid.*

Spei divinæ affectus. 349. paradigma. 358.

Similitudinis, & dissimilitudinis locus quid sit? 207. quottuplex? 208. usus loci creber apud Italos. 210. fontes hujus loci. 211. quomodo adhibetur à Manzador 211. amœnior est ab eruditione historica vel, Philosophica 212 elegantissima est ex Scriptura, vel ex Patribus. 213. methodus usurpandi hunc lo-

locum. 214. ratio illum ornandi 215. 216. exempla similium 213. 215. 217 paradigma 218. 225. à dissimili paradigma 221. argutiæ à simili. 604.

Stylus quid sit, unde dicatur 566. multiplex *Ibid.* stylus oratorius quid sit? *Ibid.* illius dotes. 568. vitia cum exemplis 570. quomodo imitandus? 101.

Styli oratorii species ratione materiæ 574. ubi usurpandæ 577. stylus submissus quid sit? 575. ubi locum habet? 579. ejus paradigma. 581. stylus temperatus, sive mediocris quid sit? 576. ubi adhibendus? 579. ejus paradigma. 583. stylus sublimis quid sit? 576. ubi usurpandus? 579. ejus paradigma. 582. stylus ex his tribus mixtus 577. ejus paradigma 584.

Styli Oratorii species ratione formæ 487. periodicus: ubi locum obtinet? 587. paradigma ejus 589. concisus: ubi eo utendum? 588. paradigma 590. paradigma styli mixti. 591.

Stylus argutus. *Vide* argutia.

Stylus in panegyricis sacris qualis esse debeat? II. 378. ratione auditorum triplex esse potest II. 379. differt à stylo panegyrum Academicarum II. *Ibid.* non sit humilis; nec tamen nimium splendidus II. 380. sit fluens, & acuminibus, ac argutiis temperatus II. 380. qui in eo tropi, quæ figuræ, quales sententiæ, ac transitiones adhibendæ? II. 381.

Svasoria, ac dissuasor. concio quid sit. II. 788. quid in ea observandum II. 789. quod discrimen inter svasoriam ac hortatoriam II. 788. paradigma dissuasoriæ concionis II. 792.

Subdivisio quid sit? 166. Gallis usitata. 167. ab aliquibus improbatur, cur? 167. ab aliis laudatur, cur? *Ibid.* ad varietatem usurpanda. *Ibid.* vitia ejus. 47.

Subdivisio quando, & quomodo adhibenda? 168. fit ex visceribus principalis divisionis eruta. *Ibid.* quid agendum, ne subdivisionibus langueat oratio? 169. sit brevis, & elegans. *Ibid.*

Subdivisionum fontes, & paradigmata. A subdivisione subjecti, item prædicati, per varias definitiones 170. à distributione generis in species 171. ab enumeratione effectuum, vel partium. *Ibid.* ab enumeratione proprietatum. 172. à causis, & adjunctis. *Ibid.*

Per subdivisiones, quomodo confirmatio instituenda. 500. quid tunc observandum? 501. paradigma. 502. modus amplificandi per eas. 692.

Syllogismus, modus confirmationis, quid sit? 446. quotuplex, quibus partibus constat? *Ibid.* praxis syllogismi. *Ibid.* observanda in ejus usu. 448. paradigma. 450.

Syllogismus fundamentalis quid sit? quomodo struitur per eam panegyris? II. 404. quomodo concio moralis? II. 767. quomodo exordium morale? II. 768.

Paradigma panegyris sic construct. II. 408. Item concionis moralis. II. 792.

Synechdoches figura 631.

Syn-

Synonimia figura 628. servit amplificatorii. 686.

Synœcioſis figura. 631.

Subjectio figura. 660. ejus uſus, exempla. *Ibid.*

Suſpenſio figura, ejus uſus, exemplum. 659.

T

Textus ſacer concioni præmittatur, unde hujus origo. 3. 111. leges uſurpandi ſacrum textum. 112. ſit ex Scriptura. *Ibid.* interdum eſſe poteſt ex verbis Eccleſiæ 113. ſit ex diei Evangelio *Ibid.* ſumi poteſt ex epiſtolis *Ibid.* vel ex quocunque ſcripturæ libro *Ibid.* ſit brevis 114. conveniens argumento *Ibid.* Textus ſint probantes potius, quam ſimpliciter affirmantes. *Ibid.* Item. 294. ſint præcipientes, prohibentes, &c. 114. 295.

Textus ſcripturæ non ſunt congerendi. 292. nec ſint prælongi 293. quomodo citandi? 293. quomodo uſurpandi? 299. pro concione aſſumptus ſæpe iterandus 293.

Textus ſacer panegyricus qualis eſſe debeat. ll. 344. ex quocunque ſcripturæ loco promi poteſt. ll. 345. interdum eſt duplex. ll. *Ibid.* rei tractandæ congruat ll. 346. characterem Sancti exprimat. ll. 346. partitioni locum præſtet. ll. 347.

Thema ſacrum quid ſit? 116. quomodo ſit allegoricum? 39. 137. non ſit anagrammaticum. 40. nec à notatione., aut conjugatis. *Ibid.* quomodo à comparatione. *Ibid.* non ſit nimium genericum 41. nec nimium particulare 42. nec theoreticum 43. nec ſublime 44. nec inutile. 45.

Thematis ſacri dotes. 115. ſit verum. *Ibid.* ſit breve, & clarum: pauciſſimis verbis proferatur; ſit planum & naturale. 116. ſit unum, & adæquatum. 117. non problematicum. 117. ſit moderatum. *Ibid.* non nimis generale. *Ibid.* ſithypotheticum 118. occurrenti Evangelio conforme. 118. aptum tempori: auditorum perſonæ, moribus, ingenio. 45. 119. utile, & practicum. 120. novum, & non vulgare. 122. ex catechiſmo, vel ex hiſtoria Evangelica per partes explicanda ſumi poteſt. 121. continuatis argumentis conſtare poteſt. *Ibid.*

Thema inveniendi fontes. 122. ſcriptura univerſe 123. ſumma Evangelii. 124. ſinguli textus 125. ad ſeptem capita revocati. 126. Sancti Patres. 128. ſcripturæ interpretes 129. ſacri Oratores. 130. Aſcetæ. 132 polyantheæ 133. quid agendum, ut inveniatur. 122.

Thematis elevandi modi communes. 134. per definitionem. *Ibid.* per comparationem 135 ſi gnoma ſit, vel adagium. 135. vel ab antithetis 136. aut paradoxum. *Ibid.* vel à conjugatis. *Ibid.* ſi ſit allegoricum. 137. circumſtantiis accomodatum. *Ibid.* à nomine, titulo, inſignibus petitum. 138. ex inſcriptionibus deſumptum. 139.

Thematis elevandi modi proprii 139. ſi textui, vel Evangelio congruat. 139. ſi ex duobus Evangeliis depromatur. 140.

140. si concionis occasioni conformetur. 141. si ex verbis Patrum, vel dictis SS. sumatur. 141. aut ex divino officio, verbis Pontificum, vel ex apophtegmatis SS. 142. si ex ritibus, aut cerimoniis Ecclesiæ desumatur. 142. si circumstantiis templi, aut festivitatis, accommodetur. 143. vel ex SS. actis, scriptis, libris petatur. 144. Aut ex Iconibus Sanctorum. 143.

Themata concionum moralia ex S. Chrysostomo. 43.

Theologia quid est, quottuplex. 321. illius leges. 322. usus, & paradigma Theologiæ dogmaticæ 323. Asceticeæ. 325.

Timoris affectus 352. ejus paradigma. 363.

Traductionis figura. 628. servit conjugatis. 187. ornat partitionem. 161.

Transitio quid sit, quottuplex. 670. Transitionum usus. 671. Transitionum modi, toti orationi communes. 672. cuivis parti speciales. 676.

Tristitiæ affectus. 371.

Tropus quid sit, quottuplex 620. singuli explicantur. 621. Paradigma per tropos. 623.

V

Variatio dispositionis in oratione quid sit. 558. quibus modis fit. 559. Paradigma illius. 561.

Vitia oratoris in scribenda oratione. *Vide*. Oratoris sacri vitia.

Virtutes oratoris. 34.

Vocis pronunciatio qualis sit in Oratore? 29.

Z

Zelus oratoris qualis esse debeat? 35.

FINIS.



ERRATA
TOMULI PRIORIS.

Pagina	Lin.	Error	Corrige
In Dedic. 2.	24	*Szelepchéni* adde	*Széchéni*
Ibidem 3	10	ejusve (a)	ejusque
Ibidem 4	25	illiusve	illiusque
In Præf. 7	18	libris *adde*	dicam
Ibidem 10	14	ememdate	emendate
4	20	1651	1751.
45	4	concionem	concionum
61	16	*Flechier*	*Fleschier.*
62	5	*Bourdalove* (b)	*Bourdaloue*
86	30	*Ladislaum*	*Alexandrum*
109	2	Eloquentiæ Sacræ *adde* Generatim	
181	8	Fortasse	An fortasse
183	8	Fortasse	An fortasse
199	8	opib	opibus
219	1	eodemve	eodemque
240	1	opere	operæ
260	25	formalis	finalis
338	25	Heu	Heus
344	7	Fortasse	An fortasse
349	10	injuria	injurias
362	27	beneficium	beneficum
363	19	Exclamationis,	Exclamationis
391	8	Segner	Segneri
438	23	quamve	quamque
441	1	sed	immo non
452	3	diuna	diuturna
465	9	subscriptio	superscriptio
466	31	Longiorve	Longiorque
495	14	poro	porro
495	19	dixi,	dixi)
Ibid.	Ibid.	sacra)	sacra,
499	30	videbatur sibi *adde*	videre
518	11	respondam	respondeam
555	17	26	16
561	17	Cathecheticum	Catecheticum
585	11	malefactum	male factum
Ibid.	30	Patris	Patris
587	6	eorumve	eorumque
589	29	Pervagamini	Pervagemini
590	5	ge r ndos	generandos

a) *Particula* ve *pro* que *sæpius alibi quoque posita est, corrigatur.* b) *Hic error in pluribus locis corrigendus est.*

Pagina	Lin.	Error.	Corrige.
596	24	hoc ne	hocne
624	2	hi	hic
624	25	petere	patere
624	27	difficile	difficile
630	17	Her s	Heros
635	27	Ubi	Ubi
640	7	cupidetates	cupiditates
687	15	Iſidiri	Iſiridi
690	1	*Lauxm in*	*Lauxmin*
703	30	conjunges	conjuges
708	13	temeri	timeri
708	17	veterano	veterno
710	13	contingi	contigi
716	30	tatus	totus
718	20	ne	quod
719	32	advocem	ad vocem
730	20	vocemve	vocemque

ERRATA
TOMULI POSTERIORIS.

Pagina	Lin.	Error.	Corrige.
93	29	*Joſepſus*	*Joſephus*
104	1	temporeo	corporeo
107	17	temporeo	corporeo
110	24	contineant	continet
129	7	quando	quanto
169	23	minns	minus
178	4	accipitre	accipitrem
266	13	confirmari	conformari
269	4	*Hoc eſt corpus meum*	adde *quod pro-vobis datur*
268	22	Ac tametſi	At tametſi
291	9	Sectatotes	Sectatores
292	29	*Emautinam*	*Emautinum*
295	7	& *Emautinum*	vel *Emautinum*
296	24	At quis es	At quisquis es
302	15	ſulummodo	ſolummodo
309	22	eorumve	eorumque
329	24	Saulis	Samuelis
333	31	ſuaſtantiæ	ſubſtantiæ
402	16	parentos	parentes
407	5	& mente, & intellectu	& intellectu, & voluntate

Pagina	Lin.	Error.	Corrige.
409	16	1. Jud. 6.	Jud. 6. v. 15.
410	14	minima eſt	infima eſt
410	15	In Iſrael	in Manaſſe
444	19	Pontificibus	Pontificibus
440	22	quærebantur	querebantur
446	24	nuro	numero
462	9	ſenſit	ſenſerit
474	29	cum ſubdiviſione	ſine ſubdiviſione
474	30	ſine ſubdiviſione	cum ſubdiviſione
511	25	poterunr	poterunt
517	17	vel uti	veluti
543	7	momemta	momenta
545	15	liberarunt ne	liberaruntne
573	5	nimirum; in	nimirum; quod in
589	32	quantum	ſextum
592	21	a qua	aqua
601	14	imprudentum	imprudentium
602	10	ve	vero
610	1	exemplo	exemplum
Ibid.	Ibid.	remedio	remedium
624	29	canformato	conformato
653	8	qaam	quam
653	32	poſſimu	poſſimus
654	30	correnda	correndo
656	3	Ignati	Iguatii
657	27.	percuntemur	percunctemur
657	32	23	43. v. 7.
658	4	Juvenes *adde*	ſeu ſenes
667	23	quod	quid
715	15	captæ	receptæ
725	19	Regs	Regis
731	15	captæ	receptæ
735	10	acclamatur	acclamatur
748	14	quam	quem
748	22	*Strigonienſum*	*Strigonienſium*
765	24	e o a	ex tota
815	14	ſtatutum	ſtatutum
838	6	Sponſam	Sponſas
849	3	cenfeſtim	confeſtim
854	30	ſequimini	ſequamini
864	3	ſolutiores	ſolutioris
870	24	ſanctum	ſanctam
871	15	H	Hi

Reliqua, quæ hic intermiſſa forte ſunt, vel in citationibus, aut in Ortographia, vel ob typos, non rite expreſſos, incurrerunt, Lectoris benignus corrigat, oro.

Lelt.
152772-1955

142 (filius prod.)
Segneri 228